ceſſi percipere valeas pro ſolvendis debitis, quibus eſt tua Eccleſia onerata, beneficium vacans poſtmodum, curam habeos animarum annexam, a'icui ſimile beneficium obtinenti te conſerre contingat: Æquum eſt, ut quamdiu fructus ipſius perceperis, primum non debeat reputari vacare.

CAP. XXVII.

*Cum mandatur alicui non Sacerdotalis, vel integra, vel certi valoris conferri Præbenda: Sacerdotalis dimidia vel minoris valoris illi etiam volenti conferri non poterit.*

Idem.

CUi de non Sacerdotali Præbenda provideri mandatur: ſibi etiam volenti Sacerdotalis auctoritate mandati hujuſmodi conferri nequibit. Similiter, ſi in Eccleſia, in qua integræ ac dimidiæ Præbendæ habentur, mandetur *a* integra conferri Præbenda, quamquam ille, pro quo ſcriptum extitit, dimidia velit eſſe contentus, ei de ipſa non poterit provideri. Idem cum injungitur provideri alicui de Præbenda certi valoris, ut in Præbenda minoris valoris etiam illo volente mandatum non poſſit adimpleri. Non enim hujuſmodi mandata (quorum fines diligenter ſervari oportet) debent ad caſus alios, quam expreſſos extendi.

CAP. XXVIII.

*Secundo beneficio curato effectualiter adepto, primum conſimile (ejus poſſeſſore irrequiſito) conferri poteſt: non autem ejus poſſeſſio dari.* ſecundum Zen.

Idem.

LIcet *b* Epiſcopus beneficium, quod cum animarum cura tenebas (poſtquam aliud recepiſti conſimile, ac ipſius poſſeſſionem pacificam habuiſti, vel per te ſtetit, quo minus haberes eandem) poſſit alteri de jure conferre: Illum tamen cui contulerit, non debebit te non vocato (cum tibi forſan jus poſſit competere retinendi) in poſſeſſionem ipſius inducere corporalem.

CAP. XXIX.

*Sacerdotalis Præbenda per ſimplex mandatum de providendo, non niſi apto ad Sacerdotium eſt conferenda.* h. d. ſecundum Zen. *Et iſtud ſummarium poteſt adaptari utrique lecturæ poſitæ in tertia gloſſa.* Dominicus.

Idem.

EI, cui provideri mandatur *c* ſimpliciter de Præbenda proximo vacatura, Sacerdotalis Præbenda conferri non poteſt, ſi nondum in ætate tali exiſtat, quod poſſit ad Sacerdotium promoveri: ſed aliam expectare debebit.

CAP. XXX.

*Ex Mandato ſedis Apoſtolicæ expectans a certa cauſa, ea deficiente, beneficium petere impeditur.* h. d. ſecundum Zen.

Idem.

SI pauper *d* Clericus, cui cum beneficium nullum haberet, mandabatur de beneficio (juxta ſuæ probitatis merita) per Epiſcopum provideri, aliud antequam ſit proviſum eidem, beneficium fuerit aſſecutus: providere ſibi Epiſcopus (cum ceſſet cauſa mandati) de cætero non tenetur.

CAP. XXXI.

*Ubi de prioritate beneficii pluribus collati non conſtat, primo poſſeſſio, deinde major prærogativa præfertur.* h. d. ſecundum Zen.

Idem.

SI a ſede Apoſtolica, vel Legato ipſius uni, & ab Ordinario alteri, eodem die idem beneficium conferatur, nec appareat, quæ collatio fuerit primo facta, erit potior conditio poſſidentis *a*. Si vero neuter poſſideat, is cui ſedes ipſa contulit vel Legatus (propter conferentis ampliorem prærogativam) erit alteri præferendus.

CAP. XXXII.

*Religioſus habens Prioratum vel Eccleſiam curatam, ſi recipit ſecundum ſine licentia Papæ, ipſo jure vacat primum. Quod ſi ſtatim non dimiſerit, efficitur intelligibilis, & privatur utroque. Eadem eſt pœna in iis, qui habebant ante hanc conſtitutionem, niſi intra menſem alteram elegerint & alterum dimiſerint.* h. d. uſque ad §. prohibemus. Joan. Andr.

Idem.

CUm *b* ſingula officia ſint ſingulis committenda perſonis, & diſſolutionis ac evagationis materia ſit Religioſis præ cæteris auferenda; præſenti prohibemus edicto, ne aliqui Monachi vel Religioſi alii *c* pluribus Prioratibus, vel Eccleſiis curam habentibus animarum, etiamſi eadem cura non per ipſos ſed per Presbyteros ad eorum præſentationem per Epiſcopos inſtitutos habeat exerceri, abſque ſedis Apoſtolicæ auctoritate præ eſſe præſumant: niſi forte unus ex eis ab alio dependeat, vel adinvicem ſint annexi. Statuentes, ut quicunque ipſorum Prioratum vel Eccleſiam talem obtinens alium receperit, primum, quo ſit ipſo jure privatus, ſtatim omnino dimittere teneatur, per eum, ad quem pertinuerit, libere alteri conferendum. Quod niſi fecerit, extunc eo ipſo efficiatur intelligibilis *d*, & tanquam ambitioſus ab utroque penitus repellatur. Circa eos autem, qui plures Prioratus vel Eccleſias hujuſmodi nunc detinent, providemus, ut intra menſem, poſtquam præſens conſtitutio pervenerit ad eoſdem, unum ex ipſis, quem retinere voluerint (reliquis dimiſſis) eligere teneantur: alioquin extunc pœnis ſubjaceant ſupradictis.

*Prioratus Eccleſiæ vel adminiſtrationes unius monaſterii ſolita per ipſius Monachos gubernari, abſque ſedis Apoſtolicæ licentia alterius monaſterii Monachis non committantur, nec commiſſa dimittantur. Qui contra fecerint, ſint privati poteſtate ordinandi prædicta ea vice: & defertur ad Diœceſanum in non exemptis, & ad Papam in exemptis. Recipientes vel detinentes (alias eligentes) ſunt ineligibiles ipſo jure.* h. d.

§. 1. Prohibemus inſuper, ne Prioratus vel Eccleſiæ, aut adminiſtrationes, ſeu officia unius monaſterii conſueta per ejuſdem Monachos gubernari, committantur deinceps abſque auctoritate ſedis ejuſdem alterius monaſterii Monachis gubernanda, nec hactenus commiſſi dimittantur eiſdem: ſed per eos, ad quos pertinent, libere ordinentur. Cum illis non liceat habere locum in diverſis monaſteriis, quorum unum ab alio non dependet, nec aliorum monaſteriorum (niſi canonice transferantur ad ipſa) Prioratus, Eccleſias, adminiſtrationes vel officia gubernare. Qui vero contra prohibitionem præſentem prædicta de cætero alienis Monachis commiſerint, vel dimiſerint jam commiſſa; ea vice ordinandi de ipſis ſint poteſtate privati, & de eis per Diœceſanos (ſi exempta non fuerint) alioquin per ſedem Apoſtolicam ordinentur *e*. Ii autem, qui ea ſuſcipere vel ſuſcepta præſumpſerit detinere *f*, reddantur ineligibiles ipſo jure.

CAP. XXXIII.

*Contemptum poſſunt proſequi, ſi ad receptionem vel collationem abſentes Monachi vel Canonici non vocentur: niſi conſuetudo habeat eos non vocari.* h. d. ſecundum Zen.

Idem

a *Alias, mandatur.* b *Vide Fol. it c. fin. ext. de præb. ſup. & Hippol. ſingul.* 195. *incip. nemo privandus eſt.* c *Mandata de providendo ſuſtulit Conc. Trid. ſeſſ* 24. *de ref. c.* 19. d *Multis modis qui dicitur pauper. vide Alex. conſil.* 37. *incip. conſultus ſum. l.* 7. *adde Bart. in l. ſi conſtante ff. ſol. matr.*

a *Vide l. vis ejus C. de probat. c. liceat cauſam. de prob. & l. in bona fidei. C. de rebus cred. Font.* b *Vide Conc. Trid. ſeſſ.* 7. *de refor. c* 2. *& ſeſſ.* 24. *de refor. c.* 17. c *Alias, aliis.* d *Vide gloſſ.* 16. *qu.* 1. *in ſum. & clem.* 1. *de elect. Phil. Font.* e *al. ordinetur.* f *Alias, retinere.*

UNED

Idem Bonifacius VIII.

CUm in Eccleſiis Canonicorum receptio, aut Præbendarum vel beneficiorum collatio imminet facienda, abſentes Canonici (ſi commode fieri valeat) ſunt vocandi: Niſi conſuetudo habeat eos ad talia non vocari. Alioquin quod in eorum abſentia fieri contigerit, eis inſtantibus irritari debebit.

CAP. XXXIV.

*Beneficia morientium etiam in loco vicino curiæ Romanæ per duas diætas legales, vel ſede ipſa vacante, ibi cauſam, domicilium vel originem non habentium, vel etiam habentium, ſed curialium, & ibi cauſa Romanæ curiæ morantium, vel translata curia eam ſequentium, & in itinere decedentium, vel in loco, unde receſſit curia, in quo remanſerant infirmi; conferri nequeunt per alium quam per Papam.* h. d. ſecundum Zen.

Idem.

PRæſenti declaramus edicto, ſtatutum felicis recordationis Clementis Papæ prædeceſſoris noſtri, de beneficiis apud ſedem Apoſtolicam vacantibus, per alium, quam per Romanum Pontificem minime conferendis, locum habere in beneficiis, quæ Legati aut Nuncii ſedis ejuſdem, vel quivis alii ad Romanam curiam venientes, vel etiam recedentes ab ipſa obtinere noſcuntur, ſi eos in locis vicinis *a* ipſi curiæ mori contingat: quemadmodum ſi in loco, ubi eadem curia reſidet, morerentur.

Idem eſt ſi aliquis curialis (etiam Eccleſia Romana vacante) peregrinationis, infirmitatis aut recreationis, ſeu alia quavis cauſa ad locum curiæ vicinum ſecedens, in hujuſmodi loco vicino decedat: dummodo ibi (etiamſi erat ad ipſam curiam reverſurus) ejus domicilium ſeu domus propria non exiſtat.

Loca vero intelligantur vicina eidem curiæ in præmiſſis, quæ remota ultra duas diætas legales (quas hoc caſu ſic ſpecialiter volumus computari) a loco, ubi moratur ipſa curia, non exiſtunt.

Sane ſi quis in loco ubi *b* degit curia, ſuæ originis domum habens, diem claudat extremum in ea: ipſius beneficia ſub prædicto non aliter includantur *c* ſtatuto, quam ſi curialis eſſet antea, & ibidem occaſione curiæ moraretur. Porro cum curiam de loco ad locum transferri contingit, ſi curiales in itinere (dum curiam ſequuntur eandem) vel in loco, unde recedit ipſa curia, forſitan remanentes infirmi, rebus inibi eximantur humanis, præmiſſum ſtatutum (quantumcumque locus ubi decedunt, ab ipſa curia ſit remotus) ad illorum beneficia ſe extendit.

CAP. XXXV.

*Mors Papæ tollit, ne parochiales Eccleſiæ in curia vacare dicantur.* h. d. ſecundum Zen.

Idem.

SI Apoſtolica ſede vacante aliquas parochiales Eccleſias vacare de cætero contigerit apud ipſam, ſtatuimus ut de eis (ne ipſarum vacatio diutina periculum valeat animabus afferre) per eos, ad quos pertinet *d*, poſſit libere ordinari: Conſtitutione felicis recordationis Clementis Papæ, prædeceſſoris noſtri, de beneficiis apud ſedem ipſam vacantibus, per alium, quam per Romanum Pontificem minime conferendis, vel alia quavis contraria ſuper hoc edita non obſtante. Idem volumus & de illis, quæ ibidem ipſo Romano Pontifice vivente vacabunt, ſi de ipſis per eum ante ipſius obitum non fuerit ordinatum.

CAP. XXXVI.

*Gratia alicui conceſſa, ut providere poſſit perſonis idoneis in certa Eccleſia, perſonis non expreſſis, non expirat re integra obitu concedentis, ſecus ſi perſonæ eſſent expreſſe.* Joan. Andr.

Idem.

SI cui (nulla perſonarum facta expreſſione) ſit gratioſe conceſſa facultas, ut auctoritate Apoſtolica poſſit aliquibus perſonis idoneis in certa Eccleſia providere, vel beneficia (quorum collatio eſt ad ſedem Apoſtolicam legitime devoluta) conferre, contradictores *a* eadem auctoritate per cenſuram Eccleſiaſticam compeſcendo: hujuſmodi conceſſio (quam, cum ſpecialem gratiam contineat, decet eſſe manſuram) non expirat etiam re integra per obitum concedentis. Secus ſi ſuper proviſione certæ perſonæ facienda ſit data poteſtas eidem, non ob ſuam, ſed ejus, cui provideri mandatur, gratiam vel favorem: illa quidem expirat omnino, ſi concedens re integra moriatur.

CAP. XXXVII.

*Qui ex licentia circa incertos conceſſa abſque titulo ad ſacros ordines Clericos promovet, eis tenetur providere. Dans licentiam promoventi, vel etiam promovendis, eis promotis ad ſacros ſine titulo, providere tenebitur.* h. d. Zen.

Idem.

SI *b* Epiſcopus, cui nullis perſonis expreſſis in genere commiſiſti, ut vice tua ordines in tua diœceſi celebraret, ad ſacros ordines promoverit quempiam titulum non habentem: ei (cum in culpa fuerit taliter ordinando eundem) tenebitur vitæ neceſſaria miniſtrare, donec ſibi per eum vel alium de competenti beneficio ſit proviſum. Si vero certas commiſiſti *c* eidem ordinare perſonas, tu (qui prævidere hoc caſu, an haberent titulum, debuiſti) taliter ordinato ad prædicta, donec per te beneficiatus fuerit, obligatus exiſtis. Eis autem, quibus a diœceſanis datur licentia, ut poſſint a quo voluerint Epiſcopo, ad omnes ſacros ordines promoveri, non qui ordinant, ſed qui tribuunt licentiam (cum eam dare non debeant titulum non habenti) ad præmiſſa, ſi titulum non habeant, obligantur.

CAP. XXXVIII.

*Si primo loco Papa dat licentiam conferendi beneficia certo modo vacantia, vel ad Papam devoluta, ſecundo aliquod de his conferat ſpecialiter, vel conferri mandet, ſpecies generi derogat: ita quod ſecundo beneficium debetur* h. d. Joan. Andr.

Idem.

QUamvis *d* tibi nuper in genere poteſtatem dederimus, beneficia ſex Clericorum tuorum cedentium, vel decedentium auctoritate noſtra perſonis idoneis conferendi, Canonicatum tamen & Præbendam, quos in tua Eccleſia (in qua poſt prædictam gratiam tibi factam mandavimus cuidam ſpecialiter provideri) obtinebat quidam ex iiſdem tuis Clericis, tunc defunctus, conferre non potes: cum illi, pro quo ſcripſimus, debeantur. Nam primæ generali gratiæ tibi factæ derogat poſterior ſpecialis, licet de illa non fecerit mentionem. Simili ratione ſi poſt facultatem tibi conceſſam a nobis, conferendi beneficia tuæ diœceſis (quorum collatio eſt ad ſedem Apoſtolicam devoluta) nos eorum aliquod (antequam tu conferas) conferamus ſpecialiter alicui, vel conferri mandemus, de conceſſione tibi facta non habita mentione, facta per nos collatio canonica eſt cenſenda.

CAP.

---

a *Nota ex loci vicinitate contrahi communionem quandam etiam quoad præmium, pœnam, mores. de pœnit. diſt. 1. §. ſed continuo. l. non tantum. §. Ilienſibus. ff. de excuſ. tut. & qui dicantur vicini, vide l. ſi tertius. de aqua pluv. arc. l. 4. §. ſi tam vicinum. ff. de damn. in ſect. de Anch. Font.* b *Al. ita s ubi degit ipſa curia, &c.* c *Al. includuntur.* d *Vide Dec. in c. bona. in princ. ext. de appell.*

a *De hac clauſula vide Zabarellam in Clem. 2. §. contradictores. de religioſ. dom. & Felin. in c. ſuper eo ext. de offic. deleg.* b *Vide Conc. Trid ſeſſ. 21. de refor. cap. 2, c. Ai. commiſiſſes.* d *Vid. Dec. in c. 1. de reſcrip. ſuper. 1. gl. & eund. conſ. 147.*

C A P. XXXIX.

*Revocatio gratiæ non tollit jus quæſitum, ſed quærendum, niſi jus annexionis aliud inducat: nec tamen tollit jus quærendum annexum juri digniori jam quæſito.* h. d. ſecundum Zen.

Idem.

SI is, cui de Canonicatu, Præbenda, & dignitate, perſonatu, vel officio per felicis recordationis Nicolai Papæ vel Celeſtini prædeceſſorum noſtrorum literas, gratia in aliqua Eccleſia facta erat, conſtitutionis noſtræ revocatoriæ tempore Canonicatum & Præbendam, dignitati, perſonatui vel officio alicui non annexam erat adeptus, licet dignitatem, perſonatum ſeu officium inibi expectaret, propter expectationem hujuſmodi privatus non intelligitur jure, quod in Canonicatu & Præbenda fuerat canonice aſſecutus: jus tamen quod ad dignitatem, perſonatum, vel officium competebat eidem, juxta verba dictæ revocationis intelligitur revocatum. Non ſic autem ſi Canonicatum cum dignitate, perſonatu aut officio, conferri tantum Canonico conſuetis *a*, fuerat aſſecutus ſub expectatione Præbendæ: cum jus magis dignum, quod iſte in dignitate, perſonatu, ſeu officio hujuſmodi jam habebat, jus minus dignum Canonicatus retineat, cujus Canonicatus ratione jus eidem ſalvum remanet, ad Præbendam nulli alii debitam, Apoſtolica ante ipſum auctoritate recepto. Sed & ſi ex Epiſcopi vel alterius cujuſcunque collatione vel proviſione adeptus fuerat in eadem Eccleſia dignitatem, perſonatum, ſive officium conferri tantum Canonico conſueta: præfatus, qui Canonicatum auctoritate Apoſtolica jam habebat, idem erit cenſendum.

C A P. XL.

*Obeſt revocatio gratiæ Præbendam expectanti, & decreti interpoſitio, etiam ignoranti.* h. d. Zen.

Idem.

QUodam per literas felicis recordationis Nicolai Papæ prædeceſſoris noſtri, Canonicatum ſub expectatione *b* vacaturæ Præbendæ in certa Eccleſia obtinente, ſucceſſor ejus Celeſtinus cuidam alteri ſimilem in eadem Eccleſia gratiam fecit, quem omnibus etiam ante ipſum auctoritate Apoſtolica, vel quavis alia in Eccleſia ipſa receptis voluit anteferri *c*, cum interpoſitione decreti: priuſquam tamen ad primum & ejus executores ſecundæ gratiæ notitia perveniſſet, vacans Præbenda eidem primo per ſuos fuit executores collata: poſt hujuſmodi autem & ante factam ſecundo collationem ipſius Præbendæ, noſtra conſtitutio revocatoria emanavit: & quoniam quis eorum jus habeat in Præbenda hujuſmodi, dubitatur, nos neutrum illorum habere jus decernimus in eadem. Prima enim collatio poſt & contra decretum a dicto Celeſtino interpoſitum facta (licet ab ignorantibus & etiam ignoranti) non obtinet firmitatem. Jus vero, quod ſecundo ad Præbendam, non in Præbenda hujuſmodi competebat (cum noſtram revocationem ejus collatio non præceſſerit) per eam penitus eſt ſublatum.

C A P. XLI.

*Mandatum de providendo de beneficio ad collationem Capituli pertinente, non tangit jus ſingularis Canonici.* h. d. ſecundum Zen.

Idem.

MAndatum Apoſtolicum tibi directum, ut T. Clerico de beneficio ſpectante ad collationem Narbonen. Capituli provideres, beneficia ejuſdem Capituli, ſive dentur in communi per ipſum, ſive per Canonicos ejuſdem Eccleſiæ ſingulares, vice ac auctoritate Capituli, ex jure ipſis de conſuetudine vel ſtatuto, merito comprehendit *a*. Ad beneficia tamen ratione dignitatum, perſonatuum, vel officiorum, quæ nonnulli ex eiſdem Canonicis obtinent in ipſa Eccleſia, ad eorundem collationem ſpectantia, mandatum hujuſmodi minime ſe extendit. Idem eſſe cenſemus, ſi ratione Præbendarum ſuarum ad ipſos Canonicos collatio dictorum beneficiorum ſingulariter pertinere noſcatur: Niſi contineatur forſitan in mandato, quod eidem Clerico provideas de beneficio ad collationem Narbon. Capituli pertinente communiter vel diviſim: tunc enim de beneficiis, quæ ad ipſorum collationem pertinent, ratione hujuſmodi Præbendarum poteris providere.

## *T I T U L U S V.*
## DE CLERICO ÆGROTANTE VEL DEBILITATO.

C A P. UN.

*Datio Coadjutorum Epiſcoporum & ſuorum ſuperiorum eſt de majoribus cauſis, & ſpectat ad ſolum Papam: poteſt tamen Epiſcopus ſenio vel infirmitate perpetua impeditus de conſenſu Capituli ſui vel majoris partis ſibi auctoritate Apoſtolica unum vel duos Coadjutores aſſumere: & ſi demens fuerit, Capitulum aut duæ partes ipſius hoc faciunt. Sed ſi Epiſcopus contradicit, tunc nil innovabit Capitulum, ſed Epiſcopi & Eccleſiæ conditionem, quam cito poterit, intimabit Papæ. Et Coadjutores illi ſumptus moderatos habebunt de proventibus Prælatorum ipſorum.* Joan. Andr.

Bonifacius VIII. ( *an. 1298. Romæ.* )

PAſtoralis officii debitum exequentes, declaramus atque ſtatuimus, coadjutorum *b* Epiſcoporum & ſuperiorum Prælatorum dationem intelligendam eſſe de cauſis majoribus, & referendam ad ſedem Apoſtolicam, ac ab ea (conſuetudine non obſtante contraria) tantummodo poſtulandam.

Verum ne hoc prætextu Eccleſiæ (exiſtentes præcipue in remotis) diſpendia patiantur: nos earum in hac parte indemnitatibus præcavere volentes, hac generali conſtitutione ſancimus, ut Epiſcopus ſenio aut valetudine corporali gravatus, vel etiam alias adeo impeditus perpetuo, ut officium ſuum nequeat exercere, poſſit de ſui conſilio & aſſenſu Capituli, vel majoris partis ipſius, unum vel duos auctoritate Apoſtolica coadjutores aſſumere, ad dictum officium exequendum. Si vero Epiſcopus demens fuerit, & quid velit aut nolit exprimere nequiat, vel non poſſit: tunc ejus Capitulum vel duæ ipſius partes eadem auctoritate unum aut duos coadjutores aſſumant idoneos, qui ejus officium exequantur. Si autem Epiſcopus ſenio aut incurabili morbo gravatus vel perpetuo impedimento detentus, ad ſui executionem officii reddatur inutilis: & coadjutorem aſſumere vel habere noluerit, licet a Capitulo requiſitus proprio, ſe illius non indigere ſuffragio forſitan aſſerendo: tunc nil per Capitulum innovetur, ſed hoc caſu & etiam proximo, idem Capitulum Epiſcopi & Eccleſiæ ſuæ conditionem & ſtatum, ac facti circumſtantias univerſas, quam cito poterit, fideliter & explicite referat ad notitiam dictæ ſedis, recepturi humiliter, & efficaciter impleturi, quod ſuper hoc per ſedem ipſam contigerit ordinari. Præſenti quoque adjicimus

a *Dicunt Petr. de Anch. & Archid. quod reſcriptum impetrantis a Papa dignitatem, non facta mentione conſuetudinis, de qua non obtineret. per l. honores. § 2. ff. de decur. eſt ſurreptitium Font.* b *Expectativus ad vacatura omnino ſuſtulit Conc. Trid. ſeſſ. 24. de reform. c. 19* c *De clauſula anteferri, vide late per Felin. in cap. capitulum. extr. de reſcr.*

a *Petrus de Anch. not. mandatum etiam adſtringere gerentem vices ejus, cui mandatur; ſimiliter mandatum factum vicem gerenti: quia ſi deficit principalis, debet poſtea per principalem commoda recipientem impleri: l. ſecundum naturam. ff. de reg. jur. neque poterit per vicem gerentem impleri: in his enim mandatis intelligitur, re ſtante in eodem ſtatu l. 1. ff. ſi ex nox. cauſ. ag. Font.* b *Quam auctoritatem habeant coadjutores dati Epiſcopis ſenibus vel infirmis, late docet Oldradus conſil. 44.*

mus ſanctioni, ut coadjutores hujuſmodi de proventibus Prælatorum, in quorum aſſumentur auxilium, ſumptus recipiant moderatos, ab alienatione qualibet de bonis Eccleſiaſticis Prælatorum ipſorum vel Eccleſiarum ſuarum quomodolibet facienda penitus abſtinentes: rationem non ſolum in diſtricto examine, ſed & Prælatis eiſdem (ſi ſanæ mentis extiterint) ac Capitulis eorundem, ſeu etiam ipſorum Prælatorum ſucceſſoribus (ſi hoc antea non fecerint) plenariam reddituri. Cæterum quod de Epiſcopis præmittitur, ad ſuperiores etiam Prælatos eſſe volumus & intelligimus referendum.

## TITULUS VI.
## DE INSTITUTIONIBUS.
### CAP. I.

*Capitulum ſede vacante licet beneficia ad Epiſcopi collationem ſpectantia conferre non poſſit, tamen ad illa præſentatos inſtituere poteſt.* h. d. Zen.

Bonifacius VIII. *(an. 1298.)*

ETſi Capitulum *a* ſede vacante beneficia, quæ ad collationem Epiſcopi pertinent, conferre non poſſit, præſentatos tamen a patronis poteſt admittere, ſi ſint idonei, & eos inſtituere in beneficiis, ad quæ fuerint præſentati: Licet ad Epiſcopum (ſi ſupereſſet) admiſſio & inſtitutio hujuſmodi pertineret.

### CAP. II.

*Non repellit præſentatum defectus ſacrorum ordinum.* h. d. Zen.

Idem *in eodem.*

SI is ad quem Rectoris præſentatio in aliqua parochiali Eccleſia noſcitur pertinere, quempiam non conſtitutum in ſacris præſentes ad eam: ipſum *b* (dummodo alias ſit idoneus, & intra tempus a jure ſtatutum ad ordines, quos ipſius Eccleſiæ cura requirit, valeat promoveri) decernimus admittendum.

## TITULUS VII.
## DE CONCESSIONE PRÆBENDÆ ET ECCLESIÆ NON VACANTIS.
### CAP. I.

*Si mandetur alicui provideri de dignitate vacatura, quam duxerit acceptandam, & vacat dignitas, quam ante acceptationem ordinarius confert, tenet ipſius collatio: etiamſi executor impetrantis ante acceptationem fecerit reſervationem, inhibitionem, & proceſſus ſuper prima vacante.* Joan. Andr.

Innocentius IV. *dilecto filio Andreæ Capellano noſtro.* *(an. 1250.)*

QUia cunctis: *(& j.)* Proponebatur itaque pro parte tua, quod cum prædicta præpoſitura, dum vacabat, tibi per eum, qui conferre potuit ipſam, collata fuiſſet, collatio hujuſmodi canonica exiſtebat: maxime cum nulla per Priorem ipſum, quæ illam impedire poſſet, inhibitio præceſſiſſet. Dicebat autem pars altera, quod cum præmiſſæ literæ ſede Carnoten. vacante fuiſſent in Capitulo publicatæ, ac præfatus Epiſcopus tunc de Capitulo ipſo eſſet, ibique præſens exiſteret, ignorare non potuit mandatum Apoſtolicum (ſuper conferenda memorato D. Præbenda vel dignitate ſine cura, quam ipſe duceret acceptandam, cum primo in Eccleſia ipſa prædicta vacaret) alii fuiſſe directum, & ſic per conſequens facultatem ſibi eſſe ſublatam, conferendi hujuſmodi dignitatem: propter quod videbatur, quod nec per ſe, nec per alium præfatam præpoſituram, curam non habentem animarum annexam (quæ primo poſt mandatum ipſum in Eccleſia prædicta vacavit) potuerit alicui perſonæ conferre; Præſertim cum jam dictus Prior eodem publicato mandato mox præfato D. Præbendam vel dignitatem, curam hujuſmodi non habentem, quam primo in eadem Eccleſia vacare contingeret, contuliſſet: nec alias etiam (prout allegabatur) prodeſſe poterat ipſius Epiſcopi ignorantia in hac parte. Nam ſi alicui a ſede Apoſt. concedatur, quod excommunicari non poſſit, licet id forſan ſuus ignoret Epiſcopus, non tamen propter hoc ejus ligatur ſententia, ſi quam proferat in eundem. Similiter ſi alicui conferendi præbendam aliquam tribuatur a ſede Apoſt. poteſtas, ex hoc ipſo videtur, quod ſit Epiſcopo conferendi tunc eam penitus interdicta facultas. Nec obſtaret, ſi forte objiceretur, quod lex ſeu conſtitutio & mandatum nullos adſtringunt, niſi poſtquam ad notitiam *a* pervenerint eorundem, aut niſi poſt tempus, intra quod ignorare minime debuiſſent: quia in privilegiis & indulgentiis, ſeu conceſſionibus ſpecialibus ſecus exiſtit, in quibus ſufficit, quod ad illorum, quibus conceduntur, notitiam perveniant: ut patet cum indulgetur alicui, quod excommunicari non poſſit, ſicut ſuperius eſt expreſſum. Et quidem cum tribuatur alicui poteſtas conferendi Præbendam, videtur proculdubio ei concedi aliquid ſpeciale. Adjiciebatur inſuper, quod cum ſententia ſtatim arctet etiam ignorantem: quoniam ſi contra Prælatum aliquem abſentem depoſitionis ſententia proferatur, contractus, quos iniit ignoranter poſtea ut Prælatus, nullum robur obtinent firmitatis: & in ſupradictis literis irritum decernimus & inane, quicquid ſuper hujuſmodi Præbenda vel dignitate, contra noſtrum contigerit attentari mandatum: collatio, quam idem Epiſcopus poſt tale noſtrum decretum (ſive illud ignoraverit, ſive non) de præfata præpoſitura per ſe vel per alium fecerat, non valebat. Ex parte vero tua extitit replicatum, quod hæc de illis privilegiis & indulgentiis (æquitate ſuadente) debent intelligi, quæ vim ſuam habent mox cum ad illos, quibus conceduntur, perveniunt: ex quorum tenore liquido noſci poteſt, quod talis circa ea fuerit intentio concedentis: utpote cum alicui conceditur, quod excommunicari non poſſit: ex hoc enim evidenter apparet aliis ipſum excommunicandi ademptam eſſe penitus facultatem: non ſic autem ſi alicui conferendi Præbendam, ſive certam, ſive incertam, tribuatur poteſtas; non enim tunc eſſe videtur tribuentis intentio, ut per hoc ei (ad cujus donationem Præbenda ipſa pertinet) conferendi poſſibilitas adimatur: niſi prius ille ſibi notificet, quod eam velit per hujuſmodi poteſtatem conferre, aut ei collationem interdicat illius, vel poſtquam illi notificaverit talem poteſtatem fore ſibi conceſſam, vacuum decernat & irritum, ſi ſecus de ipſa præſumat. Quia cum illi non amplior detur poteſtas, quam ipſe Romanus Pontifex habeat in hac parte, ſicut per eam, quam obtinet ipſe Romanus Pontifex, facultas conferendi beneficium vel Præbendam (niſi ſuam inſinuet voluntatem) alicui non aufertur: ſimiliter & per eam, quæ taliter illi ab ipſo conceditur, ei, ad quem ipſius Præbendæ ſpectat collatio, priuſquam inſinuet ille ſibi, quod eam velit concedere, vel etiam conferat (ſi forte vacet) poteſtas non tollitur conferendi, niſi forſan quod ipſam conferre non poſſit, exprimatur in conceſſione hujuſmodi poteſtatis: tunc enim, licet talem conceſſionem fortaſſis ignoret, ſua tamen collatio, ſi poſtmodum Præbendam ipſam conferat, nihil valet: cum ſatis ſuper hoc concedentis intentio agnoſcatur: ſicut cum indulgetur alicui, quod excommunicari non valeat, ut in ſuperioribus eſt præmiſſum. Subjunctum etiam extitit, quod cum memorato Priori per præfatas literas mandaſſemus, ut memorato D. Præbendam, vel digni-

a *Varias ſignificationes hujus vocis, capitulum, ponit Joan. Andr. in c. capitulum. ſupr. de reſcr.* b *Not. idoneitatem & tempus hic per copulam poni: unde non ſat eſt quod intra tempus juris poſſit promoveri, ſed debent etiam alia idoneitates concurrere.* Dom. *&* Petr. *de* Anch. Font.

a *Vide Decium et Doct. in c. cognoſcentes. ext. de conſt. et Turrecrematam in c. in iſtis. §. leges. diſt. 4.*

dignitatem ſine cura, quam acceptandam duceret, ſi vacaret tunc vel quam primo vacare contingeret in Eccleſia prædicta, conferret: idem Prior providendi ei de Præbenda, vel dignitate ipſa (niſi poſt acceptationem ipſius [a]) non habebat aliquam poteſtatem. Unde cum ſæpedicta præpoſitura fuerit tibi (antequam illam idem D. acceptaret) præfati Epiſcopi auctoritate collata, hujuſmodi collatio talis mandati noſtri prætextu (etiamſi prius illud Epiſcopus ipſe ſciviſſet) non poterat vacuari. Noſtrum autem in hac parte decretum ad Præbendam ſeu dignitatem, quam prædictus D. acceptaret, referri debebat: alioquin ſuper incerto fuiſſet editum, nec aliquem adſtrinxiſſet. Sed extitit ex adverſo reſponſum, quod etſi præfatus Prior jam dicto D. Præbendam vel dignitatem hujuſmodi, cum vacaret, ante hujuſmodi acceptationem conferre nequiret: idem tamen D. Præbendam vel dignitatem talem licite poſſet & libere acceptare: quare prædictus Epiſcopus præfatam præpoſituram (cum non prius eum requiſierit, an acceptare vellet eandem) cuiquam conferre non potuit: quin imo ipſius collatio (cum idem D. præpoſituram ipſam poſtmodum acceptaverit) irritari debebat, & conceſſio per jam dictum Archipresbyterum ſibi facta, debet ſtabilis permanere: ſicut cum legatur alicui unus ex ſervis, quem elegerit, vel optaverit, & hæres ante optionem vel electionem illius manumittit aliquem, vel alienat ex illis: profecto manumiſſio vel alienatio irritatur, ceditque ille legato, ſi legatarius eum duxerit eligendum. Econtra vero pro parte tua propoſitum extitit, quod id in ultimis voluntatibus tenet, nec præmiſſa in legatis futuris, quemadmodum in extantibus habent locum: quia nec etiam ad optandum, ſeu eligendum ex illis, ſicut ex iſtis poteſt terminus aſſignari. Et gravis ineſſet conditio, quoddamque incongruum videretur, ſi quando mandaretur alicui de beneficio, quod duceret acceptandum in aliqua provincia, quam primo illud vacare contingeret, provideri: oportet ipſum [b] in ſingulis beneficiis poſtmodum inibi vacantibus (prorogata non abſque periculo forſitan ipſorum collatione) [c] requiri: unde cum ſæpe præfato Priori fuiſſet injunctum, ut dicto D. Præbendam vel dignitatem, quam acceptandam duceret, ſi vacaret in Eccleſia memorata, vel quam cito contingeret eam vacare, ſibi auctoritate Apoſtolica conferret, & ita eidem D. circa futuras, ſive vacaturas Præbendas vel dignitates tales ipſius Eccleſiæ optio data eſſet: non poterat per hoc memorati Epiſcopi in illis, quando vacarent, collatio impediri: niſi forſan cum aliquam ex eis vacare contingeret, illam ipſe D. (priuſquam eam conferret Epiſcopus) acceptaret: vel etiam niſi ante vacationem alicujus ipſarum vacaturarum ex his primam, vel ea omiſſa, ex aliqua cauſa ulteriorem duceret acceptandam: quia taliter acceptatam conferre poſtmodum Epiſcopus non valeret. Nos itaque tam tuis, quam præfati D. rationibus plenius intellectis, quia ſæpe dictam præpoſituram ad te novimus pertinere, ipſam tibi (habito fratrum noſtrorum conſilio) adjudicare curavimus: ipſi [d] D. ſuper ea perpetuum ſilentium imponentes.

## C A P. II.

*Omnis promiſſio, per quam datur via ad beneficia vacatura, eſt reprobata.* Joan. Andr.

Bonifacius VIII.

DEteſtanda [a] iniquorum perverſitas abſtinere neſciens a vetitis, nec gaudere debito modo conceſſis, digne plerunque officium excitat præſidentis, ad ea, quæ juſta fuerant conſideratione conceſſa (cum in abuſum ea vergere circumſpicit) diſcretione prævia revocanda. Sane licet olim fuerit canonica conſtitutione decretum, quod ii [b], qui promittunt aliquibus de beneficiis Eccleſiaſticis, cum poterunt, vel cum facultas ſe obtulerit providere, promiſſiones ſuas (facultate ſe offerente) debeant adimplere: quia tamen, ſicut experientia docuit, per promiſſiones hujuſmodi, quæ per importunitatem nimiam (per quam non concedenda multoties conceduntur) & per ambitionem improbatam ut plurimum extorquentur, aperitur via ſub tali palliatione verborum, ad promittenda damnabiliter [c] contra Lateranenſe Concilium beneficia vacatura, mortis alienæ votum ingeritur, & Eccleſiis, ac Prælatis, & perſonis Eccleſiaſticis gravamina plurima inferuntur. Nos malis hujuſmodi, & animarum periculis occurrere cupientes, promiſſiones eaſdem, & alias quaſcunque ſub quovis modo aut forma verborum de cætero faciendas, per quas directe vel indirecte aperiri via valeat ad beneficia vacatura, auctoritate Apoſtolica penitus reprobamus, & omnino viribus vacuamus, decernentes per eas, vel ipſarum aliquam, ad providendum alicui nullum deinceps quomodolibet obligari.

## C A P. III.

*Habens literas Apoſtolicæ ſedis ſuper primo beneficio, dignitate, vel Præbenda, quod duxerit acceptandum, certum acceptare non poteſt: ſed primum quod vacabit, vel ex cauſa ſecundum, vel ulterius poterit acceptare, Reſervationes, proceſſus, & decreta contra hoc facta non valent.* Joan. Andr.

Idem.

NE captandæ alienæ mortis occaſio ex benignitate gratiarum ſedis Apoſtolicæ tribuatur: Declarandum duximus, quod is cui ab eadem ſede, ut ei provideatur de Præbenda, dignitate, vel perſonatu, aut alio beneficio in aliqua provincia, diœceſi, vel Eccleſia, quem [d], ſeu quod duxerit acceptandum, certis ſibi ſuper hoc executoribus deputatis gratia noſcitur eſſe facta: Licet in genere primum perſonatum, dignitatem, Præbendam, ſeu beneficium in eadem provincia, diœceſi, vel Eccleſia vacaturum, aut ſecundum, ſeu ulterius (ſi rationabilis cauſa ſubſit) valeat acceptare: Certum tamen & expreſſum priuſquam vacet, acceptare non poteſt. Quod ſi fecerit, etiamſi per executores ejus ſecundum acceptionem hujuſmodi facta fuerit reſervatio, inhibitio, variique proceſſus, ac ſententiæ promulgatæ, tam acceptio [e] ipſa, quam proceſſus viribus careant, nec aliquam obtineant roboris firmitatem: imo niſi acceptator ille dignitatem, Præbendam, perſonatum, ſeu beneficium taliter acceptatum & reſervatum, per collationem, vel inſtitutionem poſtmodum factam de vacanti jam adeptus, vel ei jus in ipſo fuerit acquiſitum: per eum, ad quem ejuſdem perſonatus, dignitatis, Præbendæ, aut beneficii collatio ſeu proviſio pertinet (dictis acceptatione, ac executorum proceſſibus inde ſecutis nequaquam obſtantibus) de illo vacanti libere poterit alii provideri.

## C A P. IV.

*Sine ſpeciali mandato non inhibet executor generaliter colla-*

---

a *Doct. not. hic quod executorum ad conferendum beneficium, quod impetrans duxerit acceptandum, inhibitio, intimatio, collatio ante tempus vacationis non ligat ordinarium, quia poteſtas in eventum conditionis non exercetur ante purificatam conditionem, facit c. ſi pro te. ſup. de reſcript. Font.* b *Al. ita: oporteret eum.* c *Vide Cle. 1. §. ſecus. infr. eod.* d *Al. ta, memorato D ſuper ea, &c.*

a *Vid. Conc. Trid. ſeſſ. 16. de refor. c. 19.* b *alit. ut hi.* c *Not. quod contraveniens juri peccat. gl. de pœn. diſt. 1. in ſumm. Imo incurrit notam infamia. c. illud. de majorit. & obedientia. vid. Bart. in l. ſi quis pro eo. ff. de fidejuſſ. & gl. in c. 1. de ſcrut. in ord. fac. vid. quæ dixi in c. perpetuæ. ſup. de elect. Font.* d *alit. ita, quam ſeu quod duxerit, &c. quam varietatem etiam agnovit gl. hic.* c *Vid. l. per fundum. ff. de ſervit. ruſtic. præd.*

*collationem beneficiorum provinciæ, ſpecialiter vero reſervat primum, & inhibet ulteriorem non ſine mandato: nec tunc tenet collatio contra facta* h. d. Dominicus.

Idem Bonifacius VIII. ( *an.* 1298. )

EXecutor *a* ſuper proviſione alicujus a ſede Apoſtolica, per generales literas in aliqua Provincia deputatus, Prælatis, & aliis, ad quos beneficiorum in eadem provincia ſpectat collatio, ne ad proviſionem aliquorum procedant, donec illi, pro quo ſcribitur, ſit proviſum, non poteſt generaliter inhibere.

Niſi expreſſe in ipſis literis facultas hujuſmodi inhibitionis concedatur. Poteſt tamen reſervationem, & eiſdem inhibitionem facere ſpecialem de primo: vel ( ſi hoc illi ex beneficio competat literarum ) de ſecundo vel ulteriori beneficio inibi vacaturo eidem Clerico conferendo. Quod autem contra talem reſervationem & inhibitionem ab eo, ad quem beneficii reſervati collatio pertinebat, fuerit attentatum, non tenet,

C A P. V.

*Si mandetur Capitulo, ut me recipiant in Canonicum & Præbendam conferant, cum id pertineret ad eos, dato executore ad providendum, per ſolam præſentationem factam Capitulo affecta eſt Præbenda: & executor ( negligente Capitulo intra terminum per eum ſtatutum me recipere, & Præbendam conferre ) non vocato Capitulo id exequi poterit.* Joan. Andr.

Idem.

SI Capitulo alicujus Eccleſiæ, cum ad ipſum Canonicorum receptio, ac Præbendarum collatio pertinebat, ut te in Canonicum reciperet, & tibi de Præbenda ( ſi tunc vacaret ) inibi provideret, vel cum ſe facultas offerret, ac executori, qui eodem Capitulo negligente mandatum Apoſtolicum exequatur, directa fuerint ſcripta noſtra: Per ſolam illorum præſentationem Capitulo ipſi factam, abſque alia etiam executoris inſinuatione, inhibitione, ſeu reſervatione, beneficium, pro quo tibi conferendo ſcriptum extiterat, adeo eſt affectum, quod de illo alteri facta collatio non obtinet firmitatem: Imo ſi Capitulum intra terminum competentem ſibi ab executione præfixum, mandatum Apoſtolicum ei pro te directum, in quantum poterit non duxerit adimplendum: extunc in ipſum executorem poteſtas proviſionis hujuſmodi transferatur, & executor ipſe Canonicatum in continenti poterit tibi dare, ac Præbendam ( etiam ſine alia Capituli vocatione vel monitione ) ſi vacat, vel cum obtulerit ſe facultas.

C A P. VI.

*Si ſoli ordinario, vel ſoli executori ad compellendum, vel ordinario, & tali executori ſit ſcriptum: per præſentationem talis mandati non afficitur Præbenda, niſi in literis eſſet decretum, aut executor ille inſinuaſſet & interdixiſſet, maxime cum decreto, vel ratione mandati jam eſſet facta receptio ad Canonicatum. In his caſibus vel ipſorum altero affecta eſt Præbenda, ita quod collatio alteri facta non tenet.* Joan. Andr.

Idem.

SI ſoli ordinario *b* pro te beneficiando, executore non dato, vel ordinario & executori ( ut eum ad faciendum quod mandatur compellat ) aut ſoli executori ( ut tibi faciat de Canonicatu & Præbenda, vel alio beneficio in certa Eccleſia, diœceſi, ſeu provincia provideri ) mandatum Apoſtolicum ſit directum: per talis præſentationem mandati ordinario ipſi factam, licet ſi contra faciat, puniendus exiſtat, ei tamen poteſtas ſic non adimitur conferendi, quin teneat alteri facta collatio ab eodem: Niſi nos in gratia tibi facta decreviſſemus irritum & inane, quod fieret contra ipſam: Aut executor hujuſmodi ordinario ſuam inſinuans poteſtatem, ut alteri conferret beneficium ( de quo tibi eſt ſecundum tenorem hujuſmoni mandati Apoſtolici providendum ) interdixiſſet eidem: præſertim cum interpoſitione decreti. Vel niſi tu juxta dictum *a* mandatum eſſes in Canonicum jam receptus: tunc enim Præbendæ collatio facta, firmitatem aliquam non haberet.

C A P. VII.

*Si tres expectantes ſunt in una Eccleſia, unus auctoritate Martini, alter auctoritate Bonifacii, tertius ejuſdem auctoritate cum prærogativa, ut præferatur omnibus receptis non auctoritate Bonifacii: Præbendas hi conſequentur hoc ordine, quia primam habebit ſecundus, ſecundam tertius, tertiam primus: quod probatur argumento legali.* Joan. Andr.

Idem.

AUctoritate Martini Papæ prædeceſſoris noſtri, quodam ad Præbendam primo in Parmenſi Eccleſia vacaturam nulli alii de jure debitam in ejuſdem Eccleſiæ Canonicum recepto, & alio a nobis in eadem Eccleſia ſimilem *b* gratiam adepto ſecundo, tertius deinde auctoritate noſtra in ipſa Parmenſi Eccleſia in Canonicum, & in fratrem recipitur cum prærogativa gratiæ, quod omnibus prædeceſſorum noſtrorum auctoritate, non autem noſtra receptis, in aſſecutione Præbendæ debeat anteferri: poſt hæc autem quædam vacavit Præbenda in Eccleſia memorata, quæritur, quis eorum alteri præferatur: & ſecundum quem ordinem Præbendas aſſequi debeant tres prædicti? Cum igitur ex tenore *c* gratiæ tertio a nobis conceſſæ appareat evidenter nos voluiſſe primo tertium, & ſecundum tertio anteferri: decernimus, quod primam ſecundus, ſecundam tertius, & tertiam primus debet obtinere Præbendam: alias forma mandati minime ſervaretur. Licet enim ex perſona ſua, ſecundus primam obtinere non poſſet, ex perſona tamen tertii, qui primum ſuperat, illam habet. Sicut contingit in ſucceſſione illius, qui ab inteſtato relictis patre ( in adoptiva familia conſtituto ) matre atque fratre decedit, in qua ſucceſſione pater ex ſe matrem excludit: ſed quoniam talem patrem agnatus, materque vincit agnatum, mater patri non ex ſemetipſa, ſed agnati perſona, in ſucceſſione hujuſmodi antefertur.

C A P. VIII.

*Revocatoria gratiarum includit receptos in Canonicos Præbendam diſtinctam expectantes: etiamſi percipiebant diſtributiones quotidianas, ſecus ſi Præbendam diſtinctam non expectant, ſed augmentum portionis. Includit habentes jus ad vacaturam, ſi nondum eſt deventum ad collationem.* h. d. ſecundum Domin.

Idem.

QUoniam ex conſtitutione noſtra, per quam paulo poſt promotionem noſtram ad ſummi Pontificatus apicem omnes collationes, proviſiones, reſervationes, & conceſſiones. ſuper canonicatibus, dignitatibus, perſonatibus, præbendis, officiis, portionibus, præſtimoniis, Eccleſiis parochialibus, ruralibus, & aliis quibuſcunque beneficiis Eccleſiaſticis vacaturis, quocunque nomine cenſerentur, ac etiam ſuper canonicatibus ſub expectatione dignitatum, vel aliorum quorumcunque beneficiorum ( in quibus jus non eſſet quæſitum in re, licet ad rem ) a

felicis

---

a *Nota quod executor datus ad providendum ſeu conferendum, non poteſt reſervare vel inhibere in genere, ſed in ſpecie, ſic, & rationem ponit hic Joan. And. & Innoc. in cap. cum dilectus. ſup. de jur. patron. Francus.* b *Not. primo, quod quandoque Papa ſcribit ordinario ut conferat, ſine alia executoris datione ad hoc. de reſcr. eam te. not. ſecundo argum. quod in impetratione debet fieri mentio de canonicatu & præbenda, & ſic videtur quod non ſufficeret expreſſio tantum alterius. Dom.*

a *Al. prædictum.* b *ſimiliter.* c *Mens & tenor gratiæ eſt obſervandus. ad hoc de præb. cui de non. ſupra eod. lib.*

UNED

felicis recordationis Nicolao Papa IV. & Cœleſt. V. prædeceſſoribus noſtris factas, ſive conceſſas, auctoritate Apoſtolica in fratrum noſtrorum præſentia omnino caſſavimus, irritavimus, & vacuavimus, caſſas, irritas & vacuas nunciavimus, & nullius fore decrevimus firmitatis: multæ dubitationes inſurgunt, & unde præfatæ conſtitutionis revocatoriæ proceſſit editio, interpretatio ejus quoque procedat: Præſenti declarandum duximus ſanctione, quod in illis, (qui editionis tempore ſupradictæ ultra ſtatutum numerum erant per eoſdem prædeceſſores Canonici ſub expectatione Præbendarum, vel etiam portionum) eadem conſtitutio locum habet. Si autem hujuſmodi recepti ultra numerum diſtributiones, & alia, ut Canonici de numero exiſtentes, ſic tempore dictæ revocationis habebant, quod per ceſſionem vel deceſſum illorum, qui erant intra numerum, ex vigore prioris gratiæ nil amplius aſſequi expectabant, niſi diſtributionem, ſeu partium ſuarum augmentum (cum forſan eſſet Eccleſia, in qua Canonicorum, non autem portionum numerus, vel Præbendarum diſtinctio habebatur) quantoque inter pauciores, cujuſvis Eccleſiæ dividuntur proventus, tanto majores fieri poſſunt ſingulorum percipientium portiones: ad iſtos vel eos, qui per literas facultatis [a] dictorum prædeceſſorum noſtrorum in aliquarum Eccleſiarum Canonicos erant recepti (licet Præbendas vel alia beneficia expectarent) conſtitutionem certum eſt non extendi præfatam. In illis vero, qui ultra numerum auctoritate præfata in aliquarum Eccleſiarum Canonicos jam recepti, quantum ad Capitulum, & ad chorum, ac diſtributionum perceptionem quotidianarum plenitudinem juris Canonici tunc habebant, ſed in eis dignitates, perſonatus, præbendas, portiones, vel alia beneficia, quæ dantur tantum exiſtentibus de numero, expectabant, conſtitutionem præfatam locum habere (ratione hujuſmodi expectationis) dubium non exiſtit. Sane in iis, qui ſuper canonicatibus, præbendis & dignitatibus, parochialibus vel aliis Eccleſiis ſeu beneficiis quibuſcunque a dictis prædeceſſoribus noſtris literas impetraverunt, etiamſi per executores illorum factæ fuerint reſervationes, decreti interpoſitiones, variique proceſſus, & etiamſi eadem beneficia tunc vacabant, & per impetrantes petitum fuerat ab executoribus, quod eis illa conferrent: non tamen ipſorum beneficiorum vacantium collationes tunc temporis erant factæ: locum habet conſtitutio ſupradicta, ut omnes hujuſmodi gratiæ (quarum ratione tunc non erat ad collationem proceſſum, & ſic per conſequens jus in re non fuerat ipſis impetrantibus acquiſitum) intelligantur penitus revocatæ.

## *TITULUS VIII.*

### NE SEDE VACANTE ALIQUID INNOVETUR.

### CAP. UN.

*Collatione communiter ad Epiſcopum & Capitulum pertinente, uno ipſorum effecto inhabili, alter confert.* h. d. uſque ad §. Cum vero, ſecundum Dominicum.

Bonifacius VIII. (*An.* 1298.)

SI [b] ad Epiſcopum & Capitulum communiter pertineat [c] collatio Præbendarum, mortuo Epiſcopo, vel a beneficiorum collatione ſuſpenſo, poterit Capitulum vacantes conferre Præbendas: Etiamſi Epiſcopus intereſſe habeat in collatione hujuſmodi, ut Prælatus. Idem poterit Epiſcopus, ſi Capitulum ab ipſa collatione ſuſpendi contingat, vel ſingulariter omnes in Capitulo majoris excommunicationis vinculo innodari.

*Collatione ſpectante ad Epiſcopum de conſilio, vel aſſenſu Capituli, illo exiſtente inhabili (niſi ſit in mora) non confert Capitulum.* h. d.

§. 1. Cum [a] vero ad ſolum Epiſcopum Præbendarum ſpectat collatio, cum conſilio ſui Capituli vel aſſenſu, defuncto Epiſcopo vel ſuſpenſo (niſi Epiſcopus in petenda relaxatione ſuſpenſionis hujuſmodi ſit in mora) Capitulum ſe non poteſt intromittere de eiſdem.

*Habens conferre cum conſilio Epiſcopi, ſine illo confert, morte & remota abſentia interveniente.* h. d. Dominicus.

§. 2. Ubi vero de ſpeciali alicujus Eccleſiæ conſuetudine vel ſtatuto, beneficiorum collatio ad aliquem cum conſilio Epiſcopi noſcitur pertinere: ſublato Epiſcopo de medio (cum conſilium nequeat tunc peti ab eo) non erit propter hoc vacantis beneficii collatio differenda: nec etiam ſi egerit in remotis, ita quod non poſſit ipſius præſentia in brevi haberi: Quia in petendo & expectando ejus conſilio, poſſet vacanti beneficio periculum imminere.

## *TITULUS IX.*

### DE REBUS ECCLESIÆ NON ALIENANDIS.

### CAP. I.

*Perpetua alienatio facta de rebus Eccleſia vacantis non præcedente tractatu, & ſine juſta cauſa non valet.* Joan. Andr.

Innocentius IV. (*An* 1252.)

DUdum: (*& infra*) Dictus vero Archidiaconus ex adverſo reſpondit, illas decimas illi Eccleſiæ reſtitui non debere: proferens in medium ordinationem quandam Epiſcopi Dulmen. de conſenſu Capituli ſui factam, inter alia continentem, quod idem Epiſcopus attendens proventus Archidiaconatus Dulmen. adeo fore tenues & exiles, quod non ſufficiebant ad ejus onera [b] ſupportanda, præfatas decimas Archidiaconatui memorato conceſſit: (*& infra*) Quia vero in conceſſione hujuſmodi prædicta Eccleſia (cum vacaret) legitimo caruit defenſore, qui ſibi prius ab eodem Epiſcopo debuerat deputari: Quia etiam tractatus ſolennis & diligens, qui in talibus conceſſionibus perpetuis, & alienationibus rerum Eccleſiaſticarum exigitur, non fuit habitus in eadem: ordinationem & conceſſionem ipſam (præſertim cum evidens neceſſitas quare fieri deberet, vel utilitas [c] non ſubeſſet) de fratrum noſtrorum conſilio decernimus non valere, dictas decimas ipſi Eccleſiæ, tanquam pertinentes ad eam, ſententialiter adjudicare curantes.

### CAP. II.

*Primo prohibet ſubmiſſionem Eccleſiarum, ſuorum immobilium bonorum vel jurium fieri Laicis abſque conſenſu Capituli & licentia Papæ. Secundo caſſat contractus quacunque firmitate vallatos, contra hoc de cætero faciendos. Tertio punit Prælatos contrafacientes, & Clericos non contradicentes, & Laicos, qui ipſos Prælatos ad hoc compulerunt vel compellent. Quarto præcipit Laicos per tales contractus, eo caſu, quo valent, ultra debitum non uſurpare, & pœnam apponit.* h. d. Joan. Andr.

Gre-

a *Vid. Panorm. & Felin. in c. conſtitutus. extr. de reſcr.* b *Ad intellectum hujus cap. vid. Panorm. in c. ex parte. extr. de conſt.* c *Illud dicitur communiter pertinere, quando æquale jus qualibet pars habet in actu.*

a *Ad hunc textum vide Felin. in cap. eam te. extr. de reſcript.* b *Vid cap. ad audientiam. de Eccleſ. ædif. x. q. iij. unio. alias regularis ſoli principi licet. ix. q. iij nemo. ff. de evic. Lucius. vid. Oldrad. in conſilium 160. cum 2. ſequent. hoc eod. titul.* c *Vid. Hoſtien. in ſumm. hoc eod. tit. ubi aſſignat quinque cauſas alienationis rerum Eccleſiaſticarum.*

Gregorius X. *in Concilio generali Lugdun.*

HOC conſultiſſimo prohibemus edicto, univerſos & ſingulos Prælatos Eccleſias ſibi commiſſas, bona immobilia, ſeu jura *a* ipſarum Laicis ſubmittere, ſubjicere, ſeu ſupponere, abſque Capituli ſui conſenſu & Apoſtolicæ ſedis licentia ſpeciali. Non concedendo bona ipſa vel jura in emphyteuſim, ſeu alias alienando in forma, & caſibus a jure permiſſis: ſed conſtituendo, vel recognoſcendo, ſeu profitendo ab illis ea tanquam a ſuperioribus ſe tenere: ſeu ab ipſis eadem advocando, prout in quibuſdam partibus vulgariter dicitur, avoher, vel ipſos Patronos, vel advocatos Eccleſiarum, ſeu bonorum ipſarum perpetuo, aut ad tempus non modicum ſtatuendo. Contractus autem omnes etiam juramenti, pœnæ, vel alterius cujuslibet firmitatis adjectione vallatos (quos de talibus alienationibus ſine hujuſmodi licentia & conſenſu contigerit celebrari) & quicquid ex eis ſecutum fuerit, decernimus adeo viribus omnino carere, ut nec jus aliquod tribuant, nec præſcribendi etiam cauſam pariant. Et nihilominus Prælatos, qui ſecus fecerint, ipſo facto ab officio & adminiſtratione: Clericos etiam qui ſcientes contra inhibitionem prædictam aliquid eſſe præſumptum id ſuperiori denunciare neglexerint, a perceptione beneficiorum, quæ in Eccleſia obtinent ſic gravata, triennio ſtatuimus eſſe ſuſpenſos. Laici vero, qui Prælatos vel Capitula Eccleſiarum ſeu alias perſonas Eccleſiaſticas ad ſubmiſſiones hujuſmodi faciendas hactenus compulerunt, niſi poſt competentem monitionem (remiſſa ſubmiſſione, quam per vim vel metum exegerant) Eccleſias, & bona Eccleſiaſtica eis ſubmiſſa taliter in ſua libertate dimittant: Illi vero, qui de cætero Prælatos, vel perſonas eiſdem ad talia facienda compulerint (cujuſcunque ſint conditionis, aut ſtatus) excommunicationis ſint ſententia innodati. Ex contractibus præterea ſuper præmiſſis (hujuſmodi licentia & conſenſu intervenientibus) hactenus initis, vel quos in futurum iniri contigerit, ſeu occaſione illorum: Laici ultra id, quod ex natura contractuum ipſorum, vel adhibita in illis lege permittitur, aliquid non uſurpent. Qui vero ſecus egerint (niſi legitime moniti ab hujuſmodi uſurpatione deſtiterint, reſtituendo etiam ea *b*, quæ taliter uſurparunt) eo ipſo ſententiam excommunicationis incurrant: & extunc ad ſupponendum terram ipſorum (ſi opus fuerit) Eccleſiaſtico interdicto, libere procedatur.

---

## *TITULUS X.*
## DE RERUM PERMUTATIONE.
### CAP. UN.

*Non obſtantibus expectationibus beneficiorum permutatio fieri poteſt*. Joan. Andr.

Bonifacius VIII. *Biteren. Epiſcopo* (*An.* 1269. *Romæ in Apuliam*).

LIcet *c* in tua diœceſi aliqui auctoritate Apoſtolica beneficia proximo vacatura expectent (illos tamen qui ſecundum formam juris ſui beneficia in eadem diœceſi ad tuam collationem ſpectantia permutare volentes, libere ac ſine fraude in manibus tuis ipſa reſignant: nolumus occaſione præmiſſa (æquitatem præferentes in hac parte rigori) circa faciendam permutationem beneficiorum hujuſmodi (quæ alias minime reſignaſſent) ullatenus impediri.

---

a *Vid. Bart. l. 2. in 2. col. C. ubi in rem actio. per l. ſi aliena. ff. de uſucap. Fent.* b *Dictio*, ea, *deeſt in antiquior. codic.* c *Vid. Clem 2. tit. de rer. permut. & de materia Bellamerum tract. de permutatione beneficiorum, & Dec. conſil. 141 lib. 1. incip. ad plura dubia. & conſil. 210. cap. incip. viſo puncto. l. 2.*

## *TITULUS XI.*
## DE TESTAMENTIS ET ULTIMIS VOLUNTATIBUS.
### CAP. I.

*In fideicommiſſariis ſubſtitutionibus locum habet quartarum deductio: in directis non. Et ſubſtitutiones interpretari debemus directas, dummodo conveniant verbis & perſonis inſtitutis*. Joan. Andr.

Bonifacius VIII.

SI pater *a* filium & filiam habens impuberes, & uxorem, filiam in re certa, filium vero in cæteris bonis ſuis univerſalem hæredem inſtituit, & uxori aliqua in ſuo teſtamento legavit, adjiciens, ut ſi decederet filia ſine liberis, eidem filio, & ſi ipſe abſque liberis obiret, filius præfatæ filiæ moreretur, Chriſti pauperes inſtituendo hæredes, ſi utrumque ſine liberis mori contingeret filiorum. Teſtatore mortuo, ac deinde filio ſubſequenter & filia (ſuperſtite matre) defunctis ante tempora pubertatis: abſque deductione Trebellianicæ, ſive partis jure naturæ debitæ facienda, ipſis pauperibus bona omnia deferuntur. Præmiſſæ namque ſubſtitutiones factæ de filio ad filiam, & econtra, & de illis ad pauperes, directæ debent intelligi pupillares. Cum in ſubſtitutionibus ſemper ſit interpretatio facienda (dummodo, ſicut in caſu propoſito, earum verbis & perſonis conveniat inſtitutis) ut ſubſtitutio directa intelligatur potius quam obliqua: quanquam directa interdum ad fideicommiſſum ex cauſa trahatur. Licet autem filius teſtamento ſuo matrem portione jure naturæ debita privare non poſſit, pater tamen in teſtamento, quod filio impuberi facit, poteſt: nam teſtamentum hujuſmodi pupillare paternum, vel paterni pars potius eſt cenſendum.

### CAP. II.

*Superior habet conſentire Religioſis deputatis executoribus*. hoc dicit, ſecundum Zen.

Idem.

REligioſus executor ab aliquo in ſua voluntate ultima deputatus, non poteſt (cum velle vel nolle non habeat) hujuſmodi officium ſuſcipere, vel exequi: niſi a ſuperiore ſuo petita ſuper hoc licentia & obtenta.

*Pluribus executoribus datis, uno mortuo, vel in remotis exiſtente, vel exequi nolente, unus officium executionis exercebit, ne impediatur teſtatoris voluntas: niſi aliud per teſtatorem diſponeretur*. h. d. ſecundum Zen.

§. 1. Sane pluribus a teſtatore ſimpliciter executoribus deputatis, uno eorum mortuo, vel in remotis agente, aut id exequi forte nolente: ne voluntatem teſtatoris impediri, vel nimium differri contingat: poterit alius (niſi teſtator aliud expreſſerit) officium executionis injunctæ libere adimplere.

---

## *TITULUS XII.*
## DE SEPULTURIS.
### CAP. I.

*Hic prohibetur pactum de ſepultura eligenda. Non obſtante pacto de ſepultura eligenda, vel electa non mutanda, ſepeliendus eſt quis, ubi alias erat de jure ſepeliendus, & alias ſepultus cum omnibus ſepulturæ obventibus reſtituendus eſt, alias pœna incurritur hic contenta*. h. d. ſecundum Zen.

Bonifacius VIII. (*An.* 1298.)

ANimarum periculis & ſcandalis, quæ frequenter ex his proveniunt, obviare volentes, univerſis Religioſis & ſecularibus Clericis cujuſcunque ſtatus, vel

---

a *De materia huius cap. præter doctores hic vide interpretes in cap. Rainutius. ext. de teſt. & in l. precibus. C. de impub. & aliis ſubſt. & alibi.*

UNED

vel conditionis exiſtant *a*, in virtute ſanctæ obedientiæ, ac ſub interminatione maledictionis æternæ, diſtrictiſſime prohibemus: ne aliquos ad vovendum, jurandum, vel fide interpoſita, ſeu alias promittendum inducant, ut apud eorum Eccleſias ſepulturam eligant, vel jam electam ulterius non immutent. Nos enim (ſi ſecus actum fuerit) electionem talem decernimus nullius penitus exiſtere firmitatis. Statuentes, ut hi, qui ſic elegerint, nec apud ſic electas Eccleſias ullatenus ſepeliri, nec alibi, (ne contra votum, juramentum aut promiſſum hujuſmodi a ſe factum materiam habeant veniendi) poſſint eligere ſepulturam: ſed contradictione quacunque ceſſante, ſepeliantur omnino apud illas Eccleſias, apud quas ſepeliendi de jure fuiſſent, ſi alias ſepultura non electa forſitan deceſſiſſent. Si vero iidem Religioſi vel Clerici prædictos in ſuis Eccleſiis vel cœmeteriis præſumpſerint ſepelire, ad reſtitutionem tam ſepultorum corporum (ſi petantur) quam etiam omnium, quæ occaſione ſepulturæ illorum pervenerint quomodolibet ad eoſdem, intra decendium integraliter faciendam ipſos obligatos eſſe cenſemus. Quam niſi fecerint, Eccleſiæ ipſæ, apud quas ſepulti fuerint, necnon & cœmeteria earundem extunc eo ipſo ſint, & tamdiu maneant Eccleſiaſtico ſuppoſita interdicto, donec ab eis facta fuerit reſtitutio plenaria omnium prædictorum.

## CAP. II.

*Eccleſiæ dimiſſæ non debetur canonica portio, ſed parochiali: & pluribus ſi ſunt plures.*

Idem.

CUM *b* quis, cujus majores ſunt ſoliti ab antiquo in aliqua Eccleſia ſepeliri, ea dimiſſa eligit alibi ſepulturam, canonica portio dimiſſæ non debetur Eccleſiæ, ſed illi duntaxat, in qua ille officia conſuevit audire divina, & Eccleſiaſtica recipere ſacramenta. Cum ab eo, qui duo habet domicilia, ſe collocans æqualiter in utroque, in loco tertio eligitur ſepultura, domiciliorum Eccleſiæ habebunt inter ſe *c* dividere canonicam portionem.

*In loco etiam minus religioſo poteſt nova eligi ſepultura.* h. d. ſecundum Zen.

§. 1. Si quis antiqua dimiſſa novam etiam in loco minus religioſo elegerit ſepulturam: electionem hujuſmodi (licet jura ſuper hoc videantur eſſe diverſa) nequaquam volumus impugnari.

## CAP. III.

*Translatio perſonæ ad certum locum facta ad tempus, Eccleſiæ jus ſepulturæ non aufert.* h. d. ſecundum Zen.

Idem.

IS *d*, qui habens domicilium in civitate vel caſtro, quandoque ad villam ruralem ſe transfert recreationis cauſa, vel ut ruralia exerceat in eadem, ſi non electa ſepultura decedat ibidem, non in Eccleſia dictæ villæ, ſed in ſua parochiali, vel in ea potius, in qua Majorum ipſius ab antiquo ſepultura extitit, ſepeliri debebit: Dummodo abſque periculo ad ipſam valeat deportari.

*Mulier mortua, quæ pluribus nupſit, cum viro ultimo ſepelitur.* h. d.

§. 1. Mulier autem, quæ plures viros habuit ſucceſſive, ſi ſepulturam non eligat, eſt cum viro ultimo, cujus domicilium retinet & honorem *e*, tumulanda.

a Vid. cap. 2. de maj. & obed. 8. q. 4. *ſciendum.* & Bal. in lib. 1. C. de *ſacroſanct. Eccleſ.* b Vid. Concil. Trident. ſeſſ. 25. de reform. cap. 13. & Cardinal. conſil. 90. incip. Epiſc. Feltren. c Vid. Bart. in l. hoc artic. ff. de hær. inſt. Angel. de ag. ſucceſſorib. §. proxim. Font. d Vid. Conradum Brunum lib. 4. de ceremon. cap. 4. circa finem. e Vid. Abbatem in cap. ſuper eo ext. de teſtib.

## CAP. IV.

*Ex conſuetudine poteſt pater impuberi eligere ſepulturam: pubes autem eligit per ſeipſum.* & h. d. ſecundum Zen. *quoad titulum, ſed non quoad textum: unde poſſet addi: Et pro anima non legat, ſine aſſenſu patris bona non caſtrenſia.* Dom.

Idem *In eodem.* a

LIcet *b*, pater minores filios, qui nequeunt, antequam ad annos pubertatis perveniant, eligere ſepulturam, poſſit (ſi conſuetudo terræ id habeat) quo voluerit ſepelire: hoc tamen non poteſt, ubi conſuetudo hujuſmodi non habetur, ſed ſunt cum ſuis Majoribus, vel in parochiali Eccleſia tumulandi. Quamvis autem filiusfamilias abſque patris aſſenſu ſibi poſſit libere eligere ſepulturam, pro anima tamen ſua *c* præter ipſius aſſenſum (niſi peculium caſtrenſe, aut quaſi caſtrenſe habeat) aliquid judicare non poteſt.

## CAP. V.

*Religioſi, niſi multum remoti a monaſterio, nequeunt alibi eligere ſepulturam.* h. d. ſecundum intellectum Zen.

Idem *in eodem.*

REligioſi, niſi a propriis monaſteriis adeo forſitan ſint remoti, quod ad ea cum moriuntur commode portari non poſſint, nequeunt (cum velle vel nolle non habeant) ſibi eligere ſepulturam: ſed ſunt apud ſua monaſteria tumulandi.

# *TITULUS XIII.* DE DECIMIS, PRIMITIIS ET OBLATIONIBUS.

## CAP. I.

*Populus, ut Eccleſiis jura debita perſolvat, eſt in prædicationibus & aliis exhortandus.* h. d. ſecundum Zen.

Gregorius IX. *Fratribus Prædicatoribus & Minoribus.* (*An. 1236. Romæ*).

DIſcretioni *d* veſtræ mandamus, diſtrictius inhibentes, ne talia, quæ audientes a decimarum, ſeu aliarum rerum Eccleſiis debitarum ſolutione retrahant, vel alias animas corrumpant audientium, in ſermonibus veſtris, vel alibi proponere de cætero præſumatis. Imo verbo & opere informetis eoſdem, ut ad ſolutionem prædictorum promptæ voluntatis animo ſint intenti.

## CAP. II.

*Privilegium decimas novalium concedens, non includit decimas novalium per alios poſſeſſas tempore impetrationis: & loca tantum includit, ubi percipiebantur antiqua, & ad portionem antiquam.* h. d. uſque ad §. ſtatuimus. ſecundum Domin

Alexander IV. (*An. 1258. Romæ*).

STatuto perpetuo declaramus, quod indultum illud Apoſtolicum (quod pleriſque conceditur) ut novalium decimas pro ea portione percipere valeant, qua veteres eos contingunt, ad illas novalium decimas (quas tempore illo, quo impetratum vel obtentum extitit hoc indultum, alii *e* poſſidebant, cum de hoc in ipſo mentio nulla fiat) nullatenus ſe extendit: nec ad alias etiam, niſi in his tantum locis, ubi veteres tunc (quando dictum indultum impetratum fuit) ipſi impetratores habebant, & pro ea ſolummodo portione, qua ipſi tempore impetrationis hujuſmodi percipiebant antiquas.

*Privilegium decimarum novalium limitatum ad menſuram antiquarum, non poteſt ultra dimidiam includere: fallit in Ciſtercienſibus & Carthuſienſibus.* h. d.

§. 1.

a *Hac duo verba*, in eodem, *deſunt in antiq. codicib.* b Vid. Antonium de Butrio in cap. de uxore. extr. de ſepulturis. c Vid. Bart. in l. qui in poteſtate. ff. de teſtament. Font. d Vid. Conc. Trident. ſeſſ. 26. de reform. c. 12. & B. Thom. 2. 2. quæſt. 87. art. 1. e Vid. l. impuberi. ff. de admin. tut.



UNED

§. 1. Statuimus præterea, quod idem indultum obtentum ab iis, qui tempore impetrationis totaliter veteres percipiebant decimas, ut ultra medietatem decimarum novalium nullatenus extendatur: quia non eſt veriſimile, ſi tunc de plena & integra perceptione veterum fuiſſet expreſſum, quod Apoſtolica ſedes pariter & ſimiliter novalium decimas, in tam grave parochialium Eccleſiarum diſpendium indulſiſſet, quodque ratione talis indulti ſive impetrati jam, ſive impetrandi deinceps, non poſſit in novalibus (quæ amodo fient) vendicari & acquiri vel percipi, plus quam medietas decimarum ipſorum novalium: etiamſi amplius in veteribus habebatur, cum non ſit dicendum aſperum, ſed pium potius & benignum, ſi ſuper decimis futurorum novalium contra parochialium Eccleſiarum gravamen (quod ex diſtinctione *a* indulti hujuſmodi poſſit accidere) taliter obviatur. Religioſos tamen Ciſtercien. & Carthuſienſ. ordinum ſtatuto & declaratione hujuſmodi (quantum ad hos duos articulos, videlicet de medietate decimarum novalium) comprehendi nolumus, vel conſtringi.

*Privilegiati ſuper decimis recipiendis, Eccleſiis parochialibus gratis aſſignare debent portionem pro debitis oneribus ſupportandis.* h. d. Dominicus.

§. 2. Ubi autem per hujuſmodi conceſſiones decimarum parochiales Eccleſias adeo gravari contingit, quod earum Rectores de ipſarum reditibus congrue ſuſtentari, & commode jura Epiſcopalia exhibere non poſſunt: provideatur per locorum ordinarios, & ordinetur taliter, quod eiſdem Rectoribus tantum de illarum relinquatur proventibus, quod exinde competentem ſuſtentationem habere *b*, & Epiſcopalia jura ſolvere valeant, aliaque onera debita ſupportare.

*Decimæ per Laicos ante Lateranenſe Concilium in feudum receptæ a Religioſis, per eos recognitæ in feudum, non poſſunt ipſis Religioſis concedi, ſine diœceſanorum conſenſu.* h. d. Dominicus.

§. 3 Sane quamvis forte a Religioſis exemptis & aliis fiant infeudationes de decimis detentis a Laicis, & iidem Laici, quod illas ab ipſis Religioſis in feudum teneant, recognoſcant, non tamen licet Religioſis eiſdem poſt talem infeudationem, vel recognitionem ſic de facto præſumptam, hujuſmodi decimas de manibus Laicorum ipſorum acquirere, vel recipere abſque diœceſanorum Epiſcoporum aſſenſu. Illas autem decimas intelligimus poſſe taliter a Religioſis de manibus Laicorum recipi vel acquiri, quæ ante Lateran. *c* Concilium ipſis Laicis in feudum perpetuo fuere conceſſæ.

*Diœceſani compellunt Religioſos exemptos ſolvere decimas parochialibus Eccleſiis, ſi non agatur de rebus exemptis.* h. d. Dominicus.

§. 4. Diœceſani vero parochialium Eccleſiarum, ad requiſitionem Rectorum earundem, de ipſis Religioſis ſuper decimis, quas habent, vel eos habere continget, quæ quidem alias ad ipſas ſpectaverunt Eccleſias (niſi de rebus exemptis agatur) exhibeant juſtitiæ complementum.

*Religioſi etiam exempti de poſſeſſionibus acquiſitis, & acquirendis Eccleſiis parochialibus ſolvere debent decimas, ſi privilegiati non ſunt.* h. d. Dominicus.

§. 5. Cæterum iidem Religioſi, tam exempti quam non exempti de terris & poſſeſſionibus acquiſitis hactenus & amodo acquirendis, decimas integre ſolvant illis Eccleſiis, quibus eædem poſſeſſiones & terræ prius fuerant decimales, niſi ſuper hoc ſpeciali jure vel privilegio ſint muniti.

*Ex donatione Laicorum habentes decimas antiquas, novales ſupervenientes in eodem loco non percipiunt.* h. d. Dom.

§. 6. Nec pro eo, quod forte in aliquibus parochiis omnes majores decimas, ſeu partem illarum acquirunt de manibus Laicorum, poſſunt pro eadem vel ſimili portione (ſi de novo poſtmodum fiant novalia) in eiſdem petere, vel percipere novalium decimas eorundem: niſi alia rationabilis, per quam hoc facere valeant, cauſa ſubſit.

a alit. Diſtrictione. b Ad hac vide l. in condemnatione. l. inter eos. ff. de regul. jur. Font. c Hoſt eſt Concilium Later. ſub Alexand. III. cap. 9

## TITULUS XVI.
## DE REGULARIBUS *a* ET TRANSEUNTIBUS AD RELIGIONEM.

### CAP. I.

*Si minor XIV. annis ingreditur religionem, in XV. anno liber exit: niſi in ipſo XV. anno profeſſionem fecerit, vel habitum profeſſorum receperit, vel expreſſe ratam habuerit profeſſionem prius a ſe factam. Si autem per totum XV. annum portavit habitum, ubi non eſt diſtinctus, intelligitur profeſſus: niſi tanta ſit indiſtinctio, quod viventes cum eis ſimili habitu induantur. Si major XIV. annis ingreditur, ſi portat habitum per annum, quantumcunque ſit indiſtinctus, intelligitur profeſſus.* Joan. Andr.

Innocentius IV. (*An.* 1252.)

IS *b*, qui monaſterium ante XIV. annum, ut Monachus efficiatur, ingreditur, niſi eo completo profeſſionem faciat in ſequenti, vel habitum religionis ſuſcipiat, qui dari profitentibus conſuevit, ſeu profeſſionem a ſe prius factam ratam expreſſe habeat, libere poteſt intra *c* ſequentem annum ad ſeculum remeare. Quod ſi per totum ſequentem annum in monaſterio permanſerit, ubi Profeſſorum & Novitiorum ſunt habitus indiſtincti, profeſſionem per hoc feciſſe, vel ſi quam prius fecerat, ratam habuiſſe videtur: niſi tanta indiſtinctio ibi habitus habeatur, quod & Profeſſi & Novitii, ac etiam alii communem vitam cum eis ducentes, ſimili penitus habitu induantur. Qui vero poſt quartum decimum annum habitum religionis aſſumpſerit, ſi per annum illum geſtaverit, extunc religionem aſſumptam præſumitur veraciter eſſe profeſſus, ubi profeſſi a Novitiis diſſimilitudine habitus minime diſtinguuntur, etiamſi alii degentes cum eis ſimilibus veſtibus contantur: quoniam cum jam hic ad diſcretionis annos pervenerit, quid agat agnoſcit: & ideo ſuſceptum diſcretionis tempore ordinem (poſtquam hunc anni probaverit ſpatio) intelligitur firmiter approbaſſe. Secus autem in illo, qui ante diſcretionis annos habitum induit regularem: cum eorum, quæ tunc agit, plenum non habeat intellectum.

*Hic declarat, qui ſunt habitus diſtincti.* h. d.

§. 1. Diſtinctos *d* quoque ſeu diſſimiles intelligimus eſſe habitus, ſive Novitiis, ſive Profeſſis diſſimiles veſtes dentur: ſive benedicantur, cum profitentibus conceduntur: ſive etiam aliquid aliud fiat, per quod Novitiorum a profeſſorum habitu diſcernatur.

### CAP. II.

*Prædicatores & Minores intra annum probationis quemquam ad ſui ordinis profeſſionem recipere non poſſunt: quod ſi fecerint, receptus alligatus non eſt eorum ordini, & ipſi a receptione profeſſionis aliorum ſunt ſuſpenſi, & puniendi pœna, quæ pro gravioribus culpis eis conſuevit inſligi.* Joan. Andr.

Alc-

a *De materia hujus tituli vide quæ noviſſime ſancivit Concil. Tridentinum ſeſſ. 25. tit. de Regul. & Monialibus.* b *Vid. Concil. Tridentinum ſeſſ. 25. titul. de Regul. & Monialib. capit. 15. ubi de tempore profeſſionis aliud quam hic ſtatuitur.* c *In antiq. cod. conſtanter legitur ita, infra ipſum ſequentem annum, &c.* d *De materia hujus §. vid. Clem. eos qui. tit. de regul. & ibi late Zabarellam, Imolam & alios.*

UNED

Alexander IV. *Fratribus Prædicatoribus & Minoribus.* ( *an.* 1260. )

NOn ſolum *a*: ( *&* j. ) Licet zelum animarum habentes eas lucrari Domino ſolicite cupiatis, quia tamen decet & expedit, ut conſcientiæ puritati non deſit judicium rationis, ne unde ſpiritualis profectus quæritur, ſalutis diſpendium ſubſequatur: vobis de fratrum noſtrorum conſilio in virtute obedientiæ, & ſub pœna excommunicationis auctoritate præſentium diſtrictius inhibemus, ne ante annum probationis elapſum ( qui eſt maxime in ſubſidium fragilitatis humanæ regulariter inſtitutus ) quenquam ad profeſſionem veſtri ordinis ſeu renunciationem in ſeculo faciendam recipere, nec conſtitutum infra hujuſmodi annum aliquatenus impedire, quo minus intra ipſum ad aliam religionem, quam maluerit, tranſeat: vel ( niſi major tamen quatuordecim annis exiſtens, profeſſus ſit tacite, vel expreſſe, aut evidenter conſtet illum vitam voluiſſe mutare: quod tamen non præſumitur, niſi clara probatione, vel competentibus indiciis oſtendatur ) omnino ad ſeculum redeat, ſicut de ſua voluntate proceſſerit, præſumatis. Quod ſi forte contra hanc noſtram prohibitionem quenquam recipere præſumpſeritis, decernimus eum ( qui taliter receptus fuerit ) nullatenus veſtro eſſe ordini alligatum, voſque a receptione quorumlibet ad profeſſionem ejuſdem ordinis fore ipſo facto ſuſpenſos, & inſuper pœnæ ſubjiciendos, quæ fratribus ipſius ordinis pro culpis infligi gravioribus conſuevit.

### C A P. III.

*Decretalis: Non ſolum, extenditur ad omnes Mendicantes: in aliis vero profeſſio expreſſa religioni, cui fit: tacita autem generaliter obligat intra annum.* h. d. ſecundum Zen.

Bonifacius VIII. ( *an.* 1298. )

COnſtitutionem *b* Innocentianam, quæ prohibet Converſorum profeſſionem recipi ante annum probationis elapſum, piæ memoriæ Alexander Papa IV. Prædeceſſor noſter ad fratrum Prædicatorum & Minorum ordines duntaxat declaravit extendi: Unde nos pari ſimilitudine rationis inducti, declarationem eandem ad aliorum mendicantium ordines prorogamus. In aliis autem religionibus profeſſio expreſſe vel tacite fieri poteſt licite intra annum. Sed expreſſe emiſſa ( etiam ſeculari habitu non mutato ) illi religioni, præciſe obligat, quam profitens eſt profeſſus. Tacite vero facta intra probationis annum per ſuſceptionem habitus ( qui profitentibus tantum datur ) non illi ſpecialiter, cujus habitus eſt ſuſceptus, ſed generaliter religioni alicui recipientem obligat, ſi ætatis aptæ, ſi ſciens & voluntarius, ac triduo perſeveret.

### C A P. IV.

*Beneficium ingredientis religionem intra annum probationis ( exceptis caſibus hic expreſſis ) non eſt alteri conferendum: interim tamen debebit per alium beneficio deſerviri, aſſignata eidem ſubſtituto congrua portione, unde vivere poſſit.* h. d. Joan. de Fan.

Idem *Pariſienſi Capitulo.*

BEneficium *d* illius, qui religionem ingreditur, non eſt intra probationis annum alicui conferendum: Niſi ad id ipſius accedat aſſenſus *e*, aut conſtet, quod vitam voluerit abſolute mutare, vel profeſſionem expreſſam fecerit, ſeu ſcienter habitum receperit profeſſorum. Sed interim eidem beneficio per alium deſerviri debebit, aſſignata ſibi congrua de ipſius proventibus portione.

### C A P. V.

*Secundum votum ſolenne religionis, derogat priori ſimplici.* h. d. Joan. de Fan.

Idem.

QUi *a* poſt votum a ſe de certa religione intranda emiſſum, religionem aliam etiam laxiorem ingreditur & profitetur in ipſa: poteſt ( voto non obſtante priori, cui tanquam ſimplici per ſecundum ſolenne noſcitur derogatum ) manere licite in eadem. Pro voto tamen non completo, erit eidem pœnitentia imponenda.

### C A P. VI.

*Vacante monaſterio Conventus novum recipit Monachum, ſi communiter ad Abbatem, et eos ſpectat: ſi ad Abbatem ſolum, ſecus.* h. d. Dominicus.

Idem.

SI ad ſolum Abbatem pertineat creatio Monachorum, eo defuncto nequibit novus Monachus a Conventu creari: Alias poterit, ſi eorum creatio ſpectat inſimul ad utrumque.

---

## *TITULUS XV.*
## DE VOTO ET VOTI REDEMPTIONE.

### C A P. UN.

*Votum ſolennizatum per ſuſceptionem ſacri ordinis, vel per profeſſionem factam alicui de religionibus per ſedem Apoſtolicam, approbatis, dirimit matrimonium poſt contractum: alias ſolum impedit, et non dirimit.* h. d. ſecundum Zen.

Bonifacius VIII. *Bitiricen. Epiſcopo.* ( *an.* 1298. *Romæ.* )

QUod *b* votum debeat dici ſolenne, ac ad dirimendum matrimonium efficax, nos conſulere voluiſti: Nos igitur attendentes, quod voti ſolennitatex ſola conſtitutione Eccleſiæ eſt inventa: matrimonis vero vinculum ab ipſo Eccleſiæ capite rerum omnium conditore, ipſum in paradiſo & in ſtatu innocentiæ inſtituente, unionem & indiſſolubilitatem acceperit: Præſentis declarandum duximus oraculo ſanctionis, illud ſolum votum debere dici ſolenne, quantum ad poſt contractum matrimonium dirimendum, quod ſolennizatum fuerit per ſuſceptionem ſacri ordinis; Aut per profeſſionem expreſſam vel tacitam factam alicui de religionibus per ſedem Apoſtolicam approbatis. Reliqua vero vota, etſi quandoque matrimonium impediant contrahendum, & quanto manifeſtius ſunt emiſſa, tanto propter plurimum ſcandalum, & exemplum durior pœnitentia tranſgreſſoribus debeatur: non tamen reſcindere poſſunt matrimonia poſt contracta.

---

## *TITULUS XVI.*
## DE STATU REGULARIUM.

### C A P. UN.

*Moniales tacite vel expreſſe profeſſæ, clauſuras monaſterii exire non poſſunt, nec alii ad illas intrare: niſi cauſa legitima et ſuperioris licentia interveniat.* h. d.

Bonifaciuus VIII. ( *an.* 1298. )

PEriculoſo & *c* deteſtabili quarundam Monialium ſtatui ( quæ honeſtatis laxatis habenis, & monachali modeſtia ſexuſque verecundia impudenter abjectis, extra ſua monaſteria, nonnunquam per habita-

---

a *Vid. omnino, quod ſancivit noviſſime Concil. Trident. circa profeſſionem emittendam, ſeſſ. 25. tit. de Regul. & Monialibus. c. 25.* b *Hic quoque tenendum, quod ſancivit Concil. Trident. ſeſſ. 25. de Regul. & Monialibus, c. 15.* c *Vid. l. precibus. Cod. de impub. et aliis ſubſtit.* d *Vid. Concil. Trident. Seſſ. 23 de reform. cap.* 1. e *al. conſenſus.*

a *Vid. B. Thom.* 2. 2. *qu.* 88. *art.* 3. *et qu.* 189. *art.* 4. *et* 8. b *Vid. B. Thom. et ibidem Cajetanum* 2. 2. *qu.* 88. *art.* 7. c *Innuit, quod Moniales corrumpuntur: et an talibus ac iis, qui publice volunt, ſit dandum corpus Chriſti gl.* 1. *de filia* 27. *qu.* 1. *vid. Doct. in l. ſiquis non dicam rapere. C. de Epiſc. et Cler. Font.*

UNED

bitacula ſecularium perſonarum diſcurrunt, & frequenter inter eadem monaſteria perſonas ſuſpectas admittunt in illius, cui ſuam integritatem voluntate ſpontanea devoverunt, gravem a offenſam, religionis opprobrium & ſcandalum plurimorum) providere ſalubriter cupientes: præſenti conſtitutione perpetuo irrefragabiliter valitura ſancimus univerſas & ſingulas Moniales, præſentes atque futuras, cujuſcunque religionis ſint vel ordinis, in quibuslibet mundi partibus exiſtentes, ſub perpetua in ſuis monaſteriis debere de cætero permanere clauſura: ita, quod nulli earum religionem tacite vel expreſſe profeſſæ, ſit vel eſſe valeat quacunque ratione vel cauſa (niſi forte tamen & tali morbo evidenter earum aliquam laborare conſtaret, quod non poſſet cum aliis abſque gravi periculo ſeu ſcandalo commorari) monaſteria ipſa deinceps egrediendi facultas: nullique aliquatenus inhoneſtæ perſonæ nec etiam honeſtæ (niſi rationabilis & manifeſta cauſa exiſtat, ac de illius, ad quem pertinuerit, ſpeciali licentia) ingreſſus, vel acceſſus pateat ad eaſdem: ut ſic a publicis & mundanis conſpectibus ſeparatæ, omnino ſervire Deo valeant liberius, & laſciviendi opportunitate ſublata, eidem corda ſua & corpora in omni ſanctimonia diligentius cuſtodire.

*In monaſterio non Mendicantium tot ſorores debent recipi, quot poterunt ſine penuria ſuſtentari, & ultra non valet receptio.* hoc dicit, Dominicus.

§. 1. Sane, ut hoc ſalutare ſtatutum commodius valeat obſervari, diſtrictius inhibemus, ne in monaſteriis ordinum non mendicantium aliquæ recipiantur de cætero in ſorores, niſi quot poterunt, de ipſorum monaſteriorum bonis, ſive proventibus abſque penuria ſuſtentari: ſi ſecus actum fuerit, irritum decernentes.

*Abbatiſſa Principibus ſecularibus, ad fidelitatis ſacramentum præſtandum adſtrictæ, ſi non poſſunt per procuratorem jurare, perſonaliter exeundo monaſterium jurabant s abſque dilatione ad monaſterium rediture.* Domin.

§. 2. Verum quando Abbatiſſa vel Prioriſſa cujuſvis monaſterii pro feudo, quod monaſterium ipſum tenet ab aliquo Principe, ſeu domino temporali, ſibi debebit homagium, vel fidelitatis ſacramentum præſtare (niſi quod per procuratorem illud præſter, poſſit efficere apud eum) de monaſterio cum honeſta & decenti ſocietate exire poterit eo caſu licenter, homagio facto, quam primum commode poterit, ſeu fidelitatis præſtito ſacramento ad ipſum monaſterium e veſtigio reverſura: ſic quod in fraudem reſidentiæ, ſive moræ clauſtralis, nihil fiat omnino.

*Compelluntur domini temporales per cenſuram Eccleſiaſticam, ut in ſuis curiis admittant Abbatiſſas per procuratores litigare: Eccleſiaſtici vero in temporalibus & ſpiritualibus earum procuratores admittere debent.* Domin.

§. 3. Porro, ne Moniales cauſam, ſeu occaſionem habeant evagandi, Principes ſeculares, ac alios dominos temporales rogamus, requirimus & obſecramus *b* per viſcera miſericordiæ Jeſu Chriſti, eiſdem in remiſſionem peccaminum nihilominus ſuadentes, quod Abbatiſſas ipſas, & Prioriſſas, ac Moniales quaſcunque, monaſteriorum ſuorum curam, adminiſtrationem, negotiave gerentes, quibuſcunque nominibus cenſeantur, per procuratores in ſuis tribunalibus ſeu curiis litigare permittant: ne pro conſtituendis procuratoribus (qui adornati in aliquibus partibus nuncupantur) ſeu aliis hujuſmodi, eaſdem oporteat evagari. Si qui vero contra præſumpſerint, exhortationi hujuſmodi rationabili, atque ſanctæ obtemperare nolentes, cum ſit juri contrarium, quod mulieres (præſertim religioſæ) per ſeipſas litigare cogantur, & a via deviet honeſtatis, & periculum animarum inducat, ab hoc per ſuos ordinarios Eccleſiaſticos *a* cenſura Eccleſiaſtica compellantur. Epiſcopis autem, & aliis Prælatis ſuperioribus & inferioribus quibuſcunque injungimus, quod & ipſi cauſas ſeu negotia, quæ præfatæ Moniales habebunt agere coram ipſis, aut in curiis eorundem, ſive ſint homagia, fidelitatis ſacramenta, lites, vel quicquid aliud, ipſa per procuratores earum fieri faciant & tractari.

*Ordinarii locorum, in ſubiectis monaſteriis propria, in exemptis Apoſtolica auctoritate clauſuram procurare debent: nec eſt propter hoc in aliis caſibus juriſdictio in exemptos eis attributa.* h d. Dominicus.

§ 4. Et quoniam parum eſſet condere jura, niſi eſſent qui ea executioni debitæ demandarent, Patriarchis, Primatibus, Archiepiſcopis, & Epiſcopis univerſis diſtricte in virtute ſanctæ obedientiæ, ſub obteſtatione divini Judicii & interminatione maledictionis æternæ, præcipiendo mandamus, quatenus eorum quilibet in civitate ac diœceſi propria, in monaſteriis Monialium ſibi ordinario jure ſubjectis, ſua, in iis vero, quæ ad Romanam immediate ſpectant Eccleſiam, ſedis Apoſtolicæ auctoritate: Abbates vero & alii, tam exempti, quam non exempti Prælati Eccleſiarum, monaſteriorum & ordinum quorumcunque, in monaſteriis hujuſmodi ſibi ſubjectis, de clauſura convenienti, ubi non eſt, ipſorum monaſteriorum expenſis & fidelium eleemoſynis, quas ad hoc procurent, diligentius facienda, & de ipſis Monialibus includendis, quam primum commode poterunt, providere procurent, ſi divinæ, ac noſtræ indignationis voluerint acrimoniam evitare: contradictores atque rebelles per cenſuram Eccleſiaſticam appellatione poſtpoſita compeſcendo: invocato ad hoc (ſi opus fuerit) auxilio brachii ſecularis. Per hoc autem in monaſteriis exemptis ordinarii locorum, quoad alia nullam ſibi credant juriſdictionem vel poteſtatem aliquatenus attributam.

## *TITULUS XVII.*
## DE RELIGIOSIS DOMIBUS.
### CAP. UN.

*Non licet novum ordinem vel religionem, aut habitum novæ religionis creare & aſſumere. Et revocati ſunt ordines mendicantium per Papam non approbati, creati poſt Concilium.* Dominicus.

Gregorius X. *in Concilio generali Lugdunenſi.*

*(an. 1273.)*

Religionum diverſitatem nimiam (ne confuſionem induceret) generale Concilium *b* conſulta prohibitione vetavit *c*. Sed quia non ſolum importuna petentium inhiatio illarum poſtmodum multiplicationem extorſit, verum etiam aliquorum præſumptuoſa temeritas diverſorum ordinum, præcipue Mendicantium (quorum nondum approbationis meruere principium) effrenatam quaſi multitudinem adinvenit: repetita conſtitutione diſtrictius inhibentes, ne aliquis de cætero novum ordinem aut religionem adinveniat, vel habitum novæ religionis aſſumat: Cunctas *d* affatim religiones & ordines mendicantes poſt dictum Concilium adinventos, qui nullam confirmationem ſedis Apoſtolicæ meruerunt, perpetuæ prohibitioni ſubjicimus, & quatenus proceſſerant *e*, revocamus.

*Religioſi*

a *Aliter autem hic legitur gravamen, offenſam & religionis.* b *Not. Dom. & Phil. quod verba rogativa in materia præcepti ſtant preceptive. gloſſ. 11. quæſt. 3. c. rogo. not. in l. age C. de tranſact. de quo vide Tiraquell. tract. de pœnis temperandis aut remittend. cauſa 35.*

a *Vid. gloſſ. 11 q 3. c. rogo. not. in l. age. C. de tranſ.* b *Conc. Later. ſub Innocent. III. cap. 13.* c *al. vitavit.* d *In antiq. cod. ut plurimum legitur ita: cunctas affatim religiones & ordines, &c. quidam manuſcriptus habet ita: cunctos affatim religioſos & ordines mendicantium.* e *al. proceſſerunt.*

UNED

*Religioſi Mendicantes, per Papam poſt Concilium approbati, & inſtituti, non poſſunt aliquem ad profeſſionem recipere, domum vel locum de novo acquirere, nec acquiſita ſine licentia alienare, nec extraneis prædicare, confeſſiones eorum audire, vel ad ſepulturam admittere. Et contra factum non tenet, & contra faciens, excommunicatus eſt*. h. d. Dominic.

§. 1. Confirmatos autem per ſedem eandem, poſt idem tamen Concilium inſtitutos, quibus ad congruam ſuſtentationem reditus aut poſſeſſiones habere profeſſio ſive regula quælibet interdicunt, ſed per quæſtum publicum tribuere victum ſolet incerta mendicitas: modo decernimus ſubſiſtere infra ſcripto, ut videlicet profeſſoribus eorundem ordinum ita liceat in illis remanere, ſi velint, quod nullum deinceps ad eorum profeſſionem admittant, nec de novo domum vel aliquem locum acquirant, nec domus ſeu loca, quæ habent, alienare valeant ſine ſedis ejuſdem licentia ſpeciali. Nos enim ea diſpoſitioni ſedis Apoſtolicæ reſervamus in terræ ſanctæ ſubſidium, vel pauperum vel alios pios uſus per locorum ordinarios, vel eos, quibus ſedes ipſa commiſerit, convertenda. Si vero ſecus præſumptum fuerit, nec perſonarum receptio, nec domorum vel locorum acquiſitio, aut ipſorum, cæterorumque bonorum alienatio valeat, & nihilominus contrarium facientes ſententiam excommunicationis incurrant. Perſonis quoque ipſorum ordinum omnino interdicimus, quoad extraneos, prædicationis & audiendæ confeſſionis officium, aut *a* etiam ſepulturam.

*Revocatio Ordinum Mendicantium, Prædicatores, Minores, Eremitanos, & Carmelitas non comprehendit*. hoc dicit, Dominicus.

§. 2. Sane ad Prædicatorum & Minorum ordines (quos evidens ex eis utilitas Eccleſiæ univerſali provenicns perhibet approbatos) præſentem non patimur conſtitutionem extendi. Cæterum Eremitarum ſancti Auguſtini, & Carmelitarum ordines, quorum inſtitutio dictum Concilium generale præceſſit, in ſolido ſtatu volumus permanere.

*Exiſtens de ordinibus revocatis, non collegialiter, ſed ſingulariter ad alios ordines tranſire poteſt*. hoc dicit. Dominicus.

§ 1. Ad hæc perſonis ordinum, ad quos conſtitutio præſens extenditur, tranſeundi ad reliquos ordines approbatos licentiam concedimus generalem: ita quod nullus ordo ad alium, vel Conventus ad Conventum ſe ac loca ſua totaliter transferat *b*, ſedis ejuſdem ſuper hoc permiſſione ſpecialiter non obtenta.

## *TITULUS XVIII.*

## DE CAPELLIS MONACHORUM.

### CAP. UN.

*Inſtituti in Eccleſiis Monachorum ad curam populi per Epiſcopum ad ipſorum præſentationem, per eundem (ſi cauſa ſubſit) ſunt deſtituendi*. h. d. Dominicus.

Bonifacius VIII. (*an.* 1298.)

PResbyteri qui ad curam populi per Monachos in eorum Eccleſiis præſentantur Epiſcopis, & inſtituuntur ab ipſis: (cum debeant eſſe perpetui *c*) conſuetudine vel ſtatuto quovis contrario non obſtante, ab eiſdem nequeunt Eccleſiis (niſi per Epiſcopos, & ex cauſa rationablli) amoveri.

## *TITULUS XIX.*

## DE JURE PATRONATUS. *a*

### CAP. UN.

*Donatio juris patronatus Laici facta loco Eccleſiaſtico, etiam ſine conſenſu Epiſcopi, tenet: non tamen præjudicat juri Epiſcopi*. h. d. Dominicus.

Bonifacius VIII. (*an.* 1298.)

SI Laicus jus patronatus Eccleſiæ ſibi competens eidem vel alteri Eccleſiæ ſeu loco religioſo duxerit conferendum, hujuſmodi collatio (quamvis abſque aſſenſu Epiſcopi facta fuerit) efficax eſt cenſenda *b*. Per præfatam tamen collationem juri Epiſcopi, qui eidem aſſenſum non præbuit, nolumus in aliquo derogari.

*Laicus quadrimeſtre tempus habet ad præſentandum: Eccleſia vero ſemeſtre, licet a Laico acquiſiverit jus patronatus*. hoc dicit, Dominicus.

§. 1. Verum licet patronatus Laicus ad præſentandum tempus habeat quadrimeſtre duntaxat: Eccleſia tamen, vel monaſterium, cui facta eſt a Laico juris patronatus collatio, tempus habet ſemeſtre. Et omnino quantum ad præſentationem pertinet, non ut patronus Laicus, ſed ut patronus debet Eccleſiaſticus reputari.

## *TITULUS XX.*

## DE CENSIBUS, EXACTIONIBUS, ET PROCURATIONIBUS.

### CAP. I.

*Archiepiſcopus volens provinciam viſitare, prius debet viſitare Eccleſiam, civitatem, & diœceſim propriam, Clericos & Laicos earundem*. h. d. Dominicus.

Innocentius IV. (*an.* 1252.)

ROmana *c* Eccleſia: (*& infra*,) Statuimus, ut quilibet Archiepiſcopus ſuam volens viſitare provinciam, prius Eccleſiæ ſuæ Capitulum ac civitatem & diœceſim propriam plene viſitare procuret: nec ſit ſolum erga majorum, ſed etiam minorum Eccleſiarum, nec circa Clericorum tantum, ſed etiam populorum viſitationem intentus. Et ſi commode vel abſque difficultate accedere ad unamquamque non poterit, de pluribus locis ad unum congruum Clericos & Laicos ſtudeat convocare, ne in illis viſitatio poſtponatur.

*Viſitata ſua diœceſi, Archiepiſcopus in parte vel in totum viſitat omnia loca Eccleſiaſtica, Clerum & populum provinciæ, procurationem a viſitatis recipiendo*. h. d. Dominicus.

§ 1. Deinde liceat ei per totam provinciam vel ejus partem viſitationis officium exercere, civitates & diœceſes, Suffraganeos ſuos & eorum ſubditos, cathedralium & aliarum Eccleſiarum Capitula & monaſteria, Eccleſias & alia religioſa & pia loca, Clericos & populos libere viſitando, ac procurationes a locis tantum recipere viſitatis.

*Archiepiſcopus poſt inceptam viſitationem in una diœceſi tranſiens ad aliam, ad primam redire non poteſt: niſi de novo reiteret in tota provincia*. Dominic.

§. 2. Ex quo tamen aliquam de ipſis diœceſibus viſitare cœperit, nunquam poſtea, ſive totam, ſive partem ejus viſitaverit, revertatur cauſa viſitationis ad illam, priuſquam omnes reliquæ ipſius provinciæ diœceſes in toto vel in parte (quas ſecure viſitare poterit) & ſua denuo fuerint viſitatæ. Quod ſi forte eadem diœceſis vel aliqua ibi Eccleſia plus aliis indiguerint viſitari: tunc aliarum viſi-

a *In manuſcr. ita: ac etiam ſepulturam.* b *alit. transferant.* c *Dictio*, perpetuus, *quid ſignificet, vid. Fulgoſ. conſ.* 257. *incip. in cauſa Benedicti, & Alex. conſil.* 60. *incip. omiſſo multiloquio. in* 1. *volum.*

a *De materia hujus tit. vide quod noviſſime decrevit Concil. Trid ſeſſ.* 25. *de reform. c.* 8. b *Vid. l. cum a matre. C. de rei vind. & l. peto §. fratre. ff. de leg.* 2. c *De materia hujus decret. præter ſtatuta in Conc. Later. ſub Alexand. III c.* 4. *& in Concil. Later. ſub Innocent. III c.* 33. *vide omnino quæ noviſſime ſancivit Concil. Trid ſeſſ.* 24 *de reform. c.* 5.

UNED

viſitatione intermiſſa redeat ad eandem, ſi a loci diœceſano requiſitus extiterit, vel de omnium aut majoris partis Epiſcoporum ejuſdem provinciæ proceſſerit conſilio & aſſenſu: ad quod iidem ſe pronos exhibeant, ne animarum profectus aliquatenus negligatur. Si vero malitioſe in his difficultatem adhibuerint, Archiepiſcopus licentiam ſuper hoc a ſede Apoſtolica poſtulet confidenter.

*Expedita viſitatione non reiterat illam Archiepiſcopus ſine conſilio Suffraganeorum, & definitione in ſcriptis prius facta: debet tamen reincipere ab illis, qui in prima non fuerant viſitati.* h. d. Dominicus.

§. 3. Poſtquam autem ſemel omnes provinciæ ſuæ diœceſes viſitaverit, licitum ſit ei poſtea ) prius tamen Suffraganeorum ſuorum requiſito conſilio, & ipſius definitione ſuper hoc habita coram eis, quæ in ſcriptis redigi volumus, ut poſſint [a] aliis eſſe nota ) viſitationem per eandem reiterare provinciam juxta modum ſuperius annotatum: etiamſi non interveniat in hoc Suffraganeorum ipſorum aſſenſus: illam ſemper providentiam adhibendo, ut in poſterioribus viſitationibus illas Eccleſias, eoſque Cleros & populos prius viſitet, qui non fuerant ab eo in prioribus viſitati: niſi magis ſit aliis viſitationibus officium opportunum.

*Archiepiſcopus viſitans debet proponere verbum Dei, inquirere de vita miniſtrorum, & de pertinentibus ad divinum officium, abſque juramento: infamatos ordinariis denunciet, & notoria crimina puniat.* hoc dicit, Dominicus.

§. 4. Sane hujuſmodi impenſurus officium, propoſito verbo Dei quærat de vita & converſatione miniſtrantium in Eccleſiis & locis aliis divino cultui deputatis, ac cæteris quæ ad officium ipſum ſpectant, abſque coactione & exactione qualibet juramenti, ad ipſorum emendationem per ſalubria monita [b] nunc levia, nunc aſpera, juxta datam ſibi a Deo prudentiam diligenter intendens. Quod ſi de aliquibus orta fuerit infamia, contra eos ordinariis ipſorum ( ut ſuper his ſolenniter inquirant ) denunciet, ſi viderit expedire. Notoria vero crimina, quæ examinatione non egeant ( cum ſuper his merito notari poſſit ordinariorum negligentia eorundem ) libere corrigat, pœnam pro illis debitam infligendo.

*Viſitator non in pecunia, ſed in victualibus recipiet procurationem moderatam: nec familia ſua aliquid recipere poteſt etiam prætextu officii, nec ipſe nec ſui aliquod munus etiam oblatum recipient.* h. d. Dominicus.

§. 5. Procurationes autem recipiat, ſecundum quod eſt in canonibus [c] conſtitutum: nullam tamen pecuniam ipſe vel aliquis de ſua familia, occaſione alicujus officii aut conſuetudinis, ſeu quolibet alio modo earum nomine, ſeu in victualibus expenſas tantum recipiat moderatas. Caveat inſuper, ne ipſe, vel quiſquam ſuorum aliquod munus, quodcunque ſit, & qualitercunque offeratur, præſumat recipere: ut non quæ ſua ſunt videatur quærere, ſed quæ Jeſu [d] Chriſti. Quod ſi fuerit contra præſumptum, recipiens maledictionem incurrat, a qua nunquam ( niſi duplum reſtituat ) liberetur: volumus enim in his fraudem quamlibet penitus evitari.

*Forma viſitationis præmiſſa ſervari debet in Epiſcopis & aliis Prælatis inferioribus: Regularium conſuetudinibus exceptis.* hoc dicit, Dominicus.

§. 6. Hanc autem viſitandi formam ab univerſis etiam Epiſcopis aliiſque Prælatis ordinario jure ſuos ſubjectos [e] viſitantibus, plene obſervari præcipimus: ſalvis ſuper hoc rationabilibus & approbatis Religioſorum conſuetudinibus & regularibus inſtitutis.

a *Al. poſſet.* b *Vid. omnino Conc. Trid. ſeſſ. 1. de reform. cap. 3.* c *Hos canones habes in Conc. Later. initio cap. citati.* d *al. deeſt dictio*, Jeſu. e *al. ſubditos.*

C A P. II.

*Quia decret. Innocent. IV. ſupra proxim. non bene ſervabatur in illo capitulo, quo præceperat procurationes in victualibus non in pecunia recipi, & non recipi munera, nec etiam procurationes in victualibus a locis non viſitatis: illam confirmat, pœnas adjiciens.* Joan. Andr.

Gregorius X. *in generali Concilio Lugdun.*

( *an.* 1273. )

EXigit perverſorum [a] audacia, ut non ſimus ſola delictorum prohibitione contenti, ſed etiam pœnam delinquentibus imponamus. Conſtitutionem itaque felicis recordationis Innocentii Papæ IV. prædeceſſoris noſtri editam, ſuper non recipiendis in pecunia procurationibus, ac ſuper receptione munerum, viſitantibus, eorumque familiaribus interdicta, quam multorum fertur temeritas præterire, volentes inviolabiliter obſervari: eam decernimus pœnæ adjectione juvandam. Statuentes, ut univerſi & ſinguli, qui ob procurationem ſibi ratione viſitationis debitam exigere pecuniam, vel etiam a volente recipere, vel alias conſtitutionem ipſam recipiendo munera, ſive viſitationis officio non impenſo procurationem in victualibus, aut aliquid aliud procurationis occaſione violare præſumpſerint, duplum ejus quod receperint, Eccleſiæ a qua id receptum fuerit, intra menſem reddere teneantur. Alioquin extunc Patriarchæ, Archiepiſcopi, Epiſcopi, duplum ipſum ultra prædictum tempus reſtituere differentes, ingreſſum ſibi Eccleſiæ ſentiant [b] interdictum. Inferiores vero ab officio & beneficio noverint ſe ſuſpenſos, quouſque de duplo hujuſmodi gravatis Eccleſiis plenariam ſatisfactionem impendant: nulla eis in hoc dantium remiſſione, liberalitate ſeu gratia valitura.

C A P. III.

*Viſitator recipere poteſt procurationem in pecunia volentibus viſitatis. Sed una die ultra unam procurationem non recipiet, licet plura viſitaverit loca.* h. d. Dominicus:

Bonifacius VIII. *an.* 1298. )

FElicis [c] recordationis Gregorius Papa X. prædeceſſor noſter prohibuit in Concilio Lugdunenſi, ne aliqui ob procurationem ſibi ratione viſitationis debitam exigere pecuniam præſumerent vel etiam recipere a volente. Verum quoniam rerum experientia nos inſtruxit, ex hoc tam perſonis viſitantibus, quam locis & Eccleſiis viſitatis multa incommodorum diſpendia provenire, concedimus, ut Patriarchæ, Archiepiſcopi, Epiſcopi, & alii, quibus ex officio competit viſitare, & volentibus Eccleſiarum & locorum viſitatorum Rectoribus ſeu perſonis pecuniam licite recipere valeant, pro ſumptibus moderatis faciendis in victualibus, diebus quibus viſitationis officium perſonaliter exercebunt: Adjicientes, quod non liceat viſitanti niſi unam procurationem recipere una die, ſive unum locum ſolum viſitaverit, ſive plura, etiamſi locus quilibet viſitatus ab illo ſufficeret ad procurationem integram perſolvendam, cum eidem ſufficere debeat, ut temporalia metat a locis perſonaliter viſitatis, pro diebus, quibus eis ſpiritualia ſubminiſtrat: Cætera vero in ejuſdem prædeceſſoris conſtitutione contenta in ſuo volumus robore perdurare.

C A P. IV.

*Si univerſitas vel ſingularis perſona Eccleſias vel Eccleſiaſticas perſonas compulerit ſolvere pedagia, vel guidagia, vel exactiones pro rebus ſuis, quas cauſa negotiationis non deferunt, vel pro perſonis; ſingulares ſunt excommunicati, & univerſitas interdicta: nec prodeſt contraria conſuetudo. Cle. hoc addit, quod diœceſani, quibus conſtat aliquos has ſententias incidiſſe, illos publicare debent, & ipſas ſententias facere obſervari. eod. tit. præſenti.* Joan. Andr.

Idem,

a *Vid. Conc. Trid. ſeſſ. 24 de refor. c. 3. quod ſi quiſquam.* b *In veteri exemplari deeſt*, ſentiant. c *Vid. Conc. Trid. ſeſſ. 24. de refor. cap. 3. § ſi tamen optione eorum.*

Idem.

QUanquam *a* pedagiorum exactiones, tam jure canonico, quam civili regulariter merito ſint damnatæ *b*: tanto tamen diſtrictius ne ab Eccleſiis & perſonis Eccleſiaſticis talia exigantur prohiberi oportet, quanto ſi id fiat, major inde tranſgreſſionis reatus incurritur, & offenſa evidentior comprobatur. Cum igitur Eccleſiæ, Eccleſiaſticæque perſonæ ac res *c* ipſarum non ſolum jure humano, quinimo & divino, a ſecularium perſonarum exactionibus ſint immunes: conſtitutionem felicis recordationis Alexandri Papæ IV. prædeceſſoris noſtri (qui ſtatuit Eccleſias & perſonas Eccleſiaſticas ad pedegia & guidagia penitus non teneri, nec ad exhibendum vel ſolvendum talia pro rebus ſuis propriis, quas non cauſa negotiandi deferunt, vel deferri faciunt ſeu tranſmittunt): Volentes propter multorum inſolentiam & abuſum pœnæ adminiculo adjuvare, adjicimus diſtrictius inhibendo (contraria conſuetudine quorumcunque, quæ dicenda eſt corruptela verius, non obſtante) ut nec collegium nec univerſitas, nec aliqua etiam ſingularis perſona, cujuſcunque ſit dignitatis, conditionis aut ſtatus, a præfatis Eccleſiis, aut perſonis, pro perſonis ipſis aut rebus prædictis talia exigat, vel extorqueat, per ſe vel per alium, ſuo nomine vel etiam alieno, aut eis ad hujuſmodi perſolvenda compellat. Qui vero contra fecerint, ſi perſonæ fuerint ſingulares, excommunicationis: ſi autem collegium vel univerſitas civitatis, caſtri, ſeu loci alterius cujuſcunque, ipſa civitas, caſtrum vel locus interdicti ſententias ipſo facto incurrant: nec ab excommunicatione hujuſmodi abſolutionem vel interdicti relaxationem obtineant, donec exacta plenarie reſtituerint, & de tranſgreſſione ſatisfecerint competenter.

C A P. V.

*Archiepiſcopus viſitare poteſt provinciam ac etiam iterare, licet Suffraganei non ſint negligentes: & tunc confeſſiones omnium audire, abſolvere, & pœnitentias imponere.* h. d. Domin.

Idem.

PErpetuo *d* declaramus edicto, Archiepiſcopum poſſe ſecundum tenorem conſtitutionis felicis recordationis Innocentii Papæ IV. prædeceſſoris noſtri, ſuper hoc editæ, ſuam provinciam viſitare libere, licet non ſint ejus Suffraganei negligentes, & iterare viſitationem eandem, ac procurationes a locis recipere viſitatis. Conſuetudine (ſi qua forſan ab ipſis Suffraganeis vel ab aliis allegetur) præmiſſis contraria, non obſtante. Poteſt etiam idem Archiepiſcopus dum viſitat, confeſſiones ſubditorum Suffraganeorum audire, ac abſolvere confitentes, & ipſis pœnitentias injungere ſalutares.

## *TITULUS XXI.* DE CONSECRATIONE ECCLESIÆ VEL ALTARIS.

C A P. UN.

*Polluta Eccleſia pollutum eſt cœmeterium illi contiguum, ſed non remotum. Pollutio cœmeterii Eccleſiam non polluit, licet contigua exiſtat. Polluto uno cœmeterio, aliud illi contiguum pollutum non eſt, licet per portam de uno in aliud detur ingreſſus.* h. d. Dom.

Bonifacius VIII. (*An.* 1298.)

SI *a* Eccleſiam pollui ſanguinis aut ſeminis effuſione contingat, ipſius cœmeterium, ſi contiguum ſit eidem, cenſetur eſſe pollutum: unde antequam reconciliatum fuerit, non debet in eo aliquis ſepeliri. Secus ſi remotum fuerit ab eadem. Non ſic quoque in caſu converſo ſentimus, ut videlicet polluto cœmeterio, quamvis Eccleſiæ contiguo, debeat Eccleſia reputari polluta: ne minus dignum, majus, aut acceſſorium, principale ad ſe trahere videatur. Non unum, ſed plura cœmeteria eſſe noſcuntur, quæ quamvis ſibi cohærentia, pariete tamen medio ſejunguntur. Ideoque violato eorum altero, alterum (licet de uno ad aliud per portam intermediam habeatur acceſſus) non propter hoc reputabitur violatum.

## *TITULUS XXII.* DE RELIQUIIS ET VENERATIONE SANCTORUM.

C A P. UN.

*Feſta duodecim Apoſtolorum, quatuor Evangeliſtarum, & quatuor Doctorum & Confeſſorum Eccleſiæ, ſcilicet Gregorii, Auguſtini, Ambroſii, & Hieronymi ſub officio duplici debent ſolenniter celebrari.* Joan. Andr.

Bonifacius VIII. (*An.* 1298. *Romæ*).

GLorioſus *b* Deus in ſanctis ſuis, & in majeſtate mirabilis, cujus ineffabilis altitudo prudentiæ multis incluſa limitibus, nullis terminis comprehenſa, recti cenſura judicii cœleſtia pariter & terrena diſponit, etſi cunctos ejus miniſtros magnificet, altis decoret honoribus, & cœleſtis efficiat beatitudinis poſſeſſores: illos tamen (ut dignis digna rependat) potioribus attollit inſigniis dignitatum, & præmiorum uberiori retributione proſequitur, quos *c* digniores agnoſcit, & commendat ingentior excellentia meritorum. Sic & alma mater Eccleſia ejus ſacra veſtigia proſequens, & exemplo ducta laudabili, licet univerſos in regnis cœleſtibus conſtitutos ſtudiis honorare ſolicitis & ſonoris efferre præconiis non deſiſtat: glorioſiſſimos tamen Chriſtianæ fidei principes, athletas Dei electos, juſtos ſeculi Judices, lumina vera mundi, videlicet Chriſti Redemptoris Apoſtolos numero duodeno contentos, qui viventes in carne prædictam Eccleſiam ſuo precioſo ſanguine plantaverunt, ipſam erigendo ſublimiter, & diſciplinis ſanctiſſimis dirigendo: Reverendiſſimos etiam patres viroſque clariſſimos, quatuor Evangeliſtas Domini, per quorum diligentiſſima & fideliſſima ſtudia eidem Eccleſiæ ſacra Evangelia illuxerunt. Egregios quoque ipſius Doctores Eccleſiæ beatos Gregorium, qui meritis inclytus ſedis Apoſtolicæ curam geſſit, Auguſtinum & Ambroſium venerandos *d* antiſtites, ac Hieronymum Sacerdotii præditum titulo, eximios Confeſſores ſummis attollere vocibus, laudibus perſonare præcipuis, & ſpecialibus diſponit honoribus venerari. Horum quippe Doctorum perlucida & ſalutaria documenta prædictam illuſtrarunt Eccleſiam, decorarunt virtutibus, & moribus informarunt, per ipſos præterea quaſi luminoſas ardenteſque lucernas ſuper candelabrum in domo Domini poſitas (errorum tenebris profugatis) totius corpus Eccleſiæ tanquam ſydus irradiat matutinum: eorum etiam fœcunda facundia cœleſtis irrigui gratia influente Scripturarum enigmata reſerat, ſolvit nodos, obſcura dilucidat, dubiaque

a *Vide Conc. Lat. ſub Alexand. III. cap.* 22. *& Conc. Trident. ſeſſ.* 25. *de reform. c.* 20. b *Ergo eas faciens probabit hoc ſibi licere. infra c.* 2. *de immun. Eccl.* l. 1. *C. de vit. reg. not. Dom. & phil.* c *Vide l. ſi publicanus. §. de rebus. ff. de publ. Font.* d *V. de Conc. Trident. ſeſſ.* 24. *de reform. cap.* 3. *§. metropolitanis vero. unde intelliges qualiter hodie precedat diſpoſitio hujus capitis.*

a *De materia hujus decretalis, vide plene Turrecrematam & alios in cap. Eccl. de conſecrat. diſt.* 1. b *Vide Chaſſanaum in Catalogo gloriæ mundi, part.* 3. *conſiderat.* 20. *& multis ſequentibus.* c *Vide text.* 89. *diſt. cap. ad hoc Font.* d *alias, reverendos.*

UNED

biaque declarat: profundis quoque ac decoris illorum ſermonibus ampla ipſius Eccleſiæ fabrica velut gemmis vernantibus rutilat, & verborum elegantia ſingulari glorioſius ſublimata coruſcat. Ideoque circumſpecta prudentia dictæ ſedis (quæ actibus intenta ſalubribus, & operibus expoſita pietatis, libenter & ſolerter exequitur, quæ ſunt Dei) præmiſſa ſolicite digneque conſiderans, & debita meditatione perluſtrans, ad divini nominis honorem & gloriam, exaltationem catholicæ fidei, ſalutemque fidelium, merito cenſuit, riteque providit, Apoſtolos, Evangeliſtas, & Confeſſores eoſdem in univerſali Eccleſia honorificentiæ potioris impendiis attollendos: ut ab ea tanto propenſius honorari ſe ſentiant, quanto ipſam præ cæteris excellentius illuſtrarunt. Nos itaque piis ducti conſiliis, digniſque ſtudiis excitati, nonnullos *a* prædeceſſores noſtros Romanorum Pontificum (qui ſpecialis devotionis proſequentes affectum, aliquorum feſta Sanctorum ſub duplici ordinaverunt officio celebranda) imitari ſolicite intendentes, eorundem Apoſtolorum, Evangeliſtarum & Confeſſorum feſtivitates præcipuas (de fratrum noſtrorum conſilio & aſſenſu) ſub officio duplici per univerſas orbis Eccleſias volumus, ſtatuimus, & præcipimus annis ſingulis perpetuis futuris temporibus ſolenniter celebrari.

---

## *TITULUS XXIII.*
## DE IMMUNITATE *b* ECCLESIARUM, COEMETERIORUM, ET ALIORUM LOCORUM RELIGIOSORUM.

### C A P. I.

*Seculares poteſtates ab Eccleſiis vel Eccleſiaſticis perſonis tallias vel exactiones pro rebus vel poſſeſſionibus acquiſitis vel acquirendis exigere non præſumant: nec eas compellere ad ipſas diſtrahendum, vel extra manum ſuam ponendum.* h. d. Joan. Andr.

Alexander IV. (*An.* 1260.)

QUia *c* nonnulli habentes temporale dominium, vel poteſtatis gerentes officium ſecularis, libertatem & immunitatem Eccleſiaſticam lædere ac minuere tanquam honoris & privilegii Eccleſiarum invidi moliuntur: expedit, quod per diligentiam & auctoritatem ſed. Apoſt. (quæ curam habet Eccleſiarum omnium & tutelam) contra talium auſus & conanima opportunum remedium apponatur *d*, ut Eccleſiæ ipſæ in plenitudine juris ſui & libertatis integritate lætentur *e*, ac deteſtabilis malignorum audacia, & inſolentium nefaria temeritas propulſetur. Sane intelleximus, quod in regno Franciæ, Communiæ, Scabini, ſeu Conſules & alii domini temporales, & ii, qui juriſdictionem in ipſis communiis, civitatibus, caſtris & villis temporalem exercent, vel quibus in illis commiſſa eſt executio juſtitiæ ſecularis, moleſti ſunt nimium Eccleſiis ſuper pluribus, & infeſti: & inter cætera nituntur & ſtudent ut illis collectas *f* & tallias & alia hujuſmodi eædem Eccleſiæ prætextu bonorum quæ acquiſiverunt, tribuant & perſolvant, vel extra manum ſuam ponant hujuſmodi acquiſita. Volentes itaque ſuper his omnibus (prout expedit) ſolicite providere, totque temerariis auſibus congruis præſidiis obviare, auctoritate Apoſtolica, præhabita cum fratribus noſtris diligenti deliberatione, decernimus, non licere præfatis Communiis, Scabinis, & iis, qui in eis juriſdictionem temporalem obtinent, vel juſtitiam temporalem *a* exercent, tallias, vel collectas ſeu exactiones quaſcunque Eccleſiis vel perſonis Eccleſiaſticis imponere, vel exigere ab eiſdem pro domibus, prædiis, vel quibuſcunque poſſeſſionibus ab eiſdem Eccleſiis, vel perſonis Eccleſiaſticis legitime hactenus acquiſitis, vel in poſterum acquirendis, etiamſi ipſæ Eccleſiæ vel perſonæ, vel res hujuſmodi ſint intra illorum diſtrictum vel territorium conſtitutæ. Nec etiam liceat illis ipſas Eccleſias vel perſonas ad diſtrahendum vel alienandum, aut extra manum ſuam ponendum, acquiſita jam vel quæ deinceps acquirent, aliquatenus coarctare.

### C A P. II.

*In Eccleſiis dato humili ingreſſu debet orationibus inſiſti: excluſis clamoribus, & ſeditionibus, conſiliis univerſitatis Laicorum, & eorum publicis parlamentis, vanis colloquiis, negotiationibus, & nundinis ac judiciis ſecularibus, & maxime criminalibus.* h. d. uſque ad §. ordinarii. Dominicus.

Gregorius IX. *in generali Concilio Lugdun.*

(*An.* 1273.)

DEcet domum Domini *b* ſanctitudo, decet ut cujus in pace factus eſt locus, ejus cultus ſit cum debita veneratione pacificus. Sit itaque ad Eccleſias humilis & devotus ingreſſus, ſit in eis quieta converſatio, Deo grata, inſpicientibus placita *c*, quæ conſiderantes non ſolum inſtruat, ſed & reficiat. Convenientes ibidem nomen illud, quod eſt ſuper omne nomen (a quo aliud ſub cœlo non eſt datum hominibus, in quo ſalvos fieri credentes oporteat: nomen videlicet JESU *d* Chriſti, qui ſalvum faciet populum ſuum a peccatis eorum) exhibitione reverentiæ ſpecialis attollant, & quod generaliter ſcribitur *e*, ut in nomine JESU omne genu flectatur, ſinguli ſingulariter in ſeipſis implentes (præcipue dum aguntur Miſſarum ſacra myſteria *f*) glorioſum illud nomen quandocunque recolitur, flectant genua cordis ſui, quod vel capitis inclinatione teſtentur; attendantur in locis eiſdem intentis præcordiis ſacra ſolennia, devotis orationibus inſiſtatur, nullus in locis eiſdem, in quibus cum pace ac quiete vota convenit celebrari, ſeditionem excitet, conclamationem moveat impetumve committat. Ceſſent in locis illis univerſitatum & ſocietatum quarumlibet concilia *g*, conciones & publica parlamenta. Ceſſent vana, & multo fortius fœda & prophana colloquia. Ceſſent confabulationes qualibet. Sint poſtremo quæcunque alia, quæ divinum poſſint turbare officium, aut oculos divinæ majeſtatis offendere, ab ipſis prorſus extranea: ne ubi peccatorum eſt venia poſtulanda, ibi peccandi detur occaſio, ut deprehendantur peccata committi. Ceſſent in Eccleſia earumque cœmeteriis negotiationes, & præcipue nundinarum ac fori cujuſcunque tumultus, omnis in eis ſecularium judiciorum ſtrepitus conquieſcat, nulla inibi cauſa per Laicos criminalis maxime agitetur, ſint loca eadem a Laicorum cognitionibus aliena.

*Locorum ordinarii exequi debent hic contenta: & ſententiæ in Eccleſiis habitæ ſunt nullæ: & contra facientes puniri debent.* h. d. Dominicus.

§. 1. Ordinarii locorum hoc faciant obſervari: ſuadenda

---

a *Al. ita: nonnullos prædeceſſorum noſtrorum Romanorum Pontificum, &c.* b *vide Concil. Tridentinum ſeſſ. 25. de reform. cap. 26. ubi privilegia & immunitates Eccleſiarum & perſonarum Eccleſiaſticarum innovantur & confirmantur.* c *Vide Conc. Lateran. ſub Alexand. III. cap. 15. & Conc. Later. ſub Leone X. ſeſſ. 9. tit. de reform. curiæ. §. etiam a jure* d *al. opponatur.* e *alias, locentur.* f *Vide Anch. conſil. 95. incip. ſuper dicto dubio. Dec. conſil. 496. incip. in cauſa domini. & Jaſ. conſil. 8. incip. dicta prædia. volum. 3.*

a *Secularem legitur conſtanter in vetuſt. codic.* b *Pſal. 92. & 75.* c *Alias, placida.* d *Vide beatum Chryſoſtomum ſuper cap. 1. Epiſt. Pauli ad Galatas. Act. 4.* e *Philipp. 2.* f *alias, miniſteria.* g *al. conſilia.*

denda ſuadeant, interdicta hujus canonis auctoritate compeſcant, ad hoc alios etiam in Eccleſiis ipſis magis aſſiduos, & ad præmiſſa idoneos deputando. Et nihilominus proceſſus Judicum ſecularium, ac ſpecialiter prolatæ ſententiæ in eiſdem locis omni careant robore firmitatis. Qui vero præmiſſas inhibitiones animo petulanti contempſerint, præter proceſſum ordinariorum & deputandorum ab ipſis, divinæ ultionis & noſtræ poterunt acrimoniam formidare, donec ſuum confeſſi reatum a ſimilibus firmato propoſito deliberaverint abſtinere.

## CAP. III.

*Ponit exceſſus Laicorum, qui Clericis collectas, tallias & onera imponebant: & exceſſus Clericorum, qui talibus conſentiebant.*

Bonifacius VIII. (*An.* 1298.)

CLericis *a* Laicos infeſtos oppido tradit antiquitas, quod & præſentium experimenta temporum manifeſte declarant, dum ſuis finibus non contenti nituntur in vetitum, ad illicita frena relaxant, nec prudenter attendunt, quam ſit eis in Clericos, Eccleſiaſticaſve perſonas & bona interdicta poteſtas: Eccleſiarum Prælatis, Eccleſiis, Eccleſiaſticiſque perſonis regularibus & ſecularibus imponunt onera gravia, ipſoſque talliant, & eis collectas imponunt, ab ipſis ſuorum proventuum vel bonorum dimidiam, decimam ſeu viceſimam, vel quamvis aliam portionem aut quotam exigunt & extorquent, eoſque moliuntur multifarie ſubjicere ſervituti, ſuæque ſubmittere ditioni: & (quod dolenter *b* referimus) nonnulli Eccleſiarum Prælati, Eccleſiaſticæque perſonæ, trepidantes ubi trepidandum non eſt, tranſitoriam pacem quærentes, plus timentes majeſtatem temporalem offendere, quam æternam, talium abuſibus non tam temerarie, quam improvide acquieſcunt, ſedis Apoſtolicæ auctoritate ſeu licentia non obtenta.

*Præcipit perſonas Eccleſiaſticas pro rebus ſuis vel Eccleſiarum nil Laicis ſolvere debere abſque licentia Apoſtolicæ ſedis, ſub quocunque colore mutui, ſubventionis, doni, vel alio quolibet: ut etiam ipſi Laici tallias non exigant vel recipiant, nec occupent quocunque modo depoſita Eccleſiarum vel perſonarum Eccleſiaſticarum: ſingulares contra facientes excommunicat, univerſitates interdicit: quæ pœnæ locum habeant in promiſſionibus factis etiam ante hanc conſtitutionem, ſi poſtmodum ſolvantur vel recipiantur, & ab his ſententiis ſolus Papa abſolvit, præterquam in mortis articulo.* h d.

§. 1. Nos igitur talibus iniquis actibus obviare volentes, de fratrum noſtrorum conſilio Apoſtolica auctoritate ſtatuimus, quod quicunque Prælati, Eccleſiaſticæque perſonæ, religioſæ vel ſeculares quorumcunque ordinum, conditionis ſeu ſtatus, collectas vel tallias, decimam, viceſimam, ſeu centeſimam ſuorum & Eccleſiarum proventuum vel bonorum Laicis ſolverint vel promiſerint, vel ſe ſoluturos conſenſerint, aut quamvis aliam quantitatem, portionem, aut quotam ipſorum proventuum vel bonorum æſtimationis, vel valoris ipſorum, ſub adjutorii, mutui, ſubventionis, ſubſidii vel doni nomine, ſeu quovis alio titulo, modo, vel quæſito colore abſque auctoritate ſedis ejuſdem: nec non Imperatores, Reges, ſeu Principes, Duces, Comites, vel Barones, Poteſtates, Capitanei, vel Officiales, vel Rectores, quocunque nomine cenſeantur, civitatum, caſtrorum, ſeu quorumcunque locorum conſtitutorum ubilibet, & quivis alii cujuſcunque præminentiæ, conditionis, & ſtatus, qui talia impoſuerint, exegerint vel receperint, aut apud ædes ſacras depoſita Eccleſiarum vel Eccleſiaſticarum perſonarum ubilibet arreſtaverint, ſaiſiverint, ſeu occupare præſumpſerint, vel arreſtari, ſaiſiri *a* aut occupari mandaverint, aut occupata, ſaiſita *b* ſeu arreſtata receperint: nec non omnes, qui ſcienter dederint in prædictis auxilium, conſilium vel favorem publice vel occulte, eo ipſo ſententiam excommunicationis incurrant. Univerſitates quoque, quæ in his culpabiles fuerint, Eccleſiaſtico ſupponimus interdicto. Prælatis & perſonis Eccleſiaſticis ſupradictis in virtute obedientiæ, & ſub depoſitionis pœna diſtricte mandantes, ut talibus abſque expreſſa licentia dictæ ſedis nullatenus acquieſcant: quodque prætextu cujuſcunque obligationis, promiſſionis, & confeſſionis *c* factarum hactenus vel faciendarum in antea, priuſquam hujuſmodi conſtitutio, prohibitio, ſeu præceptum ad notitiam ipſorum pervenerit *d*, nihil ſolvant, nec ſupradicti ſeculares quoquo modo recipiant. Et ſi ſolverint, vel prædicti receperint, in excommunicationis ſententiam incidant ipſo facto. A ſupradictis autem excommunicationum & interdicti ſententiis nullus abſolvi valeat, præterquam in mortis articulo abſque ſedis Apoſtolicæ auctoritate & licentia ſpeciali. Cum noſtræ intentionis exiſtat, tam horendum ſecularium poteſtatum abuſum nullatenus ſub diſſimulatione tranſire.

*Omnia privilegia derogantia huic conſtitutioni caſſat & irritat.*

§. 2. Non obſtantibus quibuſcunque privilegiis ſub quibuſcunque tenoribus, formis, ſeu modis, aut verborum conceptione conceſſis Imperatoribus, Regibus & aliis ſupradictis, quæ contra præmiſſa in nullo volumus alicui vel aliquibus ſuffragari.

## CAP. IV.

*Excommunicati ſunt, qui impediunt ſuper cauſis, quæ ad forum Eccleſiaſticum de jure vel de conſuetudine pertinent, literas a ſede Apoſtolica impetrari, vel ſuper ipſis coram ordinariis vel delegatis Eccleſiaſticis litigari.* Joan. Andr.

Idem.

QUoniam (ut intelleximus) quorundam juſtitiariorum, Ballivorum, Judicumve ſecularium ac temporalium dominorum in quibuſdam partibus præſumptuoſa temeritas ſic excrevit, ut in terris eorum ſive diſtrictibus literas Apoſtolicas impetrantes, vel ad Judices ordinarios Eccleſiaſticos recurrentes, ſuper cauſis, negotiis, ſeu quæſtionibus, quæ ratione perſonarum aut rerum de jure aut antiqua conſuetudine ad forum *e* Eccleſiaſticum pertinent, obtinere non poſſunt in eis per eoſdem ordinarios Judices vel Apoſtolicas literas juſtitiæ complementum, quin potius ſuper illis recurrere ad judicium ſeculare, vel a lite, cauſa ſeu quæſtione deſiſtere compelluntur: Nos juſtitiam noſtram & Eccleſiæ ſponſæ noſtræ nolentes negligere, qui alios in ſua juſtitia confovemus: ſtatuimus diſtrictius inhibendo, ne quis impetratores literarum noſtrarum, vel alios in foro Eccleſiaſtico delegato ſeu ordinario litigantes, ſeu litigare volentes, ſive ambæ partes hoc voluerint, ſive una, ſuper cauſis Eccleſiaſticis, ſive quæ ad forum Eccleſiaſticum ratione perſonarum, negotiorum, vel rerum, de jure vel de antiqua conſuetudine pertinere noſcuntur, per ſe vel per alium ad deſiſtendum, vel in foro ſeculari de quæſtionibus hujuſmodi litigandum per eorundem Judicum Eccleſiaſticorum, vel impetrantium, aut litigantium, ſeu volen-

a *Quærebat Joan. Mont. in iſto cap. Quid ſi fiat impoſitio talis non Eccleſiaſticis perſonis, ſed eorum hominibus, nunquid eſſet locus pœnæ hujus cap.? Et dicebat quod ſic, quia ſit fraus legi, de qua infra de regulis jur. cap. fin. & ſupra de privileg. quanto facit infra eod. cap. eos. ſecundum Lapum, Abb. Dom. Philipp. dicit, quod nullo caſu habebit locum hæc conſtitutio, quia penitus revocata cum ſuis declarationibus, nec ullus Doctorum eam legit. Font.* b *alias, dolentes.*

a *Al. ſiſari* b *al. ſiſata.* c *In manuſcr. legitur conſtante ita: & conceſſionis.* d *al. pervenerint.* e *Quæ ſint illæ cauſæ, vide in c. licet. de foro compet. in antiqu. Bart. in extrav. ad reprim. in verb. denunciatione.*

UNED

lentium litigare, aut propinquorum ipſorum ſeu rerum illorum, aut Eccleſiarum ſuarum etiam captionem, modiſve aliis quibuſcunque compellat, ſeu compelli faciat vel procuret: nec per ſe alioſve impediat, quo minus coram Judicibus Eccleſiaſticis, delegatis ſeu ordinariis querelantes de cauſis, quæ (ut præmiſſum eſt) ad cognitionem pertinent eorundem, poſſint libere juſtitiam obtinere: nec ad prædicta facienda det auxilium, conſilium, vel favorem. Si quis vero contra præſumpſerit, excommunicationi ſe ipſo facto noverit ſubjacere: a qua (niſi tam Judici, cujus cognitio fuerit impedita, vel juriſdictio uſurpata, quam parti, quæ turbata in proſecutione fuerit ſui juris, de injuria, damnis, expenſis, & intereſſe prius per eundem integre fuerit ſatisfactum) nullatenus abſolvatur.

CAP. V.

*Domini temporales prohibentes ſubditis, ne cum perſonis Eccleſiaſticis contrahant, vel communia obſequia exhibeant, ipſo facto excommunicationem incurrunt.* h. d. Dom.

Idem.

EOS *a*, qui temporale dominium obtinentes, ſuis ſubditis, ne Prælatis aut Clericis, ſeu perſonis Eccleſiaſticis quicquam vendant, aut emant aliquid ab eiſdem, neque ipſis bladum molant, coquant panem, aut alia obſequia exhibere præſumant, aliquando interdicunt (cum talia in derogationem libertatis Eccleſiaſticæ præſumantur) eo ipſo excommunicationis ſententiæ decernimus ſubjacere.

## TITULUS XXIV.
## NE CLERICI VEL MONACHI SECULARIBUS NEGOTIIS SE IMMISCEANT.

CAP. I.

*Capitulum, ſuper ſpecula, prohibens audientiam Legum vel Phyſicæ, non includit parochiales Eccleſias habentes, niſi ſint plebaniæ habentes ſub ſe capellas, in quibus Clerici perpetuo inſtituantur.* h. d. Domin

Bonifacius VIII.

STatutum *b* felicis recordationis Honorii Papæ tertii prædeceſſoris noſtri, quod Decanis, Archidiaconis, Præpoſitis, Plebanis, Cantoribus, & aliis Clericis habentibus perſonatus, audire Leges vel Phyſicam interdicit: ad eos, qui parochiales Eccleſias obtinere noſcuntur, piæ memoriæ Clementis Papæ quarti prædeceſſoris noſtri veſtigiis inhærentes, declaramus præſentis conſtitutionis oraculo ratione Eccleſiarum hujuſmodi non extendi: Niſi eædem Eccleſiæ fuerint plebaniæ ſub ſe capellas habentes, in quibus inſtituantur Clerici perpetui, nequeuntes ab ipſis abſque cauſa rationabili amoveri.

CAP. II.

*Excommunicatus eſt ipſo facto Religioſus profeſſus, habitum temerarie dimittens, vel ad quæcunque ſtudia accedens, non obtenta licentia & Prælati & Conventus. Doctores ſcienter docentes, vel in ſcholis retinentes ad Leges vel Phyſicam tales Religioſos, ſimiliter excommunicationem incurrunt.* h. d. Dominicus.

Idem.

UT *a* periculoſa Religioſis evagandi materia ſubtrahatur, diſtrictius inhibemus, ne de cætero aliquis quamcunque religionem tacite vel expreſſe profeſſus, in ſcholis vel alibi temere habitum religionis ſuæ dimittat: nec accedat ad quævis ſtudia literarum, niſi a ſuo Prælato cum conſilio ſui Conventus vel majoris partis ejuſdem, ſibi eundi ad ſtudium, licentia primitus ſit conceſſa. Si quis autem horum temerarius violator extiterit, excommunicationis incurrat ſententiam ipſo facto. Doctores quoque ſive Magiſtri, qui Religioſos habitu ſuo dimiſſo Leges vel Phyſicam audientes ſcienter docere, aut in ſcholis ſuis præſumpſerint retinere, ſimili eo ipſo ſint ſententia innodati.

CAP. III.

*Clericus in loco temporalis juriſdictionis ſuæ ſuper delicto ibi commiſſo delegans, ut veritate inquiſita juſtitiam exequatur, irregularis non efficitur, licet pœna ſanguinis inferatur.* h. h. Dom.

Idem.

EPiſcopus *b* ſeu quicunque alius Prælatus, vel Clericus juriſdictionem obtinens temporalem, ſi homicidio aut alio maleficio ab aliquibus in juriſdictione ſua commiſſo, ballivo ſuo aut alii cuicunque injungat, ut ſuper hoc veritatem inquirens, juſtitiæ debitum exequatur, irregularis cenſeri non debet: quamvis ipſe ballivus vel alius contra malefactores ad pœnam ſanguinis proceſſerit, juſtitia mediante. Nam licet Clericis cauſas ſanguinis agitare non liceat, eas tamen, (cum juriſdictionem obtinent temporalem debent & poſſunt metu irregularitatis ceſſante alii delegare.

a *Vide Anch. Conſil. 11. incip. factum ſuper quo petitur conſilium, & Lapum allegat. 92. incip. inſpeximus.* b *Vid. Doct. & imprimis Panorm. in cap. non magnopere. & in cap. fin. extr. ne Clerici vel Monachi. & Innoc. in cap. firmiter. extra, de ſumm. Trinitat. & fide Catholica,*

a *Multa huc ſpectantia vide per Calderinum conſil. 2. tit. de magiſtris & per Abbatem conſ. 84. l. 1.* b *Præter Doctor. hic, vide notata in cap. ex literis. extra, de exceſſ. prælat. & in cap. in Archiepiſcopatu. de raptoribus.*

# FINIS LIBRI TERTII.

SEXTI

UNED

# SEXTI DECRETALIUM

## LIBER QUARTUS.

### *TITULUS PRIMUS.*

### DE SPONSALIBUS ET MATRIMONIIS.

### CAPUT UN.

*Sponſalia pura & certa, ex conſenſu valida, licet alias nulla, inducunt publicam honeſtatem: quæ habet dirimere ſequentia ſponſalia, ſed non præcedentia.*

Bonifacius VIII. (*An.* 1298. *Romæ*).

EX ſponſalibus *a* puris & certis, etiamſi conſanguinitatis, affinitatis, frigiditatis, religionis, aut alia quavis ratione ſint nulla, ex defectu conſenſus, oritur efficax ad impediendum & dirimendum ſequentia ſponſalia vel matrimonia, non autem ad præcedentia diſſolvendum, impedimentum juſtitiæ publicæ honeſtatis *b*. Quare ille, qui ſponſalia pure ac determinate cum aliqua muliere contraxit, & poſtmodum cum ſecunda prioris conſanguinea idem fecit, ex priorum ſponſaliorum vigore (quibus per publicæ honeſtatis juſtitiam ex ſecundis ſponſalibus ſubſecutam minime derogatur) ad matrimonium contrahendum cum prima remanet obligatus.

*Publicam honeſtatem non inducunt ſponſalia conditionalia ante conditionis eventum*. h. d. Joan. Andr.

§. 1. Ille vero, qui ſponſalia cum aliqua muliere *c* ſub conditione contraxit, ſi poſtmodum ante conditionis eventum cum alia prioris conſanguinea per verba contraxerit de præſenti, cum ſecunda remanere debebit: Cum ex ſponſalibus conditionalibus ante conditionem extantem, ſicuti conſenſum non habentibus, & incertis, nulla publicæ honeſtatis juſtitia oriatur.

### *TITULUS II.*

### DE DESPONSATIONE IMPUBERUM.

### CAP. UN.

*Sponſalia amborum infantium, vel alterius tantum per ſupervenientiam majoris ætatis non validantur, nec publicam honeſtatem inducunt: niſi fuerint ratificata tacite vel expreſſe*. h. d. uſque ad §. Idem quoque. Dom.

Bonifacius VIII. (*An.* 1298.)

SI infantes *a* ad invicem, vel unus major ſeptennio, & alter minor, ſponſalia contraxerint ipſi, vel parentes pro eis, niſi per cohabitationem eorum mutuam, ſeu alias verbo vel facto ipſorum liquido appareat, eoſdem in eadem voluntate factos majores ſeptennio perdurare, ſponſalia hujuſmodi, quæ ab initio nulla erant, per lapſum dicti temporis minime convaleſcunt: & ideo cum ſint nulla ratione defectus conſenſus, publicæ honeſtatis juſtitiam non inducunt.

*Sponſalia per verba de præſenti contracta inter impuberem & puberem, vel inter impuberes non proximos pubertati, valent ut ſponſalia de futuro: nec in matrimonium tranſeunt ex ſola perſeverantia ætatis, niſi aliter approbentur: inducunt tamen publicam honeſtatem*. h. d. Dom.

§. 1. Idem quoque ſi pubes & impubes, vel duo impuberes non proximi pubertati, & in quibus ætatem malitia non ſupplebat, per verba contraxerint de præſenti: ſponſalia enim illa, quæ juris interpretatione tantum fuerunt ſponſalia de futuro (licet verba conſenſum exprimentia de præſenti haberent, & matrimonium contrahere intenderent contrahentes) per adventum pubertatis in matrimonium non tranſeunt de præſenti: nec matrimonium (quod ut matrimonium ætate non tenuit prohibente) per lapſum dicti temporis convaleſcit: niſi per carnis copulam ſubſecutam, vel aliquem modum alium contrahentes eoſdem cum ejuſdem perſeverantia conſtiterit evidenter: per dictum tamen contractum, qui valuit, ut potuit, non ſicuti agebatur, publicæ honeſtatis juſtitia eſt inducta.

*Sponſalia pro abſentibus filiis non tenent: niſi ipſis præſentibus, vel niſi approbaverint tacite vel expreſſe ex poſtfacto*. h. d. Dom.

§ 2. Porro ex ſponſalibus, quæ parentes pro filiis puberibus vel impuberibus plerunque contrahunt, ipſi filii, ſi expreſſe conſenſerint vel tacite, ut ſi præſentes fuerint, nec contradixerint, obligantur: ex eis oritur juſtitia publicæ honeſtatis. Et eſt idem, ſi filii tempore ſponſaliorum abſentes, & etiam ignorantes eadem ſponſalia poſt ſcientes ratificaverunt tacite *b* vel expreſſe: alias ex ſponſalibus contractis a parentibus pro filiis, nec ipſi filii obligantur, nec publicæ honeſtatis juſtitia inde ſurgit.

TI-

a *Vide Concil. Trident. ſeſſ 24. de reform. matrimon. cap.* 3. *confert enim multum pro textu & gl.* b *de impedimento juſtitiæ publicæ honeſtatis, quid ſit, & unde proveniat, vide B. Thom. in quæſtionibus additis ad tertiam partem, quæſt.* 55. *artic.*4. *& Doct. ſcholaſticos lib.*4. *ſentent. diſt.*51. c *Not. Doctor. hic illam dici mulierem, quæ nondum matrimonio copulata eſt.*

o *Vide B. Thom. in quæſtionibus additis ad* 3. *part. quæſt.*43. *art.*1. *&* 2. *ac Doct. l.*4 *ſent. diſt.*27. *& Dominic. conſil* 24. *incip. quia diffuſe.* b *Vide Bart. in l. quo enim ff. rem rat. hab. Font.*



UNED

*TITULUS III.*

DE COGNATIONE SPIRITUALI.

CAPUT I.

*Inter baptizatum & levantem, filios & uxorem levantis ante carnaliter cognitam, & ſuſcipientem & patrem & matrem ſuſcepti, & ſimiliter de baptizante, ſpiritualis contrahitur cognatio*, h. d. uſque ad §. Ex confirmatione. Dominicus.

Bonifacius VIII. (*An.* 1298.)

NEdum *a* inter baptizatum & illum *b* qui eum ſuſcepit de baptiſmo, ac inter eundem baptizatum & ſuſcipientis filios & uxorem ante ſuſceptionem carnaliter cognitam ab eodem: imo etiam inter ſuſcipientem, patremque baptizati & matrem, cognationem ſpiritualem in baptiſmo contrahi jure conſtat: quæ cognatio & contrahendum matrimonium impedit, & dirimit poſt contractum. Et eadem quæ de ſuſcipiente ſunt dicta, ſunt etiam de baptizante cenſenda.

*Confirmatio frontis inducit ſpiritualem cognationem, ſicut baptiſma.* h.d. Dom.

§. 1. Ex confirmatione quoque ſeu frontis chriſmatione, ſpiritalis cognatio eiſdem modis contrahitur: matrimonia ſimiliter impediens contrahenda, & dirimens poſt contracta.

CAP. II.

*Compaternitas per catechiſmum contracta, impedit matrimonium, ſed non dirimit.* Joan. Andr.

a *Vide Concil. Trident. ſeſſ.24. de reform. matr. cap.2. & B. Thom. in quaſt. additis ad part. quaſt.66. per totum. & Theol. l.4. ſent. diſt.42.* b *Procedit ſi ille eſt Chriſtianus.20. quaſt.1. cap.2. de conſ. diſt.4. in baptiſmate. Joan. Andr. in reg. ex eo. inſ. de reg. jur.*

Idem.

PER *a* cathechiſmum, qui præcedit baptiſmum, ſacramentorum fundamentum & januam reliquorum, cognatio ſpiritalis contrahitur: per quam contrahendum matrimonium impeditur. Ut ex prædeceſſoris noſtri Clementis Papæ III. decretali colligitur evidenter: dicendo enim, quod talis res vix contrahendo matrimonio impedimentum afferret, velle videtur quod afferat, nam quod vix fit, fieri tamen dubium non exiſtit. Per illam tamen cognationem matrimonium poſt eam contractum minime ſeparatur.

CAP. III.

*Unus tantum intervenire debet in levatione infantis de ſacro fonte, vel chriſmatione frontis: tamen ſi plures interveniunt, cognationem contrahunt ſpiritalem. Et ex aliis ſacramentis cognatio non contrahitur.* h.d. Dom.

Idem.

QUamvis *b* non plures *c*, quam unus vir, vel una mulier accedere debeant ad ſuſcipiendum de baptiſmo infantem, juxta ſacrorum canonum inſtituta: ſi tamen plures acceſſerint, ſpiritalis cognatio inde contrahitur, matrimonia contrahenda impediens, & etiam poſt contracta diſſolvens. De confirmatione inſuper, quantum ad hoc, idem judicium eſt habendum. Ex datione vero aliorum ſacramentorum cognatio ſpiritalis nequaquam oritur, quæ matrimonium impediat vel diſſolvat.

a *Vide Theolog. ſcholaſticos l.4. ſentent. diſt.42. & beatum Thom. in quaſt. additis ad 3 part. quaſt.55. art.2.* b *Vide Conc. Trident. ſeſſ.24. de reform. matr. cap.2.* c *Vide l. ad teſtium. §. fin. ff. de teſtam.*

FINIS LIBRI QUARTI.

# SEXTI DECRETALIUM

## LIBER QUINTUS.

*TITULUS PRIMUS.*

DE ACCUSATIONIBUS *a*, INQUISITIONIBUS ET DENUNCIATIONIBUS.

CAPUT I.

*Ex confeſſione coram delegato inquirente ſuper certis criminibus deputato facta punitur confitens, licet dicat ſe prius diffamatum non fuiſſe, vel inquiſitionis capitula non habuiſſe.* hoc dicit. Dominicus.

Bonifacius VIII. (*An.* 1298.)

POſtquam coram eo, qui contra te ſuper certis criminibus inquiſitor fuerat deputatus, eadem crimina fuiſti confeſſus, fruſtra confeſſionem tuam (quo minus puniaris ex ea, prout juſtitia ſuadebit) eo prætextu impugnare contendis, quod ſuper eiſdem criminibus non fueras antea diffamatus: Vel quod per eundem inquiſitorem capitula, ſuper quibus contra te volebat inquirere, tibi tradita non fuerunt *b*.

CAP. II.

*Valet inquiſitio facta ſuper veritate criminum, omiſſa inquiſitione infamia, ſi reus præſens tacuit.* h.d. ſecundum Joan. Andr.

Idem.

SI is, cui contra te commiſſa fuerit ſimpliciter inquiſitio ſuper certis criminibus facienda, proceſſerit te præ-

a *De materia hujus tit. vide plene per Hoſtien. in ſumma, eod. tit.*

a *Vide Peruſinum in c. dilecto. de appellat. & Alex. conſ 52. l.3. & Fel. in c.1. de except.*

UNED

præſente, nec reclamante, aut quicquam ſuper hoc excipiente (infamiæ inquiſitione omiſſa) ad veritatem eorundem criminum inquirendam: proceſſum hujuſmodi ex eo, quod non fuit de infamia *a* primitus inquiſitum, ulterius impugnare nequibis.

---

## *TITULUS II.*
## DE HÆRETICIS.
### CAP. I.

*Propter crimen hæreſis Clericum in quibuſcunque ſacris ordinibus conſtitutum, ſolus ejus Epiſcopus degradare poterit.* h. d. Dominicus.

Gregorius IX. *Rhemen. Archiepiſcopo, & ſuis Suffraganeis.* (*An.* 1236. *Roma in Galliam*).

QUoniam Epiſcoporum numerus ad degradationem Clericorum a canonibus conſtitutus, non poteſt de facili *b* convenire: Concedimus, ut Sacerdotem vel alium Clericum in ſacris ordinibus conſtitutum (cum pro hæreſi fuerit curiæ ſeculari relinquendus, aut perpetuo immurandus) convocatis Abbatibus, aliiſque Prælatis & religioſis perſonis, ac literatis ſuæ diœceſis, de quibus expedire videbitur, ſuus ſolus poſſit Epiſcopus degradare.

### CAP. II.

*Excommunicationem incurrit ſepeliens ſcienter hæreticos, vel eorum receptatores, defenſores, vel fautores, nec abſolvitur niſi exhumet eorum corpora, locus vero privatur ſepultura.* h. d. ad §. Inhibemus. Dom.

Alexander IV. (*An.* 1258.)

QUicunque *c* hæreticos, credentes, receptatores, defenſores, vel fautores eorum ſcienter præſumpſerint *d* Eccleſiaſticæ tradere ſepulturæ, uſque ad ſatisfactionem idoneam excommunicationis ſententiæ ſe noverint *e* ſubjacere. Nec abſolutionis beneficium mereantur *f*, niſi propriis manibus publice extumulent *g*, & projiciant *h* hujuſmodi corpora damnatorum. Et locus ille perpetua *i* careat ſepultura.

*Excommunicari debent Laici publice, vel occulte diſputantes de fide.* h. d. Dominicus.

§. 1. Inhibemus quoque ne cuiquam Laicæ perſonæ liceat publice, vel privatim de fide catholica diſputare. Qui vero contra fecerit, excommunicationis laqueo innodetur.

*Non valet promotio hæreticorum, eis credentium, fautorum, receptatorum, & defenſorum eorum, nec filiorum ſuorum uſque ad ſecundam generationem ad beneficia Eccleſiaſtica, vel officia publica.* h. d. Dom.

§. 2. Hæretici autem, credentes, receptatores, defenſores, & fautores eorum, ipſorumque filii *k* uſque ad ſecundam generationem, ad nullum Eccleſiaſticum beneficium, ſeu officium publicum admittantur. Quod ſi ſecus actum fuerit, decernimus irritum & inane.

*Privati ſunt habentes beneficia Eccleſiaſtica ad preces hæreticorum, & inhabiles efficiuntur ad alia obtinenda, ſi ſcienter talia receperunt.* h. d. Dom.

§. 3. Ad hæc quoſcunque viros Eccleſiaſticos, qui ad preces hujuſmodi peſtilentium perſonarum, dignitates, perſonatus, & quæcunque alia Eccleſiaſtica beneficia ſunt adepti, ex nunc privamus taliter acquiſitis: volentes, quod tales & habitis careant perpetuo, & ſi receperunt *l* illa ſcienter, ad alia vel ſimilia nequaquam in poſterum admittantur,

*Nulla eſt emancipatio filiorum vel ſubditorum per hæreticos facta, etiamſi poſtea vitium detegatur.* hoc dicit. Dominicus.

§. 4. Illorum autem filiorum emancipationem, quorum parentes poſt emancipationem etiam hujuſmodi apparuerit ante ipſam a via veritatis ad hæreticæ ſuperſtitionis invium declinaſſe, nullius volumus eſſe momenti, velut factam de hominibus ſui juris: cum dignum ſit, ut propter tanti atrocitatem delicti, filii eſſe in parentum hæreticorum deſierint poteſtate.

### CAP. III.

*Filii vel hæredes petentium in infirmitate ſua hæreticorum conſolationem, non admittuntur ad probandum, quod non ſana mente, vel perdita loquela ſuſceperint, ſi conſtat, quod erant ſanæ mentis, vel prius ſuſpecti, vel diffamati erant de hæreſi: alias admittuntur, ſcilicet per teſtes fide dignos, non ſuſpectos.* h.d. Dom.

Idem *inquiſitoribus hæreticæ pravitatis.*

(*An.* 1258.)

FIlii, vel hæredes illorum, qui dum in ægritudinis lecto decumberent, petierunt hæreticos conſolatores, ut ab eis per manus impoſitionem conſolationem reciperent ſecundum peſſimam conſuetudinem eorundem, ſicque viam fuerint univerſæ carnis ingreſſi: ad probandum, quod ipſi defuncti conſolationem illam, imo verius deſolationem non *a* ſanæ mentis effecti ſuſceperint, vel poſt perditam jam loquelam, cum tamen moris ſit (ut dicitur) apud eos, quod nullum taliter conſolentur, qui non ſit ſanæ mentis, & memoriam habeat ordinatam, admitti non debent: ſi dum vivebant, diffamati erant de hæreſi, vel ſuſpecti, aut legitime conſtiterit, quod ſanæ mentis exiſtentes hujuſmodi hæreticos petierunt. Alioquin admitti poterunt prædicti filii, vel hæredes ad probandum præmiſſa. Non tamen per uxores, filios, familiares, vel de ſuis aliquos, ſed per teſtes alios fide dignos, & ſpecialiter fidei relatores

### CAP. V.

*Relapſi in hæreſim ſunt tradendi curiæ ſeculari, licet pœniteat eos, & ad fidem redeant: non tamen denegantur eis ſacramenta pœnitentiæ & Euchariſtiæ.* h. d. Dominic.

Idem *eiſdem.*

SUper eo *b*, quod ſcriptum legitur, Eccleſia nulli claudit gremium redeunti: quodque hi, qui poſt abjurationem erroris, vel poſtquam ſe proprii antiſtitis examinatione purgaverint, ſi deprehenſi fuerint in abjuratam hæreſim recidiſſe, ſeculari decernuntur judicio ſine ulla penitus audientia relinquendi: cum ſcripturæ hujuſmodi videantur ſibi invicem adverſari, quid tenendum ſit per ſedem edoceri Apoſtolicam poſtulaſtis. Nos itaque inquiſitioni veſtræ de fratrum noſtrorum conſilio reſpondemus, quod taliter deprehenſis, etiamſi (ut dictum eſt) ſine ulla penitus audientia relinquendi ſint judicio ſeculari: ſi tamen poſtmodum pœniteant, & pœnitentiæ ſigna in eis apparuerint manifeſta, nequaquam ſunt humiliter petita ſacramenta pœnitentiæ ac Euchariſtiæ deneganda.

### CAP. V.

*Excommunicati participes, & ſocii criminis, admittuntur in teſtes contra hæreticos, ſi ſciunt veriſimiliter veritatem deponere.* h. d. Dom.

Idem *eiſdem.*

IN fidei favorem concedimus, ut in negotio inquiſitionis hæreticæ pravitatis excommunicati, & participes, vel ſocii criminis ad teſtimonium admittantur. Præſertim in probationum aliarum defectum contra hæreticos, credentes, fautores, receptatores & defenſores eorum, ſi ex veriſimilibus conjecturis, & ex numero teſtium, aut per-

---

a *Et qualiter probari debeat infamia alicujus, vide Romanum conſ. 267. & Cardinalem conſ. 3. de teſt.* b *Nota hic quod propter difficultatem relaxatur juris ſolennitas, ut habes c. ſuper. eod. & l. 1. §. fin. ff. de vent. in poſſ. mit. Font.* c *Vide Turrecrematam in ſum. de Eccleſia l 4. p. 2. c. 21.* d *al. præſumpſerit.* e *al. noverit.* f *al. mereatur.* g *al. extumulet.* h *al. projiciat.* i *al. perpetua.* k *Vide Gondiſſalvum tract. de ar q 22. & repertorium Inquiſ. verbo filii.* l *al. receperint.*

a *Quod ex verbis & actibus probatur: ut not. in l. ſi cum dotem. §. ſin autem. ff. ſol. mat. c. hoc habet 59. diſt. & c. legitimus 94. diſt. & Vid. Zanch. tract. de hær. c. 16.*



UNED

perſonarum ( tam deponentium , quam eorum contra quos deponitur ) qualitate, ac aliis circumſtantiis ſic teſtificantes falſa non dicere præſumantur.

C A P. VI.

*Ordinarii, vel eorum delegati, & inquiſitores ſine pœna excommunicationis facere habent executionem juſtitiæ contra hæreticos, per habentes juriſdictionem ſecularem in loco: licet excommunicati ſint, vel de facto tantum illam juriſdictionem poſſideant.* h. d. Dom.

Idem *eiſdem*.

PRæſidentes *a* regiminis alicujus regni, provinciæ, ſive loci, licet excommunicati, vel de facto tantum, & non de jure juriſdictionem habentes, ac eorum officiales ad requiſitionem ordinariorum, vel delegatorum ipſorum, aut inquiſitorum hæreticæ pravitatis, non valentium ſine moræ diſpendio vel negotii periculo recurſum habere ad ſuperiores, qui legitime in locis ipſis poſſint juſtitiam exequi, poſſunt & debent contra hæreticos, credentes, fautores, receptatores, & defenſores eorum juſtitiam, & ſuum officium exercere. Nec requirentes hujuſmodi excommunicatos, propter hoc ſententiam excommunicationis incurrunt. Non tamen præſentibus prælibatis, vel officialibus eorundem propterea in aliis caſibus intelligatur conceſſum aliquid vel permiſſum.

C A P. VII.

*Excommunicatus propter contumaciam non reſpondendi ſuper hæreſi, de qua erat ſuſpectus, poſt annum damnatur ut hæreticus.* h. d. Dom.

Idem *eiſdem*.

CUM *b* contumacia (in cauſa præſertim fidei) ſuſpicioni præſumptionem adjiciat vehementem: ſi ſuſpectus de hæreſi revocatus a vobis ut de fide reſpondeat, excommunicationis vinculo (pro eo quod parere ſubterfugit, aut contumaciter ſe abſentat) per vos fuerit innodatus, quam ſi *c* per annum animo ſuſtineat pertinaci, extunc velut hæreticus condemnetur.

C A P. VIII.

*Abjurans in judicio hæreſim propter vehementem præſumptionem, ſi iterato labitur (licet non fuiſſet probatum plene) relapſus dicitur: ſecus ſi levis erat præſumptio.* h. d. uſque ad §. Eum vero. Dominicus.

Idem *eiſdem*.

ACcuſatus de hæreſi vel ſuſpectus, contra quem de hoc crimine magna & vehemens ſuſpicio orta erat, ſi hæreſim in judicio abjuravit, & poſtea committit in ipſa, cenſeri debet quadam juris fictione relapſus: licet ante abjurationem ſuam hæreſis crimen plene probatum non fuerit contra ipſum.

Si autem levis & modica ſuſpicio illa fuerit *d*, quanquam ex hoc ſit gravius puniendus, non tamen debet in hæreſim relapſorum pœna puniri.

*Culpabilis in uno articulo hæreſis, generaliter poſtea abjurando relapſus dicitur, ſi committit etiam in alium articulum ſeparatum.* h. d. Dom.

§. 1. Eum vero, qui in una hæreſis ſpecie vel ſecta commiſit, aut in uno fidei articulo, ſeu Eccleſiæ ſacramento erravit, & poſtmodum hæreſim ſimpliciter vel generaliter abjuravit, ſi extunc in aliam etiam hæreſis ſpeciem ſive ſectam, aut alio articulo ſeu ſacramento committat, volumus ut relapſum in hæreſim judicari.

*Qui poſt abjurationem hæreſis, de qua convictus fuerat, vel poſtea convincitur, facto vel verbo hæreticis communicat in rebus hic prohibitis, relapſus dicitur.* hoc dicit. Dominicus.

a *Vide gl. fin. in cap. 1. de offic. vicarii hoc eod. lib. & Gondiſſalvum tract. de hær quæſt, 19.* b *de intellectu vide Albertinum tract. de agnoſc. aſſert. quæſt. 30. num. 73.* c *Dictio*, ſi, *deeſt in antiquioribus codicibus etiam impreſſis, & ſeries orationis indicat abeſſe oportere.* d *al. fuit.*

§. 2. Ille quoque, de cujus lapſu in hæreſim ante abjurationem conſtiterat, vel nunc conſtat, ſi poſt illam hæreticos acceptet *a*, deducat, viſitet, ſive aſſociet, aut dona vel munera eis donet, vel mittat, ſeu favorem eis impendat, qui excuſari non poſſit etiam ſine adoratione: (ut verbis veſtris utamur) merito debet judicari relapſus, cum illum ex approbata *b* a ſe prius erroris conſequentia non ſit dubium id feciſſe.

*Teſtis in cauſa hæreſis falſum deponens, licet perjurus ſit, probat dicendo contrarium: dum tamen ex indiciis conſtet dictum non corruptionem, ſed veritatem continere.* hoc d.

§. 3. Licet vero perjuri a teſtimonio, etiam poſt pœnitentiam, repellantur, ſi tamen ii, qui coram inquiſitoribus jurantes, tam de ſe, quam de aliis ſuper facto hæreſis dicere veritatem, eam celando dejerent, & poſtmodum velint corrigere dictum ſuum, contra ſe ac alios ſuos complices deponendo: cum crimen hujuſmodi ſit exceptum, ſi ex manifeſtis indiciis apparuerit, tales non animi levitate, aut odii fomite, ſeu corruptione pecuniæ, ſed zelo fidei orthodoxæ dictum ſuum velle corrigere, ac modo (quæ prius tacuerant) revelare, in favorem fidei, niſi aliud obſiſtat, ſtari debet tam contra ſe, quam contra reliquos atteſtationibus eorundem.

*Inquiſitores ſuper hæreſi deputati, non ſe intromittant de divinationibus vel ſortilegiis non ſapientibus hæreſim manifeſtam.* h. d. Dom.

§. 4. Sane cum *c* negotium fidei (quod ſumme privilegiatum exiſtit) per occupationes alias non debeat impediri: peſtis inquiſitores hæreticæ a ſede Apoſtolica deputati, de divinationibus, aut ſortilegiis (niſi hæreſim ſaperent manifeſte) intromittere ſe non debent, nec punire talia exercentes, ſed eos relinquere ſuis Judicibus puniendos.

*Inquiſitores hæreſis de quæſtionibus uſurarum ſe intromittere non poſſunt.* h. d.

§. 5. De quæſtionibus præterea uſurarum motis etiam contra illos, quibus reſtitutionem uſurarum in pœnitentia pro hæreſis crimine injunxerunt, ac illi ſe & ſua ad hoc faciendum in judicio Eccleſiæ obligarunt, intromittere ſe non poſſunt: ne per cauſas hujuſmodi offendiculum negotio fidei præparetur.

*Inquiſitores poſſunt compellere hæredes fautorum hæreticorum (qui tamen hæretici non erant) ad implendum pœnitentiam injunctam in bonis temporalibus: ſecus ſi mortui ſint, antequam fuerit pœnitentia injuncta.* h. d. Dominic.

§. 6. Si vero *d* pro iis, quæ in hæreſi, receptando vel defendendo hæreticos, ſeu eis favendo, non tamen exiſtens hæreticus, quis commiſerit, ſub obligatione bonorum ſuorum inquiſitoribus ſe adſtrinxit ad recipiendam ab eis pœnitentiam & complendam, & ea licet injuncta, non tamen peracta deceſſit: ſi per hujuſmodi pœnitentiam onus impoſitum fuerit proficiens ad ſalutem, in bonis ejus temporalibus exequendum, ad complementum ipſius per inquiſitores cogi debent hæredes, vel alii ad quos cum ſuo onere bona hujuſmodi devenerunt. Porro ſi propter hujuſmodi hæreticorum receptationem, defenſionem, ſeu favorem, quis ad faciendam pœnitentiam, quam inquiſitores ipſi injungere vellent, bona ſua obligaverit eiſdem, & antequam ei pœnitentia injungeretur, deceſſerit: ejus hæredibus non eſt ſatisfactio pro extincto jam crimine injungenda.

*Poſt mortem hæretici declarari poteſt eum hæreticum fuiſſe, ad finem confiſcandi.* Dom.

§. 7. In eo vero caſu, quo hæredes ad ſucceſſionem non debent ob hæreſim ſui auctoris admitti, non obſtante, quod auctore ipſo vivente hoc non fuerit (interveniente ipſius morte) per ſententiam declaratum, ad *e* confiſcationem

a *Al. receptet.* b *al. approbati.* c *Vide Zanchinum tract. de hæret. cap. 22.* d *In vetuſtiorib. cod. ita: ſi vero in his, &c.* e *al. ad occupationem.*

UNED

tionem bonorum poſt mortem ejuſdem nihilominus procedatur.

*Clerici inſtruentes teſtes, ne inquiſitores veritatem inveſtigent, puniri poſſunt per eos: & Religioſi gravius puniuntur.* h. d. Dom.

§. 8. Sacerdotes inſuper & alii Clerici, qui negotium inquiſitionis inſtruendo citatos hæreticos, vel eorum credentes de celanda veritate, vel dicenda falſitate, ſeu eos indebite liberando inventi fuerint impedire (cum non ſit dubium eos *a* ipſa facere in favorem hæreticæ pravitatis) per inquiſitores a talibus compeſci poſſunt, & pœna debita caſtigari, tam per captionem perſonarum, quam alias, prout culpa exegerit delinquentis. Religioſi etiam ſunt immutationis pœna, vel alia gravius puniendi quam ſeculares, ſi inventi fuerint in hæreſi, vel conſimilibus deliquiſſe.

## CAP. IX.

*Non valent ſtatuta, per quæ inquiſitoris hæreſis officium impeditur, vel retardatur.*

Urbanus IV. (*An.* 1263.)

STatutum *b* civitatis, caſtri, villæ, vel alterius loci, per quod negotium inquiſitionis hæreticæ pravitatis directe vel indirecte, ne in eo libere procedi valeat, contigerit impediri, vel quomodolibet retardari, nullius exiſtere firmitatis: ipſiuſque civitatis vel loci Dominum, Poteſtatem, Capitaneum, Conſules, vel Rectores, per quem vel quos eadem civitas, ſeu locus regitur, quocunque nomine cenſeantur, ad ſtatutum hujuſmodi loci Diœceſano, vel ejus Vicario, aut inquiſitori, ſeu inquiſitoribus labis præfatæ, ſine moræ diſpendio exhibendum: & ſi tale inventum fuerit, revocandum omnino, vel ſaltem eatenus moderandum, quod per illud inquiſitionis proceſſus non impediantur, vel aliquatenus retardentur, per cenſuram Eccleſiaſticam decernimus compellendos.

## CAP. X.

*Officium inquiſitoris hæreſis morte concedentis non expirat: etiam quoad negotia prius non cœpta vel exorta.* hoc dicit.

Gregorius IV. *Inquiſitoribus hæreticæ pravitatis.* (*An.* 1267.)

NE *c* aliqui dubitationem ſolicitam excitantes in dubium revocent, an officium inquiſitionis hæreticæ pravitatis ſolicitudini veſtræ intra certos limites ab Apoſtolica ſede commiſſum expiret per mortem Romani Pontificis, qui commiſit: Præſenti declaramus edicto, ipſum officium non ſolum quoad negotia vivente mandatore incœpta, imo etiam quoad integra & non cœpta, & quod plus eſt, quantum ad ea quæ tunc nequaquam emerſerant, in favorem fidei poſt committentis obitum perdurare.

## CAP. XI.

*Informat inquiſitores ad Deum, ut ejus timorem hominum metui anteponant; in procedendo ſimul vel ſeparatim contra hæreticos & ſuos fautores: & etiam in eos abſolvendo cum vere redierint.*

Idem *eiſdem*.

UT *d* officium inquiſitionis contra hæreticos in provincia, in qua vobis idem officium eſt commiſſum auctoritate Apoſtolica poſſitis efficacius adimplere, diſcretioni veſtræ per Apoſtolica ſcripta mandamus quatenus ubique in præfata provincia ſimul vel ſeparatim aut ſingulariter (prout negotii utilitas ſuadebit) contra hæreticos, credentes, receptatores, fautores & defenſores eorum, necnon contra infamatos de hæreſi vel ſuſpectos, juxta ſanctiones canonicas (hominum metu divino *a* timori poſtpoſito) procedatis. Si vero aliquis ex prædictis hæretica labe primitus abjurata, redire voluerit ad Eccleſiæ unitatem: ei juxta formam Eccleſiæ abſolutionis beneficium impendatis, & injungatis eidem quod injungi talibus conſuevit: proviſo ſolerter, ne ſimulata converſione redeant fraudulenter, & vos (imo ſeipſos) fallentes, ſub agni ſpecie lupum gerant.

*Inſtruit inquiſitores in modo examinationis teſtium, & in perſonis, quæ teſtificata ſcribere debeant.* h. d.

§. 1. Verum, quia in tam gravi crimine cum multa oportet cautela procedi (ut in reos ſine ullo proferatur errore duræ ac dignæ ſeveritas ultionis) volumus & mandamus, ut in examinatione teſtium, quos recipi ſuper crimine prædicto, ipſumque contingentibus oportuerit, adhibeatis duas religioſas & diſcretas perſonas: in quarum præſentia per publicam (ſi commode poteſtis habere perſonam, aut per duos viros idoneos, fideliter eorundem depoſitiones teſtium conſcribantur. Ad conſcribendas *b* quoque hujuſmodi depoſitiones teſtium, & ad faciendum omnia, quæ in commiſſo vobis officio ad ſcriniarii, ſeu tabellionis officium pertinent, teneri diſtricte præcipimus, cum per vos fuerint requiſiti, omnes & ſingulos veſtri ordinis fratres, qui dum eſſent in ſeculo, tabellionatus officium habuiſſe aut exercuiſſe noſcuntur: & illos etiam, quibus idem tabellionatus officium ratione præfati negotii fidei fuit Apoſtolica ſede commiſſum, & in poſterum committetur: concedentes hujuſmodi fratribus, necnon & aliis Religioſis quibuslibet, qui ſimiliter dum eſſent in ſeculo, tabellionatus officium habuerunt *c* & exercuerunt, quibuſvis etiam Clericis ſecularibus officium ipſum habentibus (etiamſi iidem fratres Religioſi & Clerici ſint in ſacris ordinibus conſtituti) exercendi libere officium ipſum quoad præmiſſa, non obſtante ſtatuto aliquo contrario canonis vel ordinis, quocunque vallato munimine, poteſtatem.

*Inſtruit inquiſitores circa perſonas, per quas impediri poſſet, vel differri inquiſitionis negotium.* h. d.

§. 2. Compeſcendi præterea monitione præmiſſa per cenſuram Eccleſiaſticam appellatione poſtpoſita, prædicatores quæſtuarios *d* (ubi contigerit pro inquiſitionis ſeu fidei negotio congregationem fieri, vel alias eidem negotio, quomodolibet ex hoc impedimentum aliquod afferri) a prædicationis officio, quod ad ipſos nullatenus pertinet (quorum intereſt tantum charitativa ſubſidia ſuppliciter petere, ac indulgentiam ſi forte habent exponere) liberam vobis & ſingulis veſtrum concedimus, auctoritate præſentium, facultatem. Denique, ut circa præmiſſa plene vobis & ſingulis veſtrum coercitionis expedita & inviolabilis adſit auctoritas, volumus, ut ea omnia viriliter exequamini (ſi opus fuerit) invocato auxilio brachii ſecularis, contradictores per cenſuram Eccleſiaſticam appellatione poſtpoſita compeſcendo. Non obſtantibus aliquibus privilegiis vel indulgentiis quibuſcunque perſonis cujuſvis conditionis, dignitatis vel gradus, religionis vel ordinis, comitatibus *e*, vel univerſitatibus civitatum & locorum ſpecialiter, vel generaliter ſub quacunque verbo-

a *alit. ita: ipſos ea facere, &c.* b *Concordat reſcriptum Innocent. IV. incip. ad extirpanda. §. cæterum teneatur. & aliud reſcriptum Alexand. IV. incip. implacida relatio. quæ habentur impreſſa in bullario literarum Apoſtolicarum pro officio ſanctiſſimæ inquiſit* c *Vid. Dec. in cap. cauſam matrimonii. extr. de offic. deleg. & Arelatanum tractat. de hæret. notabili 4. Concordat reſcriptum Urbani IV. incip. ex omnib. unde hoc capitulum accipiet lucem. habetur impreſſum in bullario literarum Apoſtolicarum pro officio ſanctiſſimæ inquiſitionis.*

a *In pleriſque codic. mendoſe legitur ita, divinoque timore poſtpoſito.* b *Vide reſcr. Alex IV. incip. ne commiſſa & reſcriptum Pii IV. incip. paſtoralis officii cura habetur impreſſa inter litteras Apoſtolicas pro officio ſanctiſſimæ inquiſitionis.* c *alias ita: habuerint & exercuerint.* d *Prædicatores quæſtuarios omnino ſuſtulit Conc. Trid. ſeſſ 25. de reform. c. 2. §. ult. & ſeſſ. 21. de reform. cap. 9.* e *In manuſcr. legitur, communitatibus.*

verborum expreſſione vel forma a memorata ſede conceſſis, vel impoſterum concedendis, cum ex hujuſmodi, vel aliis privilegiis, vel indulgentiis nullum vobis in tantæ pietatis negotio velimus obſtaculum interponi: & conſtitutione de duabus diætis edita in concilio generali. Statuimus inſuper, ut Poteſtas, Capitaneus, ſeu Rector, vel Conſules, ſeu quivis alii, qui civitati præſunt, vel loco alteri ad præſens, aut præerunt *a* in futurum, ad requiſitionem Diœceſanorum, vel Vicariorum ſuorum, ſeu Inquiſitorum hæreticæ pravitatis, jurent præciſe attendere inviolabiliter & *b* obſervare, ac facere a ſuis ſubditis obſervari toto tempore ſui regiminis, in terris ſuæ juriſdictioni regiminive ſubjectis, conſtitutiones contra hæreticos, credentes, receptatores, fautores, & defenſores eorum, ipſorumque filios & nepotes a ſede Apoſtolica promulgatas, ac etiam approbatas, quas, qui jurare noluerit & ſervare, ut infamis, & tanquam hæreticorum fautor, ac de fide ſuſpectus, officio & honore ſui regiminis ſpolietur: nec ulterius Poteſtas, Capitaneus, Conſul, vel Rector habeatur in aliquo, aut de cætero in *c* aliquam dignitatem vel officium publicum ulterius aſſumatur: & quæ ut Poteſtas, Ballivus, Conſul, vel Rector fecerit, nullam obtineant firmitatem.

C A P. XII.

*Comprehendit iſta decret. plura utilia pro expediendo officio inquiſitorum: dat enim eis poteſtatem committendi citationes, & ſententiarum denunciationes: dat poteſtatem vocandi peritos, Clerum & populum, ut eis aſſiſtant: dat poteſtatem procedendi contra illos, qui de ſua in aliam provinciam ſe tranſtulerunt: dat poteſtatem repetendi libros & proceſſus commutandi & mitigandi pœnas, privandi & privatos nuntiandi officiis & honoribus hæreticos, fautores, & defenſores eorum: ita tamen quod hoc fiat de Diœceſanorum vel in eorum abſentia Vicariorum ſuorum conſilio: niſi iidem ſcienter talibus beneficia contuliſſent.* h.d. Joan. Andr.

Bonifacius VIII. *Inquiſitoribus hæreticæ pravitatis.* (*An.* 1299.)

UT *d* commiſſi vobis officii debitum utilius & uberius exequamini, ſanctæ memoriæ Innocentii, Alexandri, & Clementis prædeceſſorum noſtrorum veſtigiis inhærentes, vobis & veſtrum ſingulis committendi citationes, & denunciationes ſententiarum, quas in quoslibet hæreticos, credentes, receptatores, defenſores, & fautores eorum tuleritis: Advocandi quoque prout expedierit peritos quoslibet, ut vobis aſſiſtant, & in hujuſmodi ferendis ſententiis præbeant conſilium opportunum, ac eis, quod ſuper his vobis humiliter pareant, in virtute obedientiæ injungendi: Convocandi etiam Clerum & populum civitatum, caſtrorum, aliorumque locorum (prout dicto negotio fidei videritis expedire). Et contra illos, quos in provincia, in qua vobis inquiſitionis officium eſt commiſſum, hæreſis crimen conſtiterit commiſiſſe (licet ad alias partes ſe transferendos duxerint) procedendi: Necnon faciendi a quibuslibet aſſignari vobis libros, ſeu quaternos, & alia ſcripta, in quibus inquiſitiones factæ, ac proceſſus per quoſcunque auctoritate ſedis Apoſtolicæ, vel Legatorum ejus habiti contra hæreticos continentur: & illorum, qui veſtris mandatis obedientes humiliter ſtant propter hæreſim in carcere vel muro recluſi, pœnam una cum Prælatis, quorum juriſdictioni ſubſunt, mitigandi, vel mutandi, cum videritis expedire: Privandi præterea, vel privatos nuntiandi dignitatibus ac aliis beneficiis Eccleſiaſticis de Diœceſanorum, vel eis abſentibus Vicariorum ſuorum conſilio, & officiis publicis, honoribuss quibuſcunque, eoſdem hæreticos, credentes, receptatores, & defenſores ipſorum, eorumque filios & nepotes, plenam concedimus facultatem. Sunt autem Diœceſani in privando tales, vel nuntiando privatos beneficiis & hujuſmodi requirendi: Niſi forte conſtaret legitime, quod iidem ſcienter hujuſmodi perſonis eadem beneficia contuliſſent: tunc enim eos in his requirendos non eſſe cenſemus, ſed potius a ſuo Judice puniendos.

C A P. XIII.

*Chriſtiani ad Judaiſmum tranſeuntes & redeuntes hæretici reputantur.* h.d. ſecundum Zen.

Idem.

CONtra Chriſtianos, qui ad ritum tranſierint vel redierint Judæorum (etiamſi hujuſmodi redeuntes, dum erant infantes, aut mortis metu, non tamen abſolute, aut præciſe coacti, baptizati fuerint) erit *a* tanquam contra hæreticos, ſi fuerint de hoc confeſſi, aut per Chriſtianos, ſeu Judæos convicti: Et ſicut contra fautores, receptatores, & defenſores hæreticorum, ſic contra fautores, receptatores, & defenſores talium eſt *b* procedendum.

C A P. XIV.

*Non confiſcantur dotes uxorum innocentium propter hæreſim maritorum.* h.d. ſecundum Zen.

Idem.

DEcrevit *c* felicis recordationis Innocent. Papa IV. quod propter hæreſim maritorum, uxorum catholicarum dotes non debeant confiſcari. Quod intelligendum fore cenſemus, niſi forte mulieres ipſæ cum viris matrimonia contraxiſſent, quos hæreticos tunc ſciebant.

C A P. XV.

*Filii hæreticorum uſque ad ſecundam lineam paternam, ad primam vero maternam, ſunt inhabiles ad beneficium Eccleſiaſticum, vel officium ſeculare, ſi patres ante mortem Eccleſiæ reincorporati non fuerint.* h. dicit ſecundum Dominic.

Idem.

STatutum felicis recordationis Innocentii & Alexandri præd. noſt. ne videlicet hæretici, credentes, receptatores, defenſores, & fautores eorum, ipſorumque filii uſque ad ſecundam generationem ad aliquod beneficium Eccleſiaſticum, ſeu publicum officium admittantur, quod ſi ſecus actum fuerit, ſit irritum & inane. Primum & ſecundum gradum per paternam lineam comprehendere declaramus: per maternam vero ad primum duntaxat volumus hoc extendi. Hoc ſane de filiis & nepotibus hæreticorum, credentium, & aliorum hujuſmodi, qui tales eſſe, vel tales etiam deceſſiſſe probantur, intelligendum eſſe videtur: non autem illorum, quos emendatos eſſe conſtiterit, & reincorporatos Eccleſiæ unitati, & pro culpa hujuſmodi ad mandatum Eccleſiæ pœnitentiam recepiſſe, quam ipſi vel jam perfecerunt, vel humiliter proſecutioni ejus inſiſtunt, vel parati fuerint ad recipiendam eandem.

C A P XVI.

*Inquiſitor Papæ ſuper hæreſi, ſine ſpeciali mandato non inquirit contra Epiſcopum, ſed ſi eum culpabilem ſciverit, nuntiabit Papæ.* h. d. Joan. Andr.

Idem.

INquiſitores *d* hæreticæ pravitatis ab Apoſtolica ſede ſeu alio vel aliis quibuslibet deputati, de hujuſmodi crimine inquirere contra Epiſcopos nequeant, aut ejus prætextu procedere contra eos: Niſi in literis commiſſionis Apoſtolicæ, quod hoc poſſint, contineatur expreſſe. Si tamen inquiſitores ipſi Epiſcopos, vel alios ſuperiores Prælatos ſciverint vel invenerint circa crimen hære-

a *al. præfuerint.* b *al. ita: & ſervare.* c *al. ad aliquam.* d *Vide reſcriptum Urban. IV. incip. licet ex omnibus.* §. *ut ergo. extat impreſſum inter literas Apoſtolicas pro officio ſanctiſſimæ Inquiſitionis.*

a *al. deeſt.* b *Verbum*, eſt, *deeſt in manuſcr.* c *Vid. Zanchinum tract. de hæret. cap.* 25. d *Vid. Concil. Trident. ſeſſ.* 24. *de reform. cap.* 5. *& repertorium Inquiſitorum, verbo Epiſcopus.*

UNED

hæreſeos commiſiſſe, aut eos de hoc diffamatos exiſtere, vel ſuſpectos; id tenebuntur ſedi Apoſtolicæ nunciare.

CAP. XVII.

*Non derogatur ordinariis ſuper proceſſu hæreticorum, licet Papa generaliter alteri deleget. Et ſuper eodem facto Epiſcopus & Inquiſitor poſſunt procedere communiter vel diviſim, vel proferre ſententiam, in qua ſi diſcordant, debent Papæ referre. Et Epiſcopi qualitercunque procedant, debent ſervare modum inquiſitoribus impoſitum.* h. d. Domin.

Idem.

PER a hoc, quod negotium hæreticæ pravitatis alicui vel aliquibus ab Apoſtolica ſede generaliter in aliqua provincia, civitate, vel diœceſi delegatur, diœceſanis Epiſcopis, quin & ipſi auctoritate ordinaria, vel delegata (ſi habent) in eodem procedere valeant, nolumus derogari. Verum, ut dictum inquiſitionis negotium efficacius, melius, utiliuſque procedat, concedimus, quod per Epiſcopos ipſos, & per inquiſitores de facto eodem inquiri valeat communiter vel diviſim: & ſi diviſim proceſſerint, teneantur ſibi invicem communicare proceſſus, ut per hoc poſſit melius veritas inveniri: & niſi hoc caſu inquiſitores in ſententiæ prolatione Diœceſanis vel econtra duxerint deferendum, per utroſque ſimul ſententia proferatur: in qua ferenda, ſi non convenerint, per utroſque negotium ſufficienter inſtructum ad ſedem Ap. remittatur b. Sive autem ordinaria, ſive delegata Epiſcopi poteſtate procedant, illum in procedendo modum obſervent, quem inquiſitores poſſunt & debent per jura communia, vel per ſpeciales conceſſiones, ſeu ordinationes ſedis Apoſt. obſervare.

CAP. XVIII.

*Epiſcopis & inquiſitoribus hæreſis non reſiſtant, ſed omnino pareant domini temporales, & de eo crimine non cognoſcant: alias, prout dicitur hic, puniuntur.* h. d. ſecundum Zen.

Idem.

UT inquiſitionis negotium contra hæreticam pravitatem, ad Dei gloriam & augmentum fidei noſtris temporibus proſperetur, leges c quaſdam per Federicum olim Romanorum Imperatorem, tunc in devotione Romanæ perſiſtentem Eccleſiæ, promulgatas, quatenus Dei, & Eccleſiæ ſanctæ ſuæ honorem promovent, & hæreticorum exterminium proſequuntur, & ſtatutis canonicis non obſiſtunt, approbantes & obſervari volentes: univerſos ſeculi poteſtates & dominos temporales, ac provinciarum, terrarum, civitatum, aliorumque locorum Rectores, quibuſcunque dignitatibus vel officiis, aut nominibus cenſeantur, requirimus & monemus, ut ſicut reputari cupiunt & haberi fideles, ita pro defenſione fidei diœceſanis Epiſcopis, & inquiſitoribus hæreticæ pravitatis, a ſede Apoſtolica deputatis, aut in poſterum deputandis, pateant, & intendant hæreticorum, credentium, fautorum, receptatorum, & defenſorum ipſorum inveſtigatione, captione, ac cuſtodia diligenti, cum ab eis fuerint requiſiti: & ut præfatas perſonas peſtiferas in poteſtatem, ſeu carcerem Epiſcoporum, aut inquiſitorum dictorum, vel ad locum, de quo ipſi vel aliqui ex eis mandaverint, intra eorundem dominorum poteſtatem, vel Rectorum diſtrictum ducant, vel duci faciant ſine mora: ubi per viros catholicos a præfatis Epiſcopis, ſeu inquiſitoribus, vel eorum aliquo deputatos ſub arcta & diligenti cuſtodia teneantur, donec eorum negotium per Eccleſiæ judicium terminetur. Utque de hæreſi a diœceſano Epiſcopo vel inquiſitore, ſeu inquiſitoribus condemnatos, præfati poteſtates, domini temporales, ſive rectores, vel eorum officiales, ſeu nuntii ſibi relictos ſtatim recipiant indilate animadverſione debita puniendos: non obſtantibus appellationibus, ſeu proclamationibus prædictorum nequitiæ filiorum: cum tam ſecundum ordinationem prædeceſſorum noſtrorum, quam ſecundum legem Imperialem, appellationis & proclamationis beneficium expreſſa ſit hæreticis & credentibus, ac eorum receptatoribus, fautoribus & defenſoribus interdictum. Prohibemus quoque diſtrictius poteſtatibus, dominis temporalibus, & Rectoribus, eorundemque officialibus ſupradictis, ne ipſi de hoc crimine (cum mere ſit Eccleſiaſticum) quoquo modo cognoſcant vel judicent, ſive captos pro eodem crimine abſque dictorum Epiſcoporum ſive inquiſitorum, aut ſaltem alterius eorundem licentia, vel mandato a carcere liberent, aut executionem ſibi pro hujuſmodi crimine a diœceſano vel inquiſitoribus, ſeu inquiſitore injunctam, prompte (prout ad ſuum ſpectat officium) facere ſeu adimplere detrectent; vel alias diœceſanorum, aut inquiſitorum judicium, ſententiam, ſeu proceſſum, directe, vel indirecte impedire præſumant. Si quis vero de prædictis poteſtatibus, dominis temporalibus, Rectoribus, vel eorum Officialibus, ſeu Ballivis, contra prædicta fecerit, aut præfato fidei negotio ſæpefatis diœceſano Epiſcopo vel inquiſitoribus incumbenti ſe opponere forte præſumpſerit vel ipſum aliquatenus impedire, necnon & qui ſcienter in prædictis dederit auxilium, conſilium, vel favorem, excommunicationis ſe noverit mucrone percuſſum: quam ſi per annum animo ſuſtinuerit pertinaci, extunc velut hæreticus condemnetur.

CAP. XIX.

*Bona hæreticorum ipſo jure ſunt confiſcata: quod probatur triplici argumento legali. Sed apprehenſio bonorum fieri non debet per dominum ſecularem, niſi prius pronunciatum fuerit ſuper crimine per Judicem Eccleſiaſticum, qui hoc poſſit.* Joan. Andr.

Idem.

CUM ſecundum leges civiles, nefarias, naturæ contrarias, inceſtas nuptias contrahentes, eoipſo ſuarum dominium rerum perdant: & mulier humanam legem tranſgrediens, & (præſertim parentibus ſuis non conſentientibus) raptoris a nuptias eligens, bona omnia, quæ per legem ſibi obvenerant a raptore ac aliis conſortibus raptus, ipſo jure amittat, certoque caſu deferantur in fiſcum: Ac etiam illicitas ſpecies tranſvehens, aut rerum vectarum profeſſionem b omittens, earundem ſpecierum & rerum proprietate hoc ipſo privetur, & fiſco, rerum & ſpecierum dictarum proprietas acquiratur: Bona hæreticorum (qui gravius, horribilius, ac deteſtabilius, quam prædicti delinquunt) ipſo jure de fratrum noſtrorum conſilio decernimus confiſcata. Confiſcationis tamen hujuſmodi executio, vel bonorum ipſorum occupatio fieri non debet per principes, aut alios dominos temporales (juxta Gregorii Papæ prædeceſſoris noſtri declarationem) antequam per Epiſcopum loci, vel aliam perſonam Eccleſiaſticam, quæ ſuper hoc habeat poteſtatem, ſententia ſuper eodem crimine fuerit promulgata.

CAP. XX.

*In cauſa hæreſis proceditur ſimpliciter & de plano, & dicta teſtium & accuſatorum non publicantur, ſi periculum timeatur.* h. d. ſecundum Zen.

Idem.

STatuta quædam felicis recordationis Innocentii, Alexandri, & Clementis prædeceſſorum noſtrorum, quibuſdam declaratis & additis, recenſentes: concedimus, quod in inquiſitionis hæreticæ pravitatis negotio procedi poſſit

---

a *Declaratur hoc cap. per extravag. Benedicti incip. ex eod. habetur tit. de hær.* b *Vip. Zanchin. tract. de hæret. cap. 15. & repertorium Inquiſ. verbo Epiſcopus. §. quando Epiſcopus.* c *Vid. Bart. in l. Aurelius. §. idem quæſit. ff. de lib. leg. in cauſ. ff. de Procur. Innoc. c. cum venerabilis de except. Font.*

a *Vide Conc. Trident. ſeſſ. 24. de refor. matrim. c. 6.* b *alit. profectionem.*

poſſit ſimpliciter & de plano *a*, & abſque advocatorum ac judiciorum ſtrepitu & figura. Jubemus tamen, quod ſi accuſatoribus vel teſtibus in cauſa hæreſis intervenientibus ſeu deponentibus ( propter potentiam perſonarum, contra quas inquiritur ) videant Epiſcopus vel Inquiſitores grave periculum imminere *b*, ſi contingat fieri publicationem nominum eorundem: ipſorum nomina non publice, ſed ſecreto coram diœceſano Epiſcopo, vel eo abſente, ipſius Vicario, quando inquiſitores procedunt; quando vero procedit Epiſcopus, coram inquiſitoribus, ſi haberi commode poſſit copia eorundem: ac nihilominus ſive Epiſcopus, ſive Inquiſitores proceſſerint, aliquibus aliis perſonis providis & honeſtis, juriſque peritis ( quas ad hoc vocari, & eis per *c* totum proceſſum, ſuper quo deliberandum eſt, ſerioſe manifeſtari, ac integraliter explicari, & de ipſorum conſilio ad ſententiam vel condemnationem procedi volumus ) exprimantur: ſicque ( non obſtante, quod illis, contra quos hujuſmodi depoſuerunt, nomina ipſorum non fuerint publicata ) adhibeatur ad cognitionem Judicis inſtruendam plena fides depoſitionibus teſtium eorundem. Et ut eorundem accuſatorum & teſtium periculis efficacius occurratur, & cautius in inquiſitionis negotio procedatur: præſentis conſtitutionis auctoritate permittimus, quod Epiſcopus vel Inquiſitores ſecretum poſſint indicere illis, quibus ( ut præmiſſum eſt ) proceſſum hujuſmodi explicabunt: & in eos ſi arcana conſilii ſeu proceſſus ſibi ſub ſecreto ab eiſdem Epiſcopo vel Inquiſitoribus patefacta, præter eorum licentiam aliis patefecerint, excommunicationis ſententiam, quam ex ſecreti violatione ipſo facto incurrant ( ſi eis expedire videbitur ) promulgare: ſic tamen, quod Inquiſitores Epiſcopum, vel Epiſcopus Inquiſitores non excommunicent hac de cauſa, ſed Epiſcopi ex injuncto ex nunc a nobis ſub virtute ſanctæ obedientiæ diſtricto præcepto ad ſecretum hujuſmodi teneantur. Ceſſante vero periculo ſupradicto, accuſatorum & teſtium nomina ( prout in aliis fit judiciis ) publicentur. Cæterum in his omnibus præcipimus, tam Epiſcopos quam Inquiſitores puram & providam intentionem habere, ne ad accuſatorum vel teſtium nomina ſupprimenda, ubi eſt ſecuritas, periculum eſſe dicant: nec in eorum diſcrimen ſecuritatem afferant, ubi tale periculum immineret, ſuper hoc eorundem conſcientias onerantes. Conſtitutiones vero, ordinationes, & mandata alia prædeceſſorum noſtrorum in negotio hæreticæ pravitatis facta, conceſſa, ſeu etiam ad conſulta reſponſa, quæ conſtitutionibus ſupradictis *d* ſuper eadem editis pravitate non obvient, in ſuo volumus robore permanere.

## *TITULUS III.*
## DE SCHISMATICIS.
### CAP. I.

In prima parte *ponit arengam uſque ad verſ. Jacobum videlicet, in quo dicit, quod Columnenſes Jacobus & Petrus olim Cardinales & filii Joannis, fratres ſcilicet dicti Petri, diutius expectati voluerunt ad cor redire, ſed in profundum malorum deſcendentes ſua aggravabant delicta: quare varias pœnas tulit in eos, quas ad certitudinem præſentium & memoriam futurorum hic inferit.* Secundo *ponit pœnas, quas protulit in ipſos Jacobum & Petrum, uſque ad verſ. Contra natos. Ibi* tertio *ponit pœnas, quas tulit contra filios & poſteros dicti Joannis, uſque ad verſ. Omnem. Ibi* quarto *imponit pœnas iis, qui de cætero deliberate dictos Jacobum & Petrum pro Cardinalibus habuerint, vel eis vel prædictis natis Joannis favorem præbuerint, uſque ad verſ. Hæc & alia. Ibi* quinto & ultimo *ratificat, innovat, & confirmat prædicta, & ea præcipit inviolabiliter obſervari: & jubet ſimiles exceſſus puniri ſimilibus pœnis in poſterum.* h. d. Joan. And.

Bonifacius VIII. ( *an.* 1295. *Romæ.* )

AD ſuccidendos infructuoſos palmites, peſtiferos & nocivos, quos ( quaſi ficus fatua ) domus *a* de Columna produxit, neſcientes in ſemitis juſtitiæ dirigere greſſus ſuos, ad cor reverti, & agere pœnitentiæ dignos fructus, licet diutius expectatos ( Jacobum videlicet de Columna, & Petrum nepotem ipſius, olim ſanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinales, & filios quondam Joannis de Columna, fratris dicti Jacobi, & patris Petri præfati poſteros, & fautores, & ſequaces eorum ) in virtute altiſſimi exurgentes, ſpiritualiter & temporaliter contra eos duximus procedendum. Conſequenter dictis Jacobo & Petro, deſcendentibus in profundum malorum, & molientibus inconſutilem tunicam Domini, ſanctæ videlicet Eccleſiæ ſcindere unitatem, & ut gladium acuentibus linguas ſuas, & prorumpentibus, non tam in verba *b* blaſphemiæ & ſchiſmatica, quam inſana, quæ in ſcriptis redacta ſub ſigillis quibus antequam eſſent depoſiti utebantur, per urbem & diverſa mundi climata deſtinaverunt, æſtimantes loquacitatem facundiam, & maledicere conſcientiæ bonæ ſignum, & conficta materia diſputandi, quia veritate non poterant, nos ſaltem lacerare conviciis præſumpſerunt; quorum dicta licet poſſemus ſuperioris aſſertione convincere, & luce clarioribus rationibus confutare, duximus eorum latratibus non dare reſponſum, ut contrita eorum rabies, auctoritate ſonora præſidentis in ſupremo judicii ſollo frangeretur, & patens veritas per ſeipſam veniret in publicam notionem, noſtrumque ſilentium in ſupplicium eis foret. Proceſſus tamen contra ipſos & alios fecimus ſucceſſive varios, diverſiſque temporibus, ſpirituales & temporales pœnas & ſententias continentes & mulctas: quorum ( quia totum tenorem conſtitutionis in præſenti inſerere longum eſſet ) ex eis quædam compendioſe collata huic noſtræ conſtitutioni duximus inſerenda, ad certitudinem præſentium, & memoriam futurorum: videlicet, quod ex cauſis, quæ rationabiliter nos moverunt, de fratrum noſtrorum conſilio depoſuimus dictos Jacobum & *c* Petrum a Cardinalatibus ejuſdem Eccleſiæ, & ab omni Cardinalatus commodo & honore, ipſoſque judicavimus ſchiſmaticos & blaſphemos, & tanquam hæreticos puniendos, expoſitis perſonis eorum a fidelibus capiendis, omnibus beneficiis, officiis, honoribus, dignitatibus, & prælaturis perpetuo privantes eoſdem, & reddentes inhabiles ad habenda, cunctis eorum bonis mobilibus & immobilibus, juribus & juriſdictionibus publicatis. Contra natos inſuper & poſteros dicti Joannis ſpiritualiter & temporaliter duximus multipliciter procedendum, eorum bonis & juribus publicatis, & confiſcatis, ipſiſque poſteris dicti Joannis per maſculinam & fœminiam lineam deſcendentibus, indignis perpetuo redditis ad Cardinalatus honorem, & quælibet officia, beneficia & miniſteria in Eccleſia memorata vel ejus curia: alibi vero uſque ad quartam generationem. Omnem perſonam præſentem & futuram, cujuſcunque fuerit præeminentiæ, conditionis digni-

---

a *De iſta clauſula vide Lanfrancum Clem. ſæpe, in n.* 1, 2, 3. *& ibi alios Doct. & Bart. in extravag. ad reprimendam. in verbo Summarie.* b *Hodie ſemper præſumitur imminere tale periculum, & ideo indiſtincte ſolet obſervari, ut in crimine hæreſis nunquam publicentur nomina accuſatorum, vel teſtium. vide extravag. Innoc. Papæ, quam affert. Repertorium inquiſitorum, verbo, nomina:* c *Dictio,* per *deeſt in manuſcriptis codicibus.* d *In antiquioribus legitur conſtanter, ſupradictis.*

a *Hujus appellatione non veniunt baſtardi. de Anch. Phil. dixi ſup. tit. prox. c. ſtatutum. adde gl. in Clem.* 1. *de bapt. Nic. de Ubal. in tract. de ſucceſſ. ab inteſt. Font.* b *al. ita: in verba blaſphema & ſchiſmatica.* c *Vid. l. ſi ſervus. §. plurium. ff. ſi quis caut. & l. demonſtratio. ff. de condit. & demonſt. Font.*

dignitatis, aut ſtatus Eccleſiaſtici vel mundani (etiamſi foret ſanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinalis) quæ ipſos Jacobum & Petrum, vel eorum alterum ſcienter & deliberate pro Cardinalibus habuerit & tenuerit, aut ad Cardinalatum admiſerit, ſeu votum eorum vel alicujus ipſorum ſuffragium in electione Romani Pontificis admiſerit, aut in Pontificem Romanum elegerit, nominaverit, aſſumpſerit, vel receperit, ſeu dederit in his vel ad hoc auxilium, conſilium, vel favorem, excommunicationis ſententia duximus innodandum, a qua (abſque expreſſa licentia Romani Pontificis) non poſſit abſolvi, nec etiam per collegium Apoſtolicæ ſedis, eadem ſede vacante, eamque prælatione, dignitate, ſtatu & honore Eccleſiaſticis omnino privamus: nihilominus omnes, qui dictis Jacobo & Petro alias, & natis dicti Joannis favorem præbuerint vel auxilium in rebellione & ſchiſmate perſiſtentibus, excommunicationis ſententia innodantes. Hæc & alia per nos facta in prædictis noſtris proceſſibus, & in literis noſtris bullatis ſuper eis confectis contenta, hac conſtitutione perpetuo valitura ratificamus, confirmamus, & etiam innovamus, eandemque [a] de novo facimus de fratrum noſtrorum conſilio prædictorum. Et ut dictorum malitia non inveniat ſucceſſorem, & punitæ tranſgreſſionis exemplar retrahat alios ab offenſa, ac in oblivionem veritas veniens, non vagetur incerta: ſtatuimus atque decrevimus [b], ut & ipſa inviolabiliter obſerventur, & quod ſimiles exceſſus & culpæ pœnis ſimilibus in poſterum puniantur.

---

## *TITULUS IV.*
## DE HOMICIDIO.
### CAP. I.

*Per aſſaſſinos faciens, vel tantum mandans aliquem interfici, tanquam ab omnibus diffidatus, abſque alicujus prolatione ſententias incurrit excommunicationis & depoſitionis ab officio & beneficio.* h. d. ſecundum Zen.

Innocentius IV. *in Concilio Lugdunenſi.*
(*an* 1245)

PRo humani redemptione generis, de ſummis cœlorum ad ima mundi deſcendens, & mortem tandem ſubiens temporalem Dei filius Jeſus Chriſtus, ne gregem ſui pretio ſanguinis glorioſi redemptum, aſcenſurus poſt reſurrectionem ad patrem, abſque paſtore defereret, ipſius curam B. Petro Apoſtolo (ut ſuæ ſtabilitate fidei cæteros in Chriſtiana religione firmaret, eorumque mentes ad ſalutis, opera ſuæ accenderet devotionis ardore) commiſit: unde nos ejuſdem Apoſtoli effecti (diſponente Domino, licet immeriti) ſucceſſores [c], & ipſius redemptoris locum in terris, quanquam indigne tenentes, circa gregis ejuſdem cuſtodiam ſolicitis excitati vigiliis, & animarum ſaluti jugis attentione cogitationis intendere, ſummovendo noxia, & agendo profutura debemus, ut excuſſo a nobis negligentiæ ſomno, noſtrique cordis oculis diligentia ſedula vigilantibus, animas Deo lucrifacere ſua nobis cooperante gratia valeamus.

§. 1. Cum igitur illi, qui ſic horrenda inhumanitate deteſtandaque ſævitia mortem ſitiunt aliorum, ut ipſos faciant per aſſaſſinos occidi, non ſolum corporum, ſed mortem procurent etiam animarum: (niſi eos exuberans gratia divina prævenerit, ut ſint armis ſpiritualibus præmuniti) ac omnis poteſtas tribuatur a Domino ad juſtitiam, rectumque judicium exercendum: Nos tanto periculo volentes occurrere animarum, & tam [d] nefarias præſumptiones Eccleſiaſticæ animadverſionis mucrone ferire: ut metus pœnæ, meta hujuſmodi præſumptionis exiſtat: præſertim cum nonnulli magnates taliter perimi formidantes, coacti fuerint ſecuritatem ab eorundem aſſaſſinorum domino impetrare, ſicque ab eo non abſque Chriſtianæ dignitatis opprobrio redimere quodammodo vitam ſuam.

§. 2. Sacri approbatione Concilii ſtatuimus, ut quicunque Princeps, Prælatus, ſeu quævis alia Eccleſiaſtica ſecularifve perſona, quempiam Chriſtianorum per dictos aſſaſſinos interfici fecerit, vel etiam mandaverit (quanquam mors ex hoc forſitan non ſequatur) aut eos receptaverit, vel defenderit ſeu occultaverit, excommunicationis & depoſitionis a dignitate, honore, ordine, officio, & beneficio incurrat ſententias ipſo facto: & illa libere aliis per illos, ad quos eorum collatio pertinet, conferantur: ſit etiam cum ſuis bonis mundanis omnibus, tanquam Chriſtianæ religionis æmulus, a toto Chriſtiano populo perpetuo diffidatus: & poſt quam probabilibus conſtiterit argumentis [a], aliquem ſcelus tam execrabile commiſiſſe, nullatenus alia excommunicationis, vel depoſitionis, ſeu diffidationis adverſus eum ſententia requiratur.

### CAP. II.

*Sine pœna irregularitatis poſſunt Clerici de ſuis malefactoribus conqueri coram Judice ſeculari, etiam de criminibus, ex quibus debetur pœna ſanguinis expreſſe proteſtando, quod ad pœnam ſanguinis non intendunt* h. d. Joan. Andr.

Bonifacius VIII. (*an.* 1298.)

PRælatis [b] vel Clericis quibuſcunque, qui de Laicis ſuis malefactoribus querelam penes ſecularem Judicem deponentes, petunt emendam ſibi fieri, & provideri, ne contra eos talia de cætero præſumantur, proteſtando expreſſe quod ad vindictam [c] ſeu pœnam ſanguinis non intendunt, imputari non debet: quamvis alias in tali caſu de jure debeat pœna ſanguinis irrogari, ſi Judex mortem illis inferat juſtitia exigente.

Alioquin ſi Prælati aut Clerici propter metum hujuſmodi, quia Judex ad pœnam ſanguinis poſſet [d] procedere, de ſuis malefactoribus taliter conqueri non auderent, daretur plerisque materia trucidandi eoſdem, & ipſorum bona libere deprædandi.

### CAP. III.

*Mandanti aliquem verberari, ſecuta mors imputatur* h. d. ſecundum Zen.

Idem.

IS, qui mandat aliquem verberari, licet expreſſe inhibeat, nec occidatur ullatenus, vel membro aliquo mutiletur, irregulas efficitur, ſi mandatarius fines mandati excedens mutilet vel occidat: Cum mandando in culpa fuerit, & hoc evenire poſſe debuerit cogitare.

---

## *TITULUS V.*
## DE USURIS.
### CAP. I.

*Primo innovat & obſervari præcipit Lateranenſe Concilium contra uſurarios editum uſque ad verſ. Et quia. Ubi præcipit omnibus dominis & univerſitatibus terrarum, ne permittant alienigenas in terris ſuis conducere domos, ad exercendum fœnus, vel conductas habere, & quod aliquis eis ad hoc domos non locet, uſque ad verſ. Qui vero. Ubi imponit pœnam Clericis contrafacientibus, uſque ad verſic. Cæterum. Ubi imponit pœnam Laicis, & hoc facit uſque in finem.* Joan. Andr.

Grego-

---

a *In antiq. libris ita: eademque de novo, &c.* b *al. decernimus.* c *Vid. Turrecrematam in ſumma de Eccleſ. lib.* 2. *c.* 35. *&* 36. d *al. ita: & tam nefarios præſumptores.*

a *Vid. l. non omnes. §. a barbaris. ff. de re milit.* b *Vid. Decium conſ.* 189. *& Felin. in cap. afferte. extr. de præſumpt.* c *Præter doctores hic vide Felinum in cap. querelam. ext. de jurejurando.* d *alit. poſſit.*

Gregorius X. *in generali Concilio Lugdunenſi.*
( *an.* 1273. )

USurarum voraginem ( quæ animas devorat, & facultates exhaurit ) compeſcere cupientes, conſtitutionem Lateranenſis *a* Concilii contra uſurarios editam, ſub divinæ maledictionis interminatione præcipimus inviolabiliter obſervari. Et quia, quo minor fœneratoribus aderit fœnerandi commoditas, eo magis adimetur fœnus exercendi libertas: hac generali conſtitutione ſancimus, ut nec collegium, nec alia univerſitas, vel ſingularis perſona cujuſcunque ſit dignitatis, conditionis aut ſtatus, alienigenas & alios non oriundos de terris ipſorum, publice fœnebrem pecuniam exercentes, aut exercere volentes, ad hoc domos in terris ſuis conducere, vel conductas habere, aut alias habitare permittant: ſed hujuſmodi uſurarios manifeſtos omnes intra tres menſes de terris ſuis expellant, nunquam aliquos *b* tales de cætero admiſſuri: nemo illis ad fœnus exercendum domos locet, vel ſub alio titulo quocunque concedat. Qui vero contra fecerint, ſi perſonæ fuerint Eccleſiaſticæ, Patriarchæ, Archiepiſcopi, Epiſcopi, ſuſpenſionis: minores vero perſonæ ſingulares, excommunicationis: ſi autem collegium, ſeu alia univerſitas, interdicti ſententiam ipſo facto ſe noverint incurſuros. Quam ſi per menſem animo ſuſtinuerint indurato, terræ ipſorum ( quamdiu in eis iidem uſurarii commorantur ) extunc Eccleſiaſtico ſubjaceant interdicto. Cæterum ſi Laici fuerint, per ſuos ordinarios ab hujuſmodi exceſſu ( omni ceſſante privilegio ) per cenſuram Eccleſiaſticam compeſcantur.

C A P. II.

*Manifeſtis uſurariis, licet mandaverint uſuras reſtitui, Eccleſiaſtica ſepultura negabitur, niſi primo ſatisfiat, vel ſecundum formam hujus decreti idonee caveatur. Sepelientes eos contra hanc conſtitutionem Lateranen. Concilii pœnam incurrunt. Teſtamenta ipſorum aliter facta non valent, nec debet eis aliquis intereſſe, vel eos abſolvere, vel ad confeſſionem admittere.* h. d. Joan. Andr.

Idem. *c*

QUanquam uſurarii manifeſti de uſuris, quas receperant *d*, ſatisfieri expreſſa quantitate vel indiſtincte in ultima voluntate mandaverint: nihilominus tamen eis Eccleſiaſtica ſepultura denegetur, donec de uſuris ipſis fuerit ( prout patiuntur facultates eorum ) plenarie ſatisfactum: vel illis, quibus facienda eſt reſtitutio, ſi præſto ſint ipſi, aut aliis, qui eis poſſint acquirere, vel eis abſentibus loci ordinario, aut ejus vices gerenti, ſive Rectori parochiæ, in qua teſtator habitat, coram aliquibus fide dignis de ipſa parochia ( quibus quidem ordinario, vicario, & Rectori prædicto modo, cautionem hujuſmodi eorum nomine liceat præſentis conſtitutionis auctoritate recipere: ita quod illis perinde actio acquiratur ) aut ſervo publico de ipſius ordinarii mandato idonee de reſtitutione facienda ſit cautum. Cæterum ſi receptarum uſurarum ſit quantitas manifeſta, illam ſemper in cautione prædicta exprimi volumus: alioquin aliam recipientis cautionem hujuſmodi arbitrio moderandam: ipſe tamen ſcienter non minorem, quam veriſimiliter creditu, moderetur: & ſi ſecus fecerit, ad ſatisfactionem reſidui teneatur. Omnes autem religioſos & alios, qui manifeſtos uſurarios, contra præſentis ſanctionis formam ad Eccleſiaſticam auſi fuerint admittere ſepulturam, pœnæ Lateranenſis Concilii contra uſurarios promulgatæ ſtatuimus ſubjacere. Nullus manifeſtorum uſurariorum teſtamentis interſit, aut eos ad confeſſionem admittat, ſive ipſos abſolvat: niſi de uſuris ſatisfecerint, vel de ſatisfaciendo *a* pro ſuarum viribus facultatum præſtent ( ut præmittitur ) idæneam cautionem.

§. 1. Teſtamenta quoque manifeſtorum uſurariorum aliter facta non valeant, ſed ſint irrita ipſo jure.

---

*TITULUS VI.*
## DE EXCESSIBUS PRÆLATORUM, ET SUBDITORUM.

C A P. UN.

*Mendicantes non poſſunt acquirere nova loca ad habitandum, vel antiqua alienare, vel mutare, abſque ſpeciali licentia Papæ, quæ de hac prohibitione faciat mentionem. In acquirentibus tamen loca pro Eremitica vita ducenda, ceſſat prohibitio* h. d. Joani Andr.

Bonifacius VIII. ( *an.* 1298. )

CUm ex eo, quod Prædicatores, Minores, & religioſi alii Mendicantes, in civitatibus, caſtris, villis, aut aliis locis ad habitandum domos vel loca de novo ſuſcipiunt, ſeu olim ſuſcepta dimittunt, ſe ibidem ad alia transferentes, diverſa ſcandala quandoque proveniant, & frequentes clamores ad ſedem Apoſtolicam perferantur: Nos ſuper hoc providere volentes, hoc perpetuo prohibemus edicto, ne deinceps aliquis vel aliqui de prædictis quibuſcunque ſuper hoc privilegiis muniti exiſtant ( quæ ipſis contra tenorem conſtitutionis præſenti nullatenus volumus ſuffragari ) in aliqua civitate, caſtro, villa, ſeu loco quocunque ad habitandum domos, vel loca quæcunque de novo recipere, ſeu hactenus recepta mutare, vel ea venditionis, permutationis, donationis aut cujuſvis alienationis titulo quocunque in alios tranferre præſumant, abſque ſedis Apoſtolicæ licentia *c* ſpeciali, plenam & expreſſam faciente de prohibitione hujuſmodi mentionem: ſi ſecus egerint, irritum decernentes. Per hoc tamen eis, qui vitam duxerint Eremiticam ſeu ſolitariam eligendam, de majorum ſuorum licentia, quin cellas, manſiones ſeu habitacula in eremo, ſive locis ubi non ſit hominum habitatio de propinquo, poſſint acquirere ac mutare, non intelligimus interdictum.

---

*TITULUS VII.*
## DE PRIVILEGIIS.

C A P. I.

*Exempti vel privilegiati, ut non teneantur, niſi ſub certo Judice reſpondere, ratione delicti, contractus aut ei ſi hæc ſint inita vel ſita in loca non exempto, conveniuntur coram ordinario: ſed ratione domicilii non.*

Innocentius IV. *in Concilio generali Lugdunenſi.*
( *an.* 1245. )

VOlentes *d* libertatem, quam nonnullis Apoſtolica ſedes privilegio exemptionis indulſit, ſic integram obſervari, ut & illam alii non infringant, & ipſi ejus limites non excedant *e*: declaratione irrefragabili definimus, quod quantumcunque *f* ſic exempti gaudeant libertate, nihilominus tamen ratione delicti ſive contractus, aut rei, de qua contra ipſos agitur, rite

---

a *Lateranenſis Concil. ſub Alexand. III. c. 25.* b *alit. alios.* c *al. ita: Idem in eodem.* d *Supple cum effectu, ideo ſit cautus, dicunt Joan. Andr. Domin. advocatus, ne in iſto caſu ſimpliciter formet articulum, quod mutuavit ad uſuras, quia in mutuantibus tantum, niſi probentur recepiſſe, textus non loquitur. faciunt nota. in ſimili ſupr. tit. 21. cap. 1. & promiſſio de dando non concludit dationem. 1. qu. 8. eod. Font.*

a *al. ſatisfactione.* b *Hæc duo verba*, & ſubditorum, *deſunt in antiq. codicib. & in recentioribus magis emendatis.* c *Per iſtud excluditur hic legatus de latere. Phil. Font.* d *Vid. Concil. Trid. ſeſſ. 7. de reform. c. 14. ubi hæc decretalis innovatur.* e *Privilegiatus non debet excedere metas privilegiorum. ſupr. eod. ſane. & c. porro.* f *alit. ita: quod quantacunque, &c.*

UNED

gite poſſunt coram locorum ordinariis conveniri, & illi *a*, quoad hoc, ſuam in ipſos juriſdictionem ( prout jus exigit ) exercere. Numquid ergo carent omnino in his commodo libertatis? non utique: quia nec coram ordinariis ipſis, dummodo ſit in loco exempto commiſſum delictum vel contractus initus, aut res litigoſa, nec ubi domicilium habent, ſi alibi delinquant vel contrahant, aut res ipſa conſiſtat, conveniri poſſunt aliquatenus ſuper iſtis: nec domiciliorum prætextu locorum diœceſani ( ſi ubi deliquerunt, vel contraxerunt, aut res ipſa conſiſtit, illi conveniantur ) remittendi eos illuc, vel ipſis ut illic reſpondeant, injungendi habeant aliquam poteſtatem: ſalvis nihilominus caſibus aliis, in quibus eos Epiſcoporum juriſdictioni ſubeſſe canonica præcipiunt inſtituta. Et idipſum decernimus circa illos, quibus ut non niſi ſub uno certo Judice teneantur de ſe conquerentibus reſpondere, Apoſtolico privilegio eſt conceſſum.

*Monaſterio privilegiato ut ejus Monachi a quocunque interdici, ſuſpendi, vel excommunicari non poſſint, ceſſat in illis ordinariorum juriſdictio quoad illa: niſi illi Monachi mitterentur ad prioratus ſubjectos ordinariis: quia tunc etiam licet utrobique ſint Monachi, ordinarii etiam quoad prædicta illos judicant, quamdiu ibi manent*, hoc dicit.

§. 1. In eos *b* autem, quibus ne interdici, ſuſpendi, vel excommunicari a quoquam valeant, a ſede Apoſtolica eſt indultum: ſicut ſunt religioſi quamplures, in quorum privilegiis continetur, ne quiſquam Epiſcopus vel Archiepiſcopus monaſteriorum ſuorum Monachos pro ulla cauſa ullove loco interdicere, ſuſpendere, vel excommunicare præſumat, iidem ordinarii juriſdictionem ſuam quantum ad iſta, ubicunque illi fuerint, penitus exercere non poſſint: Niſi forſan ipſi Monachi ad monaſteriorum ſuorum Prioratus ordinariis eiſdem ſubjectos ( ut vel gerant eorum *c* regimen, vel in eis tanquam proprii locorum ipſorum Monachi reſideant ) fuerint deſtinati: tunc enim etſi libere poſſint ad eadem monaſteria revocari, ac tam illorum, quam ipſorum Prioratuum Monachi reputentur ( cum non ſit inconveniens aliquem *d* utrobique locum habere monachicum *e* ) unum alteri ſubeſſe monaſterio, vel ab ipſo noſcitur dependere, ratione tamen eorundem Prioratuum dicti ordinarii ſua juriſdictione in ipſis etiam quoad præmiſſa, quamdiu morantur in illis, licite uti poſſunt.

### C A P. II.

*Curia Romana habet ſtudium generale, & ejus privilegia*. h. d. Joan. Andr.

Idem.

CUm de diverſis mundi partibus multi confluant ad ſedem Apoſtolicam quaſi matrem: nos ad communem tam ipſorum, quam aliorum omnium commodum & profectum paterna ſolicitudine intendentes, ut ſit eis mora hujuſmodi fructuoſa, providimus, quod ibidem de cætero regatur, & vigeat ſtudium juris divini & humani, canonici videlicet & civilis. Unde volumus & ſtatuimus, ut ſtudentes in ſcholis ipſis penes ſedem eandem, talibus privilegiis omnino, libertatibus, & immunitatibus gaudeant, quibus gaudent ſtudentes in ſcholis, ubi generale regitur ſtudium, ac recipiant integre proventus *f* ſuos Eccleſiaſticos ſicut illi.

### C A P. III.

*Dicit, quomodo intelligatur privilegium quod habent quidam Abbates de populo benedicendo, & quibus poſſint Abbates conferre tonſuram*. Joan. Andr.

Alexander IV. *a* ( *an. 1260. Romæ.* )

ABbates, quos Apoſtolica ſedes in exhibitione benedictionis ſuper populum ſpeciali privilegio inſignivit, in Eccleſiis quæ ad eos pertinent pleno jure, quando in eis divina officia celebrant, poſſunt poſt Miſſarum ſolennia, & veſpertinas ac matutinas laudes, benedictionem ſolennem ſuper populum elargiri. Alibi autem publice aut per vias, civitates, caſtra & villas, populis, & plebibus benedictionem facere vel impertiri non valeant: niſi hoc eis expreſſo *b* Apoſtolico privilegio ſit conceſſum. Nec eis *c* licitum ſit aliis, quam monaſteriorum ſuorum Converſis, & qui ad illa convolaverint, & in quos Eccleſiaſticam & quaſi Epiſcopalem juriſdictionem obtinent, primam clericalem conferre tonſuram: Niſi eis id competat ex pleno præfatæ ſedis indulto.

### C A P. IV.

*Exempti in locis non exemptis Oratoria vel Capellas ſine Diœceſanorum licentia conſtruere non poſſunt, nec in exemptis ſine licentia Papæ. Nec poſſunt exempti aſſumere cauſas proprias ſuorum liberorum hominum in ſe: etiamſi illi ſint ſui cenſuales*. Joan. Andr.

Idem.

AUctoritate ſedis Apoſtolicæ de fratrum noſtrorum conſilio ſtatuimus, quod Oratoria vel Capellas, in locis non exemptis ſine Diœceſanorum locorum ipſorum licentia exempti conſtruere non præſumant: neque in ſic conſtructis, nec tempore interdicti ( caſibus expreſſis in jure duntaxat exceptis ) celebrent vel faciant celebrari divina. Quod ſi talia præſumpſerint, ab his per locorum ipſorum Ordinarios compeſcantur: Et ſi quas propter hoc exemptorum ipſorum conſervatores in eas ſententias protulerint, illas penitus revocamus. Inhibemus inſuper, ne in locis etiam exemptis hoc ipſi exempti facere audeant, niſi ſuper his licentiam vel privilegium habeant ſedis Apoſtolicæ ſpeciale. Cauſas quoque ſive lites proprias ſuorum hominum liberorum, quæ videlicet tantum ad ipſos homines pertinent, iidem exempti ſuo nomine, ſive ut actores, ſive ut defenſores, aliquatenus non aſſumant. Etiamſi ſint ipſis dicti homines cenſuales: cum id nequaquam licitum ſit eiſdem.

### C A P. V.

*Privilegium Papæ, quod quis excommunicari, ſuſpendi, vel interdici non poſſit, non extenditur ad ſententias ordinariorum: niſi tale privilegium ſit conceſſum Regibus, Reginis, vel ipſorum filiis, vel religioſo loco, vel ordini*. h. d. Joan. Andr.

Clemens IV. ( *an. 1267.* )

NE aliqui de indultis Apoſtolicis confidentes, alios confidentius in ſuo jure moleſtent, & Ordinariorum juriſdictionem contemnant pariter & eludant: Omnes indulgentias & privilegia quibuſcunque ſingularibus perſonis Eccleſiaſticis vel ſecularibus, cujuſcunque ſint præeminentiæ, dignitatis, conditionis aut ſtatus, quod interdici a quocunque, vel excommunicari non poſſint, nec terræ vel Eccleſiæ ipſorum Eccleſiaſtico interdicto ſupponi, ſub quacunque forma verborum conceſſa ( illis per quæ Regibus & Reginis eorumque filiis, necnon & Religioſis quibuſcunque, non perſonarum tantum, ſed ordinum privilegiatorum vel locorum ratione, in hoc immunitas hujuſmodi conceditur, duntaxat exceptis ) de fratrum noſtrorum conſilio ad Ordinariorum ſententias proceſſus edicto perpetuo prohibemus extendi.

### C A P. VI.

*Inferiores Prælati, quibus per privilegium conceditur uſus mitræ, ſi ſunt exempti in provincialibus & Epiſcopalibus Conciliis, uti poſſunt mitris aurificatis, non habentibus laminas aut gemmas. Et ſi non ſunt exempti, albis & pla-*

---

a *al. ita: & illi quoad hac.* b *De intellectu vide Decium in cap. taurum, num. 46. ext. de privileg.* c *al. illorum.* d *al. ita: aliquem ſic utrobique, &c.* e *alit. Monachum.* f *Vid. Concil. Trident. ſeſſ. 3. de reform. c. 1. in fin.*

a *In manuſcriptis ita: Alex. III.* b *al. expreſſe.* c *Vid. Concil. Trident. ſeſſ. 23. de reform. c. 10.*

*& planis utantur : in aliis locis utantur , ut indulta permittunt .*

Idem Clemens IV.

UT Apoſtolicæ ſedis benignitas ( quæ nonnullis Abbatibus *a* , aliiſque Prælatis , quibus non competit ex propria dignitate , conceſſit in Eccleſiarum ſuarum gloriam & honorem , quod mitra *b* & aliis Pontificalibus uti poſſint ) provideat , ne inde ſcandala oriantur , ſic tamen , quod ipſi privilegiati ſuorum privilegiorum non fruſtrentur effectu , & ex majoritate ac decore majori ornatuum , majoritas appareat dignitatum: De fratrum noſtrorum conſilio præſenti decreto ſtatuimus , ut Abbates & alii , quibus mitræ uſus eſt ab eadem ſede conceſſus , exempti quidem in provincialibus conciliis , & Epiſcopalibus ſynodis ( quibus nonnulli eorum intereſſe tenentur ) mitris tantummodo aurifriſiatis ( non tamen aureas vel argenteas laminas , aut gemmas habentibus ) uti poſſint: Non exempti vero ſimplicibus , & albis ac planis utantur . In aliis vero locis exemptis , & non exemptis , mitris liceat illis uti, prout conceſſa eis ab eadem ſede indulta permittunt .

C A P. VII

*In prima parte demonſtrat , quid juris , cum quis ſolo privilegio ſe dicit exemptum . In ſecunda , ibi , Si autem , quid juris , cum ſuper hoc præſcriptionem allegat . In tertia , ibi , Quod ſi tales , quid juris , cum allegat utrumque .* Joan. Andr.

Bonifacius VIII. ( *an. 1298. Romæ.* )

CUm *c* perſonæ Eccleſiaſticæ tam religioſæ , quam ſeculares plura præſumant , quæ ipſis infamiam pariunt , & aliis inferunt læſionem , prætextu exemptionis , vel libertatis , quam aſſerunt ſe habere , Ordinariorum correctiones & ordinationes ſubterfugiens , ac eorum forum ſive judicium declinantes: Nos volentes ſuper hoc de ſalubri remedio providere, ſtatuimus , ut hi , qui ſe aſſerunt per privilegia ſeu indulgentias Apoſtolicæ ſedis exemptos , a locorum Ordinariis *d* requiſiti , hujuſmodi privilegia vel indulgentias ( quibus ſe dicunt fore munitos ) ipſis Ordinariis in loco congruo & ſecuro , aut aliquibus prudentibus viris omni ſuſpicione carentibus , ad hoc per dictos Ordinarios deputatis , intra terminum competentem , pro facti qualitate , ipſorum Ordinariorum , vel delegatorum ſuorum arbitrio moderandum , juſto impedimento ceſſante oſtendere , ac ad legendum integraliter , exhibere : necnon de articulis de quibus controverſia fuerit , tranſcriptum tradere teneantur . Si autem ad fundandam intentionem ſuam ſuper hujuſmodi libertate ſolummodo præſcriptionem canonicam duxerint opponendam : eiſdem Ordinariis vel delegatis ab eis viris prudentibus non ſuſpectis , de præſcriptione hujuſmodi facere debent fidem . Quod ſi tales privilegio & præſcriptione aſſerant ſe munitos , privilegium quidem ipſum exhibeant , ut in primo hujuſmodi conſtitutionis articulo ſuperius eſt expreſſum . Et ſi privilegium exhibitum non ad plenum per ſe ſufficiat ad exemptionem ſeu libertatem hujuſmodi comprobandam , ſed tale eſt , quod ſaltem cauſam præbeat præſcribendi , coram perſonis prædictis annorum XL. præſcriptionem teneantur probare , præſcriptioniſque probatione pendente , licet Ordinariorum intentio de jure communi fundetur , tamen quia de privilegio ( quod ſaltem cauſam præſcribendi præbet ) faciunt fidem , in libertatis vel exemptionis poſſeſſione , non violenta , non clandeſtina , nec conceſſa precario , de qua fidem coram eiſdem fecerint , non turbentur . Si vero privilegium per ſe ſufficiens , quando ſolo privilegio ſe defendunt , vel ſaltem tale , quod præſcriptioni canonicæ cauſam præſtet , cum præſcriptionem allegant : non exhibuerint , ut eſt dictum : cum de jure communi Ordinariorum intentio ſit fundata , ſua juriſdictione uti poſſint in eoſdem libere : donec de præſcriptione canonica ( ut præmiſſum eſt ) fecerint plenam fidem .

C A P. VIII.

*Interdictus eſt ingreſſus Eccleſiæ regularibus vel ſecularibus ( quamvis exemptis ) qui ſcienter celebrant vel celebrari faciunt divina in civitatibus vel locis interdictis : niſi ſecundum permiſſionem juris : vel qui excommunicatos vel interdictos publice ad divina officia , ſacramenta vel ſepulturam admittunt .* hoc dicit , Joannes Andreas.

Idem.

EPiſcoporum *a* & aliorum Prælatorum querelis frequentibus & queruloſis clamoribus excitati , præſenti decreto duximus ſtatuendum , ne aliqui ſeculares aut regulares , quantumcunque exemptionis ſeu libertatis ſedis Apoſtolicæ privilegiis communiti , cujuſcunque ordinis , religionis , ſtatus vel conditionis exiſtant , ſcienter celebrent vel faciant celebrari divina in civitatibus *b* , caſtris , villis ( niſi quatenus eis a jure conceditur ) ſeu locis aliis interdictis ab Ordinariis ſive delegatis Judicibus , vel a jure ; aut excommunicatos publice vel interdictos ad divina officia ſeu Eccleſiaſtica ſacramenta vel Eccleſiaſticam ſepulturam admittant . Qui vero contra præſumpſerint ( præter alias pœnas a jure ſtatutas ) ingreſſum Eccleſiæ ſibi noverint interdictum : donec de tranſgreſſione hujuſmodi ad arbitrium ejus , cujus ſententiam contempſerunt *c* , ſatisfecerint competenter .

C A P. IX.

*Primo ponit , quando eximitur Eccleſia , quid importet .* Secundo , *quando ipſius Canonici .* Tertio , *quando Clerici . Et iſta ordinate declarat , in qualibet partium affirmative & negative loquendo ,* ſecundum Joan. Andr.

Idem.

PEr *d* exemptionem Eccleſiæ conceſſam , ipſa Eccleſia & ipſius Monachi vel Canonici , Clerici etiam & Converſi , perpetuoque oblati ( non autem Eccleſiæ ejuſdem Presbyter , qui parochianorum curam habet , quoad ea , quæ ad curam eandem pertinent , nec ipſi parochiani etiam ) intelliguntur exempti . Verum ſi Canonici alicujus Eccleſiæ eximantur , ipſi ſoli Canonici , non autem Eccleſia vel alii ejus Clerici ſunt exempti . Si autem Clericis cujuſvis Eccleſiæ eximantur , tunc tam Canonici , quam alii Clerici eximuntur , non tamen Eccleſia : niſi aliud in exemptionis privilegio exprimatur .

C A P. X.

*Formas privilegiorum ponit hac decretalis : quarum quædam exemptionem conferunt , quædam non .* Joan. Andr.

Idem .

SI Papa in aliquo privilegio vel ſcriptura non facta principaliter ſuper donatione *e* vel ſententia exemptionis ſeu libertatis , aliquam Eccleſiam ad jus & proprietatem Romanæ Eccleſiæ pertinere , vel conſimilia verba narret : non propterea illius Eccleſiæ exemptio eſt probata , niſi de libertate aliter doceatur . Si autem Eccleſiæ vel monaſterio exemptionis privilegium concedendo , vel ſuper ipſius exemptione ſententiando ( cum de ipſius exemptionis negotio ageretur ) aſſerat ipſam Eccle-

a *Abbates an dicantur eſſe prælati , vide Geminianum in cap. præſenti de offic. ord. lib. 6.* b *Vid. Barbat. in cap. volentes. extr de off. deleg.* c *Vid. Antonium Capycium deciſione Neapolit. 209.* d *Supplent. Dom. & Phil. ſeu alii , quorum juriſdictio fundata eſt jure communi , aut ſtatuto privilegio notoriis: quia notorium facti , ut late Anchar. operatur idem quod notorium juris Font.* e *Vide Bart. in rubr. ff. de novi oper. nunt. & l. præter. ff. de eden. Font.*

a *Vid. Clement. ex frequentibus de ſentent. excommun. Calderinum conſil. 4. tit. de ſentent. excommun. & late Felinum in cap. a nobis. extr. de except.* b *Civitatis appellatione quid veniat , vide per Felinum in cap. Rodulphus extr. de reſcript.* c *alit. contempſerint.* d *Præter doctores hic vide Decium conſil. 15.* e *al. datione .*

UNED

Eccleſiam fore exemptam: aut etiam juris beati Petri exiſtere: ſive ad jus & proprietatem Romanæ Eccleſiæ, vel ad Romanam Eccleſiam ſpecialiter, aut ſine medio, vel etiam ſimpliciter pertinere: per hoc plene debet exempta hujuſmodi Eccleſia judicari. Cum enim jure communi omnes Eccleſiæ per orbem diffuſæ ad Romanam Eccleſiam pertineant, ſi id alicui concedatur Eccleſiæ, vel de ea per ſententiam judicetur, ex hoc ipſius comprobatur exemptio: ut privilegii nihil alias allatura conceſſio ei, cui conceditur, & ſententia nullum aliter datura ſubſidium Eccleſiæ (pro qua fertur) prærogativam (cum verba aliquid operari debeant) conferat gratiæ ſpecialis. Et eſt idem, ſi privilegium contineat, vel ipſe Papa per modum exprimat ſupraſcriptum, quod Eccleſia ſit libera: ſeu quod potiatur Romanæ Eccleſiæ libertate: vel quod in hoc prærogativa gaudeat ſpeciali: aut ſi dicat indefinite, quod Eccleſiæ Romanæ annuum cenſum ſolvat, ad perceptæ indicium libertatis: ſive quod ipſam Eccleſiam eximit ab ordinarii *a* poteſtate *s* vel quod non audeat illic Epiſcopus cathedram collocare, aut imperandi (ſeu ordinationem quamvis leviſſimam faciendi) exercere aliquam poteſtatem. Similiter ſi aliqui recipiantur in proprios & ſpeciales ſubjectos, cenſentur exempti. Non ſic in proprios & ſpeciales filios Romanæ Eccleſiæ ſint ſuſcepti: tales quippe exempti propterea non exiſtunt. Si vero dicatur ſimpliciter, quod aliqua Eccleſia Romanæ Eccleſiæ annuum cenſum ſolvat, non propter hoc exempta Eccleſia dici debet. Idem dicimus, ſi circa aliqua per privilegium concedatur libertas, & clauſula de cenſu annuo perſolvendo ſequatur: ut ſi aliquibus, quod ab alio, quam a Papa ſeu ejus Legato excommunicari, ſuſpendi aut interdici non poſſit, vel aliquid aliud ſpecialiter a ſede Apoſtolica ſit indultum: vel etiam dicatur, quod in ſpeciales Romanæ Eccleſiæ filios ſint aſſumpti, & ſequatur in privilegio, quod Eccleſiæ Romanæ ad indicium *b* libertatis perceptæ annum cenſum ſolvant. His enim & conſimilibus caſibus ſic *c* in certis privilegiati articulis Ordinariorum juriſdictioni quantum ad alia ſunt ſubjecti. Licet autem ſic diverſos privilegiorum, quibus Eccleſiæ ac monaſteria eximuntur, tenores ad litium materiam amputandam duxerimus deſignandos: per hoc tamen aliis exemptionum (ſi reperiantur) ſeu aliarum libertatum modis vel eorum effectibus nolumus aliquatenus derogari.

## CAP. XI.

*Privilegiati ut tempore interdicti celebrare poſſint divina clauſis Eccleſiis, alios etiam extraneos admittere non poſſunt. Et ſi fuerit ſingularis perſona ſuper hoc privilegiata, familiares ſuos admittit: ſecus in familia Conventus taliter privilegiati. Hoc privilegio non gaudet ille, cujus culpa ponitur interdictum.* h. d. Dominicus.

Idem.

LIcet *d* vobis conceſſum exiſtat, ut interdicti tempore januis clauſis, excommunicatis & interdictis excluſis, voce ſubmiſſa divina celebrare poſſitis, ad ea tamen aliquos, etiamſi aliunde venerint (niſi ſuper hoc privilegiati exiſtant) recipere nulla ratione debetis. Cum conceditur ſingulari perſonæ, ut modo præmiſſo tempore interdicti celebrare valeat, vel audire divina: ejus familiares domeſtici ad audiendum cum ea, & celebrandum ſibi divinum officium, licite admittuntur. Non ſic autem in familiaribus alicujus Conventus, ſeu collegii eſt cenſendum: illi enim niſi privilegiati fuerint, admitti non debent. Hujuſmodi quoque conceſſione gaudere non poteſt is, cujus cauſa ſeu culpa, dolo vel fraude, fuit *a* ſententia interdicti prolata, ſeu qui ad perpetrandum delictum, cujus occaſione lata extitit, præbuit conſilium, auxilium, vel favorem.

## CAP. XII.

*Epiſcopi cum altari viatico celebrare poſſunt, & ſibi facere celebrari: ita tamen, quod non violent interdictum,* hoc dicit, Joan. Andr.

Idem.

QUoniam Epiſcopi *b* eorumque ſuperiores ſe habent diverſis ex cauſis a ſuis Eccleſiis & diœceſibus abſentare frequenter, nec ſemper poſſunt commode ad Eccleſias accedere pro Miſſa celebranda vel audienda in ipſis ſine qua eos tranſire non decet abſque cauſa rationabili ullam *c* diem: præſenti conſtitutione indulgemus eiſdem, ut altare poſſint habere viaticum, & in eo celebrare, ac facere celebrari, ubicunque abſque interdicti tranſgreſſione eis illis permittitur celebrare, vel audire divina.

# TITULUS VIII.
# DE INJURIIS, ET DAMNO DATO.
## CAP. UN.

*Repreſaliæ contra perſonas Eccleſiaſticas concedi, vel conceſſæ extendi non debent: contra facientes (niſi revocent intra menſem) ſingulares ſunt excommunicati, univerſitates interdictæ.* Joan. Andr.

Gregorius X. *in Concilio generali Lugdunenſi.*

(*an.* 1273.)

ETſi pignorationes, quas vulgaris elocutio *d* repreſalias nominat, in quibus alius pro alio prægravatur, tanquam graves legibus, & æquitati naturali contrariæ, civili ſint conſtitutione prohibitæ s Ut tamen earum prohibitio in perſonis Eccleſiaſticis tanto amplius timeatur, quanto in illis ſpecialius inhibentur, eas concedi contra perſonas prædictas, ſeu bona ipſorum *e*, aut quantuncumque generaliter prætextu cujuſvis conſuetudinis (quam potius reputamus abuſum fore) conceſſas, ad illas extendi præſenti decreto diſtrictius inhibemus. Illi autem, qui contra fecerint, adverſus perſonas eaſdem pignorationes, ſeu repreſalias concedendo, vel extendendo ad eas, niſi præſumptionem hujuſmodi revocaverint, a conceſſionis vel extenſionis tempore intra menſem, ſi perſonæ ſingulares fuerint, ſententiam excommunicationis incurrant: ſi vero univerſitas, Eccleſiaſtico ſubjaceat interdicto.

# TITULUS IX.
# DE POENIS.
## CAP. UN.

*De veteri jure poterit Archiepiſcopus, cum in provincia ſua juriſdictionem ſuam exequitur, punire notorios injuriantes, ſibi, nunciis, & familiæ ſuæ, ſi per id ſua juriſdictio impeditur: alias non, niſi conſuetudo amplius tribuat: ſed hodie tales injurias tunc punit, etiamſi juriſdictionem non impediant.* h. d.

Innocentius IV. (*an* 1252.)

ROmana *f* Eccleſia: (*& infra.*) Licet autem Rhemenſ. Archiepiſcopo ſuam Provinciam viſitanti, eos, qui tunc ſibi, vel ſuæ familiæ, aut aliis, quos propter hoc per eandem provinciam dirigit, & etiam quando

a *Al. ordinaria.* b *Alias, judicium.* c *Al. ita: ſic ſcriptis privilegiati articulis. al. ita: ſic inſertis privilegiati articulis, &c.* d *de materia vide latiſſime c. alma mater. infra de ſent. excom.*

a *al. fuerit.* b *Et an appellatione Epiſcopi veniat electus, vide Felin. in c. eam te de reſcript. verſ. tertio reſtringitur.* c *Al. ita: nulla die.* d *Vide l. librorum. §. quod tamen Caſſius. ff. de leg. 3. Bart. in l. Labeo ff de ſup. leg.* e *al. ipſorum.* f *Vid. Alex. conſ. 135. l. 1. incip. circa primum dubium: unde intelliges quando quis poſſit eſſe Judex in propria cauſa.*

quando concilium convocas, eos, qui nunciis ſuis, quos pro illo vel alias per provinciam illam ſua debita juriſdictione utendo tranſmittit, injuriari præſumunt: ſi hac occaſione, ſua in his impediatur juriſdictio, pro injuria hujuſmodi (dummodo exiſtat notoria) propria auctoritate punire, niſi amplius ei de Rhemenſis Eccleſiæ conſuetudine competere dignoſcatur. Sibi etiam & metropolitanis aliis in ſuis provinciis, dum ſic in illis juriſdictionem exercent, puniendi manifeſtas & notorias offenſas, tunc eiſdem illatas, vel ſuis (etiamſi exinde impediri juriſdictionem hujuſmodi non contingat) libera ſit de noſtra ſpeciali conceſſione facultas.

C A P. II.

*Docet hæc Decretalis, quibus aſſiſtentibus fieri debeat degradatio, de quibus veſtibus, ornamentis, libris & inſtrumentis in degradatione fiat expoliatio, & quibus verbis utatur ipſe degradans.* Joan. Andr.

Bonifacius VIII. *Biterren. Epiſcopo. (an. 1298. Roma in Apuliam.)*

DEgredatio *a* qualiter fieri debeat, a nobis tua fraternitas requiſivit. Super quo tibi taliter reſpondemus, quod verbalis degradatio ſeu depoſitio ab ordinibus vel gradibus Eccleſiaſticis eſt a proprio Epiſcopo ſibi aſſiſtente, in degradatione Clericorum in ſacris conſtitutorum ordinibus, certo Epiſcoporum numero definito canonibus, facienda: quanquam proprii Epiſcopi ſententia ſine aliorum Epiſcoporum præſentia ſufficiat in degradatione eorum, qui minores duntaxat ordines receperunt. Actualis vero ſive ſolennis cœleſtis militiæ militis, id eſt, Clerici degradatio (cum ad eam fuerit procedendum) fiet, ut exauctorizatio ejus, qui militiæ deſervit armatæ, cui militaria detrahuntur inſignia, ſicque a militia remotus caſtris rejicitur, privatus conſortio & privilegio militari: Clericus igitur degradandus veſtibus ſacris indutus, in manibus habens librum, vas, vel aliud inſtrumentum ſeu ornamentum ad ordinem ſuum ſpectans, ac ſi deberet in officio ſuo ſolenniter miniſtrare, ad Epiſcopi præſentiam adducatur: cui Epiſcopus publice ſingula, ſive ſint veſtes, calix, liber, ſeu quævis alia, quæ illi juxta morem ordinandorum Clericorum in ſua ordinatione ab Epiſcopo fuerint *b* tradita, ſeu collata, ſingulariter auferat, ab illo veſtimento ſeu ornamento, quod datum vel traditum fuerat ultimo, inchoando, & deſcendendo gradatim degradationem continuet uſque ad primam veſtem, quæ datur *c* in collatione tonſuræ, tuncque radatur caput illius ſeu tondeatur, ne tonſuræ ſeu Clericatus veſtigium remaneat in eodem. Poterit autem Epiſcopus in degradatione hujuſmodi uti verbis aliquibus ad terrorem, illis oppoſitis, quæ in collatione ordinum ſunt prolata, dicendo Presbytero hæc vel ſimilia verba in remotione planetæ: Auferimus tibi veſtem ſacerdotalem, & te honore ſacerdotali privamus: ſicque in remotione reliquorum inſignium ſimilibus verbis utens, in ablatione ultimi, quod in collatione ordinum fuit primum, infraſcripto, vel alio ſimili modo pronunciet ſive dicat: Auctoritate Dei omnipotentis Patris & Filii & Spiritus Sancti, ac noſtra, tibi auferimus habitum Clericalem, & deponimus, degradamus, ſpoliamus, & exuimus te omni ordine, beneficio & privilegio Clericali.

C A P. III.

*Quamvis inventio carceris fuit ad cuſtodiam: tamen poteſt quis puniri pœnæ carceris perpetuo, & ad tempus.* oan. Andr.

Idem.

QUamvis *d* ad reorum cuſtodiam, non ad pœnam carcer ſpecialiter deputatus eſſe noſcatur: Nos tamen non improbamus, ſi ſubjectos tibi Clericos confeſſos de criminibus ſeu convictos (eorum exceſſibus & perſonis, cæteriſque circumſtantiis provida deliberatione penſatis) in perpetuum, vel ad tempus, prout videris expedire, carceri mancipes ad pœnitentiam peragendam.

C A P. IV.

*Pœna alicui impoſita, & ejus poſteris, non extenditur ad poſteros linea fœminea: niſi aliud in jure, vel ſententia ſit expreſſum.* h. d. Zen.

Idem.

UBicumque *a* alicui & ejus filiis ſeu poſteris uſque in certam generationem pœna imponitur ab homine vel a jure, pœna ipſa eos tantum afficit, qui per maſculinam, non per fœmininam lineam deſcendere dignoſcuntur: Niſi aliud in jure vel ſententia ſit expreſſum.

C A P. V.

Primo *punit inſequentes, percutientes, aut capientes Cardinales, & ejus criminis ſocios.* Secundo, *eorum filios & nepotes.* Tertio, *ipſis inſectatoribus pœnam addit.* Quarto, *quam ſatisfactionem cum abſolventur, facere debeant: & quid per abſolutionem conſequantur.* Quinto, *de nudis conſiliariis, vel ſimpliciter faventibus huic crimini.* Sexto, *ad collaterales permittit pœnas extendi.* Septimo, *ponit de inſequentibus Clericos vel Religioſos familiares Papæ vel Cardinalium.* Octavo, *ponit de occidentibus Cardinales.* Nono, *dicit poteſtates ſeculares nihilominus pœnis legalibus contra tales uti debere, & hanc conſtitutionem etiam facere obſervari, & contra facientibus pœnam imponit.* Joan. Andr.

Idem.

FElicis recordationis Honorii Papæ tertii, prædeceſſoris noſtri veſtigiis inhærentes, quibuſdam additis & detractis de communi fratrum noſtrorum conſilio, hac in perpetuum valitura conſtitutione ſancimus, ut ſi quis deinceps in hoc ſacrilegii genus irrepſerit, quod ſanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinalem fuerit hoſtiliter inſecutus, vel percuſſerit, aut ceperit, vel ſocius fuerit facientis, aut fieri mandaverit, vel factum ratum habuerit, aut conſilium *b* dederit vel favorem, aut poſtea receptaverit vel defenſaverit ſcienter eundem: ſicut reus criminis læſæ majeſtatis perpetuo ſit infamis, diffidatus *c* nihilominus & bannitus, ſit inteſtabilis, ut nec teſtamenti liberam habeat factionem, nec ad alicujus bona ex teſtamento vel ab inteſtato vocetur: quatenus ab omni ſucceſſione repulſus, publicaque repulſa confuſus, minus inveniat ſuæ malitiæ ſucceſſorem: *fiant* d *habitationes ejus deſertæ, & ut non ſit, quis eas inhabitet*, dentur cuncta ipſius ædificia in ruinam, & ut perpetuæ notam infamiæ perpetua ruina teſtetur, nullo tempore reparentur: nullus ei debita reddere, nullus reſpondere in judicio teneatur; quicquid etiam in bonis invenitur ipſius, fiſci, vel reipublicæ dominio applicetur, ut ex illis nil tranſmittat ad poſteros, ſed potius cum ipſo quodammodo damnentur & ſua. Si qua vero feuda, locationes, officium vel beneficium ſpiritale vel temporale ab aliquibus Eccleſiis obtinet, ſit eis ipſo jure privatus quæ ſic libere ad Eccleſias revertantur, quod Eccleſiarum Rectores de ipſis pro ſua voluntate diſponant. Quod ſi quis prædictorum filium vel filios habeat, nepotem, vel nepotes per rectam lineam deſcendentes, beneficium ſeu beneficiatos quovis beneficio, etiamſi pontificalem adeptus vel adepti fuerint dignitatem, ſint eis ipſo jure privati: ſpe promotionis omnino ſublata. Nulli præterea

a *Qualiter hodie fieri poſſit degradatio, vide Conc. Trid. ſeſſ. 13. de reform. c. 4. adde citatos in c. 1 ſup. de hæret. eod. lib.* b *al. fuerunt.* c *al. traditur.* d *Vide Joan. Ananiam in c. a nobis. de apoſtat. & Fel. in c. cum ſit. de for. compet.*

a *Præter Doctores hic vide aliqua per Decium in c. novit. de Judicib.* b *Vide Decium in c. 1. de off. delegati.* c *Diffidare & bannire quid ſignificet, docent Angelus de Peruſio conſil. 13. Geminianus in c. 1. de homic. l. 6. & Petrus Gadefredus in Auth. gaſaros. c. de hær.* d *Pſalm. 62.*

terea talium filiorum atque nepotum ex virili ſexu deſcendentium ab eiſdem, alicujus aperiatur janua dignitatis, aut honoris Eccleſiaſtici vel mundani, ſeu ad alicujus loci regimen ſit aſcenſus: ſit eis poſtulandi negata facultas, ſit notorie *a* judicatus, & quodlibet aliud officium ſeu miniſterium publicum interdictum: in judiciis eorum aſſertio contra quenquam nihil fidei, nihil credulitatis inveniat, ut ad teſtimonium prorſus reddantur indigni: ſit eis ad ordines aſcenſus inhibitus, ſit ad beneficium vel officium Eccleſiaſticum denegatus acceſſus *b*, & ( ut magis famoſa ſit eorum infamia ) ad actus legitimos nullus eis pateat aditus, nulla porta pandatur eiſdem ſuper aliquo præmiſſorum, omni *c* ſpe diſpenſationis adempta. Præſenti nihilominus adjicimus ſanctioni, ut ex inſecutione prædicta, ſicut ex injectione manuum violenta, ipſo facto excommunicationis ſententiam quis incurrat, & tam inſecutor, quam alii ſupradicti tanti mali participes, quamdiu in ſua contumacia perdurarint, ſingulis diebus Dominicis & feſtivis, pulſatis campanis, & candelis accenſis, per omnes illius loci Eccleſias, in quo tantum facinus fuerit attentatum, necnon civitatum & diœceſum vicinarum *d* excommunicati publice denuntientur *e*: nec ab alio, quam a Romano Pontifice poſſint abſolutionis beneficium obtinere, niſi duntaxat in mortis *f* articulo conſtituti.

Cum autem fuerint abſolvendi, primo ſufficienter & idonee caveant, quod inferendæ pœnæ parebunt, & auxiliante Domino pœnitentiam peragent injungendam: deinde per omnes illius loci Eccleſias principales, vicin orumque locorum, diebus Dominicis & ſolennibus incedant nudi coram populo, femoralia tantum habentes, & ferulas deferentes in manibus, cum quibus per eaſdem Eccleſias publice fuſtigentur: ituri poſtmodum ultra mare, & ibidem acturi pœnitentiam per tres annos ad minus, nec exinde poſtmodum reverſuri abſque ſedis Apoſtolicæ licentia ſpeciali. Verum cum talis gratiam reconciliationis meruerit, beneficio abſolutionis obtento, indulgeatur ei licentia, ut ſuam & ſuorum injuriam proſequatur: & debitorum illorum, quæ contracta fuerint *g*, de poſtmodum acquiſitis repetitio non negetur. Illud autem non duximus omittendum, quod ſi quis fuerit in præmiſſis nudo conſilio aut ſimplici favore culpabilis, Judex in talem pœnam metiatur ex culpa: ut ſecundum quod exceſſus exegerit, vindicta procedat. Cæterum, quia dignum eſt, ut nefandi ratione flagitii ultionis ſeveritas amplius extendatur, & propter enormitatem culparum, plagarum modus exuberet, nec pœnis ſolitis contentetur: ſtatuimus, ut ad collaterales fratres, videlicet nepotes, & pronepotes talium poſſit extendere pœnas in hujuſmodi noſtra conſtitutione contentas, circumſpectio Romani Pontificis, prout circumſtantiæ rationabiles ſuadebunt.

Præmiſſis etiam dignum cenſuimus annectendum: ut ſi quiſquam aliquo prædictorum exceſſuum, quenquam de Clericis vel Religioſis noſtræ familiæ, vel Cardinalium afficere forte præſumpſerit, proportionetur pœna delicto: ita quod vindicta ex æquo exceſſui reſpondente ab offenſa noſtrorum cohibeantur deinceps manus temerariæ formidine ultionis, quas Dei vel noſtra ſeu fratrum noſtrorum reverentia non coercet. Si quis vero per ſe vel per alium occiderit Cardinalem ( quod abſit ) vel dederit cauſam mortis: ultra quam præmiſſa contineant, ſic in eum poteſtas juriſdictionis inſurgat, ſic rigor ultionis inſiliat, quod contra vitæ ſubſidium mortis ſolatium invocet, vivens pœnæ non culpæ, vindictæ ſpeculum non offenſæ. Per hoc quoque ſecularibus poteſtatibus non adimimus facultatem utendi legibus contra tales, quas adverſus ſacrilegos catholici Principes ediderunt. Quis enim locus regiminis poterit eſſe tutus, quis Rector ſecuritate gaudebit, ſi Romana Eccleſia ( quæ omnium Eccleſiarum diſponente Domino caput eſt & magiſtra ) caſibus iſtis ſubjicitur? ſi ejus filii ſpeciales hujuſmodi periculis exponuntur? Quem Eccleſiæ filium, quem fidei zelatorem contumelia tanta non tangeret, & confuſio tam aſpera non moveret? Porro ſi filius eſt, dolebit: ſi fidelis, matre fidei læſa lædetur. Quapropter ſi Princeps, ſenator, conſul, poteſtas, vel alius dominus ſive rector contra præſumptores prædictos, præſentis conſtitutionis tenorem non fecerit obſervari: tam ipſe, quam officiales ipſius intra menſem, poſtquam res ad notitiam eorum pervenerit, eo ipſo ſententiam excommunicationis incurrant. Civitas vero quævis alia, præter urbem, quæ talia facienti vel facientibus ſeu præſumentibus, in his conſilium, vel auxilium dederit aut favorem, vel intra menſem ſaltem taliter delinquentes, ( prout tanti facinoris enormitas exegerit, & facultas ei affuerit ) non duxerit puniendos, pontificali ut ſupra ſit eo ipſo dignitate privata, & nihilominus remaneat interdicta.

a *Al. notarie.* b *Al. aſcenſus.* c *Al. omnino.* d *Loca vicina quæ dicantur, vide per Alex. conſil. 47. l. 3.* e *Al. nuntiantur.* f *Quoniam in mortis articulo nulla eſt reſervatio atque ideo penes ſacerdotes quoslibet pœnitentes, a quibuſvis, peccatis & cenſuris abſolvere poſſunt: ita Conc. Trid. ſeſſ. 17. c. 7. tit. de caſuum reſervatione.* g *al. fuerunt.*

## *TITULUS X.*
## DE POENITENTIIS, ET REMISSIONIBUS.

### C A P. I.

*Quæſtores non citant aliquos, licet eos monere poſſint. Et in concedendis indulgentiis non excedant Archiepiſcopi ſtatutum Concilii generalis.* h. d. Zen

Innocentius IV. *in Concilio Lugdunenſi.*

( *an.* 1245. )

ROmana Eccleſia: ( *& infra.* ) Quæſtoribus *a* autem fabricæ Rhemen. Eccleſiæ, Rhemen Archiepiſcopus, ſive ejus officiales citandi. Suffraganeorum ipſius Eccleſiæ ſubditos ( quos iidem quæſtores ſibi reſiſtere, aut nolle parere dixerint ) ut ſuper hoc compareant coram ipſis, nequaquam tribuant poteſtatem. Super benigna vero ipſorum receptione ac ſubventione ipſi fabricæ facienda, poſſunt eoſdem Suffraganeos & alios Chriſti fideles Rhemen. Provinciæ charitative monere. In concedendis quoque indulgentiis non excedat Rhemen. Archiepiſcopus ſtatutum Concilii generalis.

### C A P. II.

*Conceſſio generalis confeſſoris non tangit Epiſcopo ſpecialiter reſervata, nec obtentu conſuetudinis poteſt quis ſibi eligere confeſſorem.* h. d. Zen.

Bonifacius VIII.

SI Epiſcopus ſuo ſubdito conceſſerit, ut ſibi poſſit idoneum eligere confeſſorem, ille quem is elegerit in caſibus, qui eidem Epiſcopo ſpecialiter reſervantur *b*, nullam habet penitus poteſtatem: Cum in generali conceſſione illa non veniant, quæ non eſſet quis veriſimiliter in ſpecie conceſſurus. Nulla quoque poteſt conſuetudine introduci, quod aliquis præter ſui ſuperioris licentiam confeſſorem ſibi eligere valeat, qui eum poſſit ſolvere vel ligare.

### C A P. III.

*Decretalis, cum ex eo. in pluribus Epiſcopis indulgentibus locum habet.* h. d. Zen.

Idem

a *Prædicatores quæſtuarios omnino ſuſtulit Conc. Trid. ſeſſ. 5. de refor. c. 2. in fine, & ſeſſ. 21. de refor. c. 5.* b *Vide Con. Trid. ſeſſ. 14. de ſanctiſſimo pœnitentiæ ſacramento. c. 11.*

UNED

Idem.

INdulgentia *a*, quæ ab uno vel pluribus Epiſcopis in Eccleſiarum dedicationibus, vel aliis quibuſcunque caſibus conceduntur, vires non obtinent *b*, ſi ſtatutum exceſſerint concilii generalis.

---

## TITULUS XI.
## DE SENTENTIA EXCOMMUNICATIONIS, SUSPENSIONIS, ET INTERDICTI.

### CAP. I.

*Judex qui excommunicat, ſuſpendit, vel interdicit, in ſcriptis hoc faciat, & cauſam conſcribat, & requiſitus exemplum ſententiæ tradat intra menſem. Qui contra fecerit, per menſem ab ingreſſu Eccleſiæ & divinis eſt ſuſpenſus: & relaxabitur illa ſententia per ſuperiorem abſque difficultate, & condemnabitur lator in expenſis, & alias pœna condigna. Si ſic ſuſpenſi celebrant ut prius, ſunt irregulares, nec abſolvuntur ab alio quam a Papa.* h. d. Joan. Andr.

Innocentius IV. *in Concilio Lugdun.*
(*an.* 1245.)

CUM *c* medicinalis ſit excommunicatio, non mortalis, diſciplinans, non eradicans, dum tamen is, in quem lata fuerit, non contemnat, caute provideat Judex Eccleſiaſticus, ut in ea ferenda oſtendat ſe proſequi, quod corrigentis fuerit *d* & medentis. Quiſquis igitur excommunicat, excommunicationem in ſcriptis proferat, & cauſam excommunicationis expreſſe conſcribat, propter quam excommunicatio proferatur. Exemplum vero hujuſmodi ſcripturæ teneatur excommunicato tradere intra menſem, ſi fuerit requiſitus, ſuper qua requiſitione fieri volumus publicum inſtrumentum, vel literas teſtimoniales confici ſigillo authentico conſignatas. Si quis autem Judicum hujuſmodi conſtitutionis temerarius extiterit violator, per menſem unum ab ingreſſu Eccleſiæ *e*, & divinis officiis noverit ſe ſuſpenſum. Superior vero, ad quem recurritur, ſententiam ipſam ſine difficultate relaxans *f*, latorem excommunicato ad expenſas, & omne intereſſe condemnet, & alias puniat animadverſione condigna, ut pœna docente diſcant Judices, quam grave ſit excommunicationum ſententias ſine maturitate debita fulminare. Et hæc eadem in ſuſpenſionis & interdicti ſententiis volumus obſervari. Caveant autem Eccleſiarum Prælati & Judices univerſi, ne prædictam pœnam ſuſpenſionis incurrant; quoniam ſi contingeret eos ſic ſuſpenſos divina officia exequi ſicut prius, irregularitatem non effugient juxta canonicas ſanctiones: ſuper qua non niſi per ſummum Pontificem poterit diſpenſari.

### CAP. II.

*Qui petit abſolvi ad cautelam, docens excommunicationis ſententiam in ſe latam eſſe nullam, abſolvetur cujuſcunque contradictione non obſtante, niſi dicatur & probetur intra octo dies excommunicatus pro manifeſta offenſa. Qui probat ſe excommunicatum poſt appellationem, probatione pendente in judiciis evitabitur, extra judicium vero non.* h. d. Joan. Andr.

Idem *in eodem*.

SOlet *a* a nonnullis in dubium revocari, an cum aliquis per ſuperiorem abſolvi poſtulat ad cautelam, dum in ſe latam excommunicationis ſententiam aſſerit eſſe nullam, ſine contradictionis obſtaculo munus ei debeat abſolutionis impendi? Et an ante abſolutionem hujuſmodi is, qui ſe offert in judicio probaturum ſe poſt appellationem legitimam excommunicatione innodatum, vel intolerabilem errorem in ſententia fuiſſe patenter expreſſum, ſit in cæteris (excepto probationis illius articulo) evitandus? In prima igitur dubitatione ſic ſtatuimus obſervandum, ut petenti abſolutio non negetur, quamvis in hoc excommunicator vel adverſarius ſe opponat: niſi eum excommunicatum pro manifeſta dicat offenſa. In quo caſu terminus octo dierum indulgebitur ſic dicenti: ut ſi probaverit quod opponit, non relaxetur ſententia, niſi prius ſufficiens præſtetur emenda: vel competens cautio de parendo juri, ſi offenſa dubia proponatur. In ſecunda vero quæſtione ſtatuimus, ut is, qui ad probandum admittitur, pendente probationis articulo, in cæteris, quæ ut actor *b* in judiciis attentaverit, interim evitetur. Extra judicium vero in officiis, poſtulationibus, & electionibus, ac aliis legitimis actibus nihilominus admittatur.

### CAP. III.

*Excommunicatio lata in participantes excommunicatis in locutione & ſimilibus (canonica monitione non præmiſſa) non tenet* Joan. Andr.

Idem *in eodem*.

STatuimus *c*, ut nullus Judicum particpiantes cum excommunicatis ab eo, in locutione & aliis, quibus ligatur participans excommunicatione minori, ante monitionem canonicam excommunicare majori excommunicatione præſumat; ſalvis conſtitutionibus contra illos legitime promulgatis, qui in crimine præſumunt participare damnato. Quod ſi ex locutione & aliis quibus participans labitur in minorem, excommunicatus fortius indureſcat, poterit Judex poſt monitionem canonicam hujuſmodi participantes conſimili damnare cenſura. Aliter autem in participantes excommunicatio prolata non teneat: & proferentes pœnam legitimam poterunt formidare.

### CAP. IV.

*Epiſcopi nullam interdicti vel ſuſpenſionis incurrunt ſententiam, niſi in ſententia ſint expreſſi.* h. d. Joan. Andr.

Idem *in eodem*.

QUia periculum eſt Epiſcopis & eorum ſuperioribus, propter executionem Pontificalis officii, quod frequenter incumbit, ut in aliquo caſu interdicti vel ſuſpenſionis incurrant ſententiam ipſo facto: Nos deliberatione provida duximus ſtatuendum, ut Epiſcopi & alii ſuperiores Prælati nullius conſtitutionis occaſione, ſententiæ ſive mandati prædictam incurrant ſententiam ullatenus ipſo jure; Niſi in ipſis de Epiſcopis expreſſa mentio habeatur.

### CAP. V.

*Hujus decretalis quinque ſunt dicta.* Primum, *quod Archiepiſcopus ſententias latas a ſubditis ſuorum Suffraganeorum, niſi hoc habeat de conſuetudine, non relaxet.* Secundum, *quod generalis ſententia Archiepiſcopi ligat tantum ſubditos.* Tertium, *quod pro præteritis vel præſentibus culpis, monitione non præmiſſa, ab eis lata ſententia eſt injuſta.* Quartum, *quod pro futuris culpis vel jam commiſſis, ſcilicet niſi ſatisfaciant, excommunicare* non

---

a *Vid. B. Thom. in quæſtionibus additis ad 3. part. qu. 26. art. 3.* b *Vide l. jusjurandum quod ex conventione. §. 1. ff. de jurejur. & l. falſus. ff. quod cum fal tu. Font.* c *Vide Conc. Trid. ſeſſ. 25. de reform. c. 3. & cur excommunicatio dicatur medicinalis, luculenter docet Joannes Roffenſis adverſus Lutherum, artic. 2. & Covarruvias in cap. alma mater. de ſen tent. excomm. l. 6. in init.* d *al. eſt.* e *Nota hic ex mente Dominici, quod non poterit domi in oratorio celebrare. Font.* f *Vide l. prolatam. C. de ſent & inter. omn. jud. Font.*

a *Vide Abb. Felin. & alios in c. Apoſtolicæ. ext de except. ubi multa tradunt de abſolutione ad cautelam huc ſpectantia.* b *Vide Dec. in c. intelleximus extra de Judiciis.* c *De participantibus cum excommunicatis, vide c. ſicut Apoſtolo. 21. quæſt. 3. & ibi late Turrecr. & B. Thom. in quæſtionibus additis ad 3. part. qu. 23. art 1. 2. & 3.*

UNED

*non debent, niſi mora, culpa, vel offenſa, vel alia juſta cauſa ſubſit.* Quintum, *quod in univerſitatem vel collegium non feratur excommunicationis ſententia: ſed in illos, qui culpabiles extiterunt.* Joan. Andr.

Idem. a

ROmana Eccleſia: (*& infra.*) Cæterum interdicti, ſuſpenſionis, vel excommunicationis ſententias latas ab officialibus Archidiaconorum, ſeu quibuslibet aliis juriſdictionem habentibus Suffraganeorum Rhemen. Eccleſiæ ſubditis, Rhemen. Archiepiſcopus & ejus Officiales (omiſſis ipſis excommunicatoribus) non relaxent: ſalva contraria ſuper hoc conſuetudine, ſi quam habent. Porro, excommunicationem ſententiæ a Rhemenſi Archiepiſcopo, ſuiſque Officialibus generaliter promulgatæ, ſubjectos ejuſdem juriſdictioni Archiepiſcopi tantum ligant. Sed nec in ſpecie nec in genere pro culpis & offenſis præteritis vel præſentibus, excommunicationum ſententias abſque competenti monitione præmiſſa promulgent, & ſi contra præſumpſerint, injuſtas noverint eſſe illas. Caveant etiam, ne tales ſententias excommunicationis b, ſive ſpecialiter, ſive generaliter in aliquos pro futuris culpis, videlicet ſi tale quid fecerint, vel etiam pro jam commiſſis ſub hac forma, ſi de illis intra tale tempus minime ſatisfecerint, proferre præſumant: niſi mora in exhibenda ſatisfactione, vel culpa ſeu offenſa præceſſerit, quibus merito ad injungendam ſatisfactionem hujuſmodi, & taliter probanda ſimilia inducantur: aut alia rationabilis (quam in ipſis ſententiis exprimant) cauſa ſubſit. In univerſitatem vel collegium proferri excommunicationis ſententiam penitus prohibemus: volentes animarum periculum vitare, quod exinde ſequi poſſet, cum nonnunquam contingeret innoxios hujuſmodi ſententia irretiri: ſed in illos duntaxat de collegio vel univerſitate, quos culpabiles eſſe conſtiterit, promulgetur.

CAP. VI.

*Prælatum contra potentiam temporalem etiam ſpirituali gladio, ſcilicet Eccleſiaſtica cenſura, ſe tueri poteſt.* h. d. Joan. Andr.

Idem *in eodem.* c

DIlecto filio Decano Aurelianenſi: (*& infra.*) Præterea cum omnes leges omniaque jura vim vi repellere, cunctiſque ſeſe defenſare permittant, licuit d utique ipſi Decano (ſi prædictus ballivus eum bonis ſuis mundanis injurioſe ſpoliare, vel ea violenter occupare præſumpſerit, ut ſuperius eſt expreſſum) contra illius violentiam injuriamque ſe tueri. Et quoniam adverſus ejus nimiam potentiam ſufficiens temporalis defenſio ſibi forte non aderat, potuit ſe etiam ſpiritualiter, gladio videlicet utendo Eccleſiaſtico, defenſare, ac recurrere propter hoc ad arma ſpiritualia, quæ ſunt Eccleſiæ propria, & pro ſuo munimine illis uti: præſertim cum dictus ballivus poſt latas in eum ab e eodem Decano ex aliis cauſis excommunicationis ſententias (ſicut idem Decanus aſſeruit) ipſum tanquam exinde provocatus, ſententiis ipſis contemptis, bonis ſpoliaſſet eiſdem: & propter hoc poſtmodum ipſe Decanus ſententiam tulerit interdicti, tanquam ſpiritali ſe mucrone defendens contra illius injuriam & violentiam, ſibi ab eodem occaſione prædictarum ſententiarum, & in ipſarum contemptum illatam. Et quidem cum liceat cuilibet ſuo vicino vel proximo pro repellenda ipſius injuria ſuum impertiri auxilium: imo ſi poteſt & negligit, videatur injuriantem fovere, ac eſſe particeps ejus culpæ: licuit profecto ipſi Decano proprio ſibimet ſubvenire ſubſidio, & ſuammet temporalem injuriam ſua propria ſpiritali defenſione tueri: ſicque utrumque quodammodo gladium & temporalem & Eccleſiaſticum, alterum videlicet altero adjuvare: maxime quia hi duo gladii conſueverunt (exigente neceſſitate) ſibi adinvicem ſuffragari, & in juvamen alterius ſubventione mutua frequentius exerceri.

CAP. VII.

*Excommunicatos a ſubditis Suffraganeorum, Archiepiſcopi non poſſunt abſolvere: ſed excommunicatos a Suffraganeis vel Officialibus bene, ſi ad eos appellatum fuerit.* h. d. Joan. Andr.

Idem

VEnerabilibus: (*& infra*) Cæterum Rothomagen. Archiepiſcopo vel ejus Officiali non licet excommunicatis ab Archidiaconis vel aliis ſubditis Suffraganeorum ipſius Archiepiſcopi (cum nec excommunicantium, nec excommunicatorum ſint Judices) abſolutionis beneficium impertiri: excommunicatos autem ab ipſis Suffraganeis, vel eorum Officialibus poſſunt abſolvere, ſi ab ipſis litigantibus ad eos a fuerit provocatum. Neutra vero partium appellante, ſi qua ipſarum per Archiepiſcopum vel ejus Officialem ab excommunicatione contra eam lata pro reliqua poſtulet ſe abſolvi, vel alias coram eis de parte adverſa querimoniam ſine appellationis interpoſitione deponat: non eſt in hoc ab ipſis (cum ſui non ſint Judices) audienda. Sed ſi excommunicatus deponat apud eos de Suffraganeo, ut imponatur ei pœna, & pro ſuo intereſſe ſuper injuſta excommunicatione querelam, audire utique debent eum: ſecus autem ſi conqueratur de ipſo, ut relaxetur hujuſmodi ſententia contra ſe ab eo pro alio promulgata: quoniam tueri hanc cauſam non ad ipſum Suffraganeum, ſed eum, pro quo eſt ſententia lata, ſpectat. Attamen ſi Suffraganeus vel extra judicium pro ſuorum defenſione b jurium, vel etiam in judicio ex ſuo procedens officio c, inquirendo videlicet, vel ſimile quid agendo, aliquem excommunicet: in hoc caſu conveniendus eſt ipſe Suffraganeus coram Archiepiſcopo vel ejus Officiali: quia ipſius intereſt defendere cauſam ſuam.

*Archiepiſcopus in caſibus, in quibus juriſdictionem habet, ante cognitionem cauſæ abſolvit excommunicatum ad petitionem partis, vel ex officio, niſi dicatur excommunicatus pro manifeſta offenſa vel contumacia: & contumaciæ præſumptæ & manifeſtæ ponit exempla.* hoc dicit. Joan. Andr.

§ 1. Porro Archiepiſcopus vel ejus Officiales excommunicatos a Suffraganeis, ſemper antequam audire cauſam incipiant, in caſibus, in quibus eis juriſdictio competit, juxta Eccleſiæ formam debent abſolvere: utpote ſi poſt diffinitivam fuerit excommunicationis ſententia promulgata, & ad eos d fuerit appellatum: exceptis caſibus, in quibus jura prohibent poſt ſententiam appellare. Similiter ſi Suffraganeus extra judicium excommunicet aliquem pro ejus offenſa, vel pro ſui defenſione juris, & ſuper hoc querimoniam ille proponat, eſt ille primitus juxta formam Eccleſiæ abſolvendus: niſi Suffraganeus probaturum ſe offerat, quod pro manifeſta offenſa excommunicationis eum vinculo innodavit. Idem eſt, etiamſi quenquam pro præſumpta contumacia (videlicet quia citatus præfixo ſibi termino non comparuit) excommunicatione conſtringat: quia

a *Al. ita: Idem in eodem. al. ita: Innocentius quartus, in Conc. Lugdunenſi.* b *Dictio*, excommunicationis, *deeſt in antiquioribus exempl. etiam impreſſis.* c *in manuſcr. deſunt hæc duo verba*, in eodem. d *Vide Dec. in c. cum non ab homine. in primo not. de jud. & in c. ſignificaſti. de off. deleg.* e *Hæc verba*, ab eodem Decano: *deſunt in manuſcriptis.*

a *Ampl. in alio caſu not ut per Abbatem in cap. in literis. de off. deleg. ubi vide omnino Decium.* b *Vide not. in cap. no, vit de off. leg. & Inn. c. ex parte. ſupra de verb. ſignific. Font.* c *Vide Innoc. c. humilis. de major. & obedient. Bart. l. 2. ff. d. adult. Fontan.* d *Al. ipſos.*

quia ſi ſic ligatus, propoſita querimonia [a] petat ab Archiepiſcopo, ſe abſolvi, ſive quando Suffraganeus ex ſuo proceſſit officio, ſive quando eſt ad ipſum Archiepiſcopum ante ſententiam diffinitivam appellatum, & ab adverſario proponatur, quod abſolvendus non ſit, nec pandi ei debeat judicii aditus, niſi prius expenſas reſtituat, & judicio ſibi exhibeat cautionem: ipſeque reſpondeat, quod recte contumax reputari non debet, pro eo quod in itinere captus, vel etiam alio impedimento detentus in termino comparere nequivit: tunc protinus ſibi juxta formam Eccleſiæ, beneficium debet abſolutionis impendi. Secus autem ſi ſe contumacem confiteatur, vel alias de contumacia ſua conſtet: quia forte prædixerat in judicio, quod minime compareret: tunc enim (cum manifeſta ſit contumacia, & manifeſta reputetur offenſa) non eſt ei (niſi primo expenſarum ſatisfactione, ac de ſtando judicio cautione præſtita) abſolutio impendenda. Et hoc ipſum eſt in ſimilibus obſervandum: ſicut ſi aliquis ad certum locum citetur, & ille proponat ipſum non eſſe ſibi tutum, & Judex poſtea in eum (quia non probavit hoc, nec comparuit) ſententiam excommunicationis promulget: nam tunc ſi excommunicatus ipſe ad ſuperiorem appellet, & ante omnia ſe ab eo petat abſolvi (eum probare coram eo velit ipſum locum non exiſtere ſibi tutum) in hoc eſt procuidubio audiendus, cum præſumpta ſolummodo ejus contumacia videatur. Sed ſi Judex pronuntiaſſet locum illum eſſe idoneum & ſecurum, & ille non comparuiſſet, ac ideo excommunicaſſet eundem: ipſe poſtmodum ſuper hoc (niſi poſt latam interlocutoriam intra decendium provocaſſet), nullatenus audiri debet.

*Excommunicatio lata poſt appellationem interpoſitam ex cauſa probabili, non ſtatim pronuntiatur nulla: ſed fieri poteſt relaxatio ad cautelam, etiam antequam incipiat de veritate cauſæ cognoſcere. Idem ſi dicatur lata per intolerabilem errorem, & in contrarium error ille probabiliter defendatur.* Joan. Andr.

§. 2. Sed ſi ex cauſa legitima ſeu probabili quis appellet, puta quia locus non eſt tutus, & poſt appellationem hujuſmodi excommunicatione ligetur, ac deinde conſtet ſuperiori, quod ad ipſum ex tali cauſa extitit provocatum: non tamen illico pronunciare debet excommunicationis ſententiam fore nullam, ſed poteſt eam ad cautelam juxta formam Eccleſiæ relaxare.

*Si certum eſt excommunicationem eſſe juſtam, fit remiſſio: ſi certum eſt eam injuſtam, non fit: ſi eſt dubium, fieri poteſt relaxatio, ſed honeſtius eſt remittere: tenet tamen relaxatio, ubi Archiepiſcopus eſt Judex, licet non fiat remiſſio.* h. d. Joan. Andr.

§. 3. Sane ſi certum eſt excommunicationis ſententiam eſſe [b] juſtam, velut cum propter manifeſtum exceſſum eſt in aliquem promulgata, ſuperior Judex (niſi periculum ſit in mora) excommunicatum ad excommunicatorem prorſus remittere debet: nec debet eum abſolvere, niſi excommunicator requiſitus malitioſe illi abſolutionis beneficium deneget exhibere. Si vero conſtet hujuſmodi ſententiam eſſe injuſtam, nequaquam remittendus eſt ad ſuum excommunicatorem excommunicatus, ſed debet ſine difficultate aliqua mox abſolvi. Quod ſi dubitetur, utrum juſta ſit vel injuſta, ſuperior (niſi excommunicatori deferat) relaxare juxta formam Eccleſiæ poteſt illam: quanquam honeſtius & convenientius ag t, ſi ei deferat in hoc caſu. Ubi autem ſuperiori competit de excommunicatione cognoſcere, abſolutio ſeu relaxatio, quam ipſe fecerit, tenet, licet forſitan ſit juſta: quoniam etſi contra jus litigatoris, non tamen contra jus conſtitutionis abſolvit.

*Archiepiſcopus in caſibus, in quibus excommunicare poteſt ſi conſuetudo habet, emendas pecuniarias exigere poteſt* h. d. Joan. Andr.

§. 4. Denique a ſubditis Suffraganeis emendas pecuniarias [a] poteſt Archiepiſcopus ſecundum conſuetudinem regionis exigere, in caſibus, in quibus ei licet eos excommunicationis vinculo innodare.

*Summatur ſupra in §. Sed ſi ex cauſa: ibi videas.*

§. 5. Poteſt quoque Archiepiſcopus beneficium abſolutionis juxta formam Eccleſiæ nonnunquam impendere ad cautelam: utpote ſi aſſeritur in excommunicationis ſententia intolerabilem errorem fuiſſe patenter expreſſum, id eſt, aliquid ſub vi præcepti vel mandati aperte in ea contineri, quod communiter vel in ſuo genere eſt peccatum: veluti ſi dicat forte aliquis, ſe a Suffraganeo excommunicatum fuiſſe, pro eo quod eleemoſynam pauperi tribuebat, vel quia faciebat aliquid aliud, quod in ſe bonum eſt, aut quia non operabatur id, quod ſuo actu illicitum eſt & pravum, & Suffraganeus ipſe aſſerat, quod pro digna & rationabili cauſa, vel pro conſervanda vel exequenda juſtitia hoc illi prohibuiſſet, vel etiam injunxiſſet: nam tunc Archiepiſcopus ad cautelam abſolvere poteſt eum.

*Summarium habes ſupra in §. Sed ſi ex cauſa: ibi vide.*

§. 6. Similiter ſi aliquis proponat ſe ante diffinitivam ſententiam in judicio, vel extra, poſt appellationem ex cauſa legitima interpoſitam, vinculo excommunicationis adſtrictum: poteſt Archiepiſcopus, poſtquam ſibi de hoc conſtiterit (etiam priuſquam incipiat de veritate cauſæ appellationis cognoſcere) abſolutionis illi beneficium ad cautelam juxta formam Eccleſiæ impertiri.

## C A P. VIII.

*Judex Eccleſiaſticus compellit Judicem laicum repellere excommunicatos ab actibus judiciariis ſibi prohibitis.* h. d. Joan. Andr.

Alexander IV. (*an.* 1258.)

DEcernimus, ut Judices ſeculares per cenſuram Eccleſiaſticam ab Eccleſiaſticis Judicibus, canonica monitione præmiſſa, repellere excommunicatos ab agendo, patrocinando [b] & teſtificando in ſuis curiis & judiciis compellantur.

## C A P. IX.

*Non valet excommunicatio lata in participantes, niſi fuerint moniti nominatim. Et canonica monitio dicitur, quæ habet dierum intervalla: niſi neceſſitas facti aliud ſuadeat.* h. d. Joan. Andr.

Gregorius X. *in Concilio generali Lugdunen.*

(*an.* 1273.)

COnſtitutionem felicis recordationis Innocentii Papæ quarti, prædeceſſoris noſtri, quæ prohibet participantes [c] excommunicatis ea participatione, quæ ſolam minorem excommunicationem inducit, monitione canonica non præmiſſa, majori excommunicatione ligari, decernens promulgatam aliter excommunicationis ſententiam non tenere: ad tollendum omnem ambiguitatis ſcrupulum declarantes, decernimus, ita demum eſſe monitionem canonicam in hoc caſu, ſi aliis rite ſervatis, eos qui monentur, exprimat nominatim. Statuimus quoque, ut inter monitiones, quas (ut canonice promulgetur excommunicationis ſententia) ſtatuunt jura præmitti, Judices ſive monitionibus tribus utantur, ſive una pro omnibus, obſervent aliquorum dierum competentia intervalla: Niſi facti neceſſitas aliter ea ſuaſerit moderanda. [d]

## C A P. X.

*Relaxatio ad cautelam, in generali interdicto non habet locum.* h. d. Domin.

Idem

---

a *Per viam ſupplicationis, reſtitutionis in integrum, appellationis. Dom. Font.* b *al. fore.*

a *De Arch. hic remittit ad 23 qu. 5. c. ſi vos. 21. qu. 5. ſi quis cujuslibet Font.* b *Quod lucratur patrocinando, debet excommunicatus reſtituere, vel erogare in pauperes: quia male eſt quæſitum. cap. cum ſit. de Judæ Font.* c *Vide Franc. Ares. l. 1. ff. de verb. obl. cap. lex divina. 27. q. 2. & nutu dicimus loqui etiam, ubi lex expreſſe meminit de verbis. cap. cum apud. de ſponſ. Font.* d *Vide Bald. l. 1. de prec. imp. offer. Dom. Font.*

UNED

Idem *in eodem*.

PRæſenti generali declaramus edicto, beneficium relaxationis ad cautelam, quoad interdicti ſententias in civitates, caſtra, vel quælibet alia loca, ſive terras aliquas generaliter promulgatas, locum aliquatenus non habere.

C A P. XI.

Primo *excommunicat certis limitationibus dantes licentiam offendendi in perſonis vel rebus ſuis, vel ſuorum: exercentes contra aliquos Eccleſiaſticam cenſuram, vel exerceri facientes, vel illam ſervantes.* Secundo ibi, *Eadem, pœnam prorogat ad utentem, vel motu proprio id agentem.* Tertio ibi, *Qui autem, pœnam aggravat.* h. d. Joan. Andr.

Idem. *in eodem*.

QUicunque pro eo, quod in Reges, Principes, Barones, nobiles, ballivos, vel quoslibet miniſtros eorum, aut quoſcunque alios excommunicationis, ſuſpenſionis, ſeu interdicti ſententia fuerit promulgata, licentiam alicui dederint occidendi, capiendi, ſeu alias in perſonis, aut bonis ſuis, vel ſuorum *a*, gravandi eos, qui tales ſententias protulerunt, ſive quorum ſint occaſione prolatæ, vel eaſdem ſententias obſervantes, ſeu taliter excommunicatis communicare nolentes (niſi licentiam ipſam re integra revocaverint, vel ſi ad bonorum captionem occaſione ipſius licentiæ ſit proceſſum, niſi bona ipſa fuerint intra octo dierum ſpatium reſtituta, aut ſatisfactio pro ipſis impenſa) eo ipſo ſententiam excommunicationis incurrant. Eadem quoque ſententia ſint innodati omnes, qui auſi fuerint prædicta licentia data uti, vel aliquod præmiſſorum, ad quæ committenda dari licentiam prohibuimus, alias committere ſuo motu. Qui autem in eadem ſententia permanſerint duorum menſium ſpatio, extunc ab ea non poſſint, niſi per ſedem Apoſtolicam, abſolutionis beneficium obtinere.

C A P. XII.

*Si malefactor captus a Judice laico dicit ſe Clericum, hujus rei cognitio ad Judicem Eccleſiaſticum ſpectat. Et ſi notorie, vel publica fama, vel communi æſtimatione habetur pro Clerico, ſtatim fit remiſſio. Idem ſi prius ſe gerebat pro Clerico, & modo deprehenſus fuit in habitu clericali. Si autem prius ſe gerebat pro Laico, licet modo in clericali habitu deprehenſus fuerit, non fiet remiſſio, donec fuerit de Clericatu probatum, ſed interim contra eum Judex in nullo procedet.* h. d. Joan. Andr.

Bonifacius VIII. (*an.* 1298.)

SI Judex *b* laicus malefactorem captum detineat, & is ſe Clericum dicens ad curiam Eccleſiaſticam petat remitti, vel curia ipſa eum tanquam ſuum Clericum repetat, Judice illum inficiante Clericum, ac ob hoc minime remittendum: dubitationis hujuſmodi, an ſcilicet ſit, qui repetitur, Clericus, ad Judicem Eccleſiaſticum, quia de re Eccleſiaſtica & ſpirituali, vocato tamen Judice ſeculari, vel alio, cujus intereſt, cognitio pertinebit. Et ſi notorium fuerit, quod idem malefactor ſit Clericus, qui hujuſmodi privilegio gaudere debeat, ſtatim abſque alia cognitione, vel fama publica de hoc extiterit, aut ipſe pro Clerico communiter habebatur: in continenti etiam ante cognitionem de Clericatu, Eccleſiaſticæ curiæ debet reddi. Idem eſſe cenſemus, ſi reus ipſe ante deprehenſionem pro laico publice ſe non gerens, deprehenſus fuit in habitu clericali, tonſuram videlicet, & veſtes deferens clericales: nam talem debemus Clericum (donec conſtet de contrario) reputare. Sicut de illo, qui in poſſeſſione ingenuitatis exiſtit, ſi dicatur ab alio libertinus, legalis ſanxit auctoritas, ut probandi neceſſitate non ipſe, ſed adverſarius adſtringatur. Juſtum eſt enim, ut ipſe talis, quem geſtat, ex habitu (quouſque appareat aliud) præſumatur, qualis is eſſe, cujus fert habitum, comprobatur. Ex ſtigmate namque conſueto Fabricenſibus *a* imprimi, latitans Fabricenſis agnoſcitur. Et cuſtodes aquarum (quos hydrophylacas nominant) quæ eis infigi ſolet annotatione ſignati, manifeſti ſunt omnibus, & angariarum nomine non tenentur. Iſque ſtatus alicujus eſſe videtur, in quo ipſe deprehenditur, donec contrarium doceatur *b*. Non ſic autem volumus obſervari, ſi ante deprehenſionem pro Laico publice ſe gerebat, ac pro tali communiter habebatur, quamvis deprehenſionis tempore repertus fuerit in habitu clericali: tunc enim reſtituendus non eſt, quouſque fidem de titulo fecerit clericali, cujus eidem probationis onus incumbat, propter præſumptionem, quæ adverſus ipſum orta eſt ex delatione laicalis habitus præcedenti. Contra eum tamen interim quivis proceſſus Judicis penitus conquieſcat.

C A P. XIII.

*Non tenet ſuſpenſio vel interdictum lata in participantes, non præmiſſa monitione canonica.* h. d. Joan. Andr.

Idem.

STatutum Gregorii Papæ X. factum ad declarationem conſtitutionis Innocentianæ, quæ prohibet participantes excommunicatis ea participatione, quæ ſolum *c* minorem inducit, majore excommunicatione ligari monitione canonica non præmiſſa: in ſuſpenſionis & interdicti ſententiis (quæ pro hujuſmodi participatione plerunque ab ordinariis vel delegatis *d* Judicibus promulgantur) præcipimus inviolabiliter obſervari: Decernentes eaſdem ſententias non tenere aliter promulgatas.

C A P. XIV.

*Per negligentiam non proſequentis debito tempore appellationem excommunicatio poſt eam lata non convaleſcit: ſed poterit tunc denunciari, & debebit vitari donec de ſententiæ nullitate docuerit.* h. d. Joan. Andr.

Idem.

LIcet excommunicationis ſententia poſt appellationem legitimam promulgata, per negligentiam appellantis, appellationem ſuam minime proſequentis, non ratificetur, nec etiam convaleſcat: excommunicatus tamen nominatim, vel ſpecialiter & expreſſe, qui poſt appellationem legitimam excommunicationis ſententiam aſſerit in ſe latam: ſi appellationem eandem intra tempus *e* ad ipſam proſequendam ab homine, vel a jure ſtatutum, non fuerit (ut debuit) proſecutus, lapſo eodem tempore excommunicatus publice nunciari, & nedum in judicialibus, ſed etiam in extrajudicialibus evitari, ac a legitimis actibus removeri debebit, quouſque quod poſt appellationem legitimam excommunicatus fuerit, vel alias de ipſius ſententiæ docuerit nullitate.

C A P. XV.

*Prælatus capi faciens & incidens, etiam per Laicos, Clericum nondum incorrigibilem, excommunicatus non eſt: nec etiam ipſi capientes. Secundo dicitur, ſi talis dat fidejuſſores de parendo juri, detineri non debet; niſi juſta cauſa id ſuadeat.* h. d. Joan. Andr.

Idem

---

*a Vid. Bald. in l. bis rebus ff. ſol. matrim. Bart. in l. nam & Servius. ff. de neg. geſt. & l. quoniam multa. C. ad leg. Jul. de vi. & c. ſicut nob. de teſtib. Font.* b *Vide Alex. conſ. 8. l. 1. & conſ. 61. l. 4. Bald. in l. ſi qua per calumniam. C. de Epiſcop. & Cleric. Canoniſtas in c. cum non ab homine. ext. de jud. late Covarruv. in pract. quæſt. c. 33. & Grammaticum deciſ. 81.*

*a Vide Alciatum l. 1. prætermiſſorum, verbo militia.* b *Vide c. tuam. de ord. cog. l. præſens. C. ad l. Fabiam, de plag.* c *al. ſolam.* d *Nota quod delegati poſſunt excommunicare, ſuſpendere, interdicere: quanquam hoc in literis delegationis non exprimatur, ſecundum Doct. vide not. ſupr. eod. ſtatuimus. Font.* c *Vide Abbat. in c. teſtimonium. ext. de teſtib.*

Idem Bonifacius VIII.

SI *a* Clericos tuæ juriſdictioni ſubjectos propter commiſſos exceſſus, etiam per Laicos capi facias, & eos (ne fugiant) in carcere pœna debita poſtea caſtigandos includas: te, vel capientes eoſdem (licet nondum appareat incorrigibiles illos eſſe) nulla credimus excommunicatione nodari: Cum in his (niſi alias ex propoſito excedatur in ipſis) temeritas vel injuria nequeat deprehendi. Eoſdem quoque Clericos ſi de parendo juri tibi fidejuſſoriam dederint cautionem, detinere non debes: niſi exceſſus enormitas, vel alia cauſa rationabilis eos ſuaſerit detinendos.

C A P. XVI.

*Interdicto Clero non eſt interdictus populus, nec e converſo. Interdicta civitate propter delictum domini, cives non interdicti extra ipſam audiunt divina. Interdicto populo, ſingulares de populo intelliguntur interdicti.* hoc d. Joan. Andr.

Idem.

SI ſententia interdicti proferatur in Clerum, non intelligitur (niſi aliud ſit expreſſum in ea) interdictus populus, nec etiam e converſo. Unde uno interdicto ipſorum, alius licite admittitur ad divina. Cæterum cum propter delictum domini, vel rectoris, eſt civitas interdicta, cives ejuſdem (qui culpabiles non exiſtunt, dummodo & ipſi propter dominum, vel rectorem puniendum in eis non fuerint interdicti) poſſunt extra ipſam licite intereſſe divinis. Cum vero alicujus terræ populus interdicto nodatur, ſingulares ex eo perſonæ, quas interdictas eſſe conſtat (ne ſententia effectu careat, cum divinorum auditio, & ſacramentorum perceptio populo ut univerſis non competant) non debent alicubi (caſibus expreſſis a jure duntaxat exceptis) audire divina, vel Eccleſiaſtica recipere ſacramenta.

C A P. XVII.

*Interdicta civitate, ſuburbia & continentia ædificia dicuntur interdicta. Et interdicta Eccleſia, Capella contigua & cœmeterium contiguum dicitur interdictum.* hoc d. Joan. Andr.

Idem.

SI civitas *b*, caſtrum, aut villa, ſubjiciantur Eccleſiaſtico interdicto, illorum ſuburbia, & continentia ædificia eo ipſo intelligi volumus interdicta. Nam licet prædicta videantur alias murorum ambitu terminari, hoc tamen caſu ne vilipendi valeat ſententia interdicti quod fieret ſi poſſet in ipſorum ſuburbiis, vel continentibus ædificiis licite celebrari, ut prius) expedit interpretationem fieri latiorem. Ratione quoque ſimili ſi ſit Eccleſia interdicto ſuppoſita *c*, vel ſubjecta, nec in Capella ejus celebrari, nec in cœmeterio ipſius eidem Eccleſiæ contiguis poterit ſepeliri. Secus, ſi ei contigua non exiſtant.

C A P. XVIII.

*Celebrans ſcienter in Eccleſia polluta, vel præſente excommunicato majori excommunicatione, irregularitatem non contrahit.* Dom.

Idem.

IS, qui in Eccleſia ſanguinis aut ſeminis effuſione polluta, vel qui præſentibus majori excommunicatione nodatis, ſcienter celebrare præſumit, licet in hoc temerarie agat, irregularitatis tamen (cum id non ſit expreſſum in jure) laqueum non incurrit.

*Scienter celebrans in loco interdicto, in caſibus non permiſſis, irregularis & ineligibilis eſt.* h. d. Dom

Is vero, qui ſcienter in loco celebrat ſuppoſito interdicto (niſi ſuper hoc privilegiatus exiſtat, aut a jure ſit conceſſum eidem) irregularitatem incurrit, a qua nequit per alium, quam per Romanum Pontificem liberari, & adeo efficitur ineligibilis, quod nec ad eligendum cum aliis debebit admitti.

C A P. XIX.

*Tempore interdicti chriſma die Cœna Domini confici poteſt.* h. d.

Idem.

QUoniam *a* in baptiſmo & confirmatione (quæ nedum pueris, ſed & adultis, propter moræ periculum exhiberi poſſunt licite tempore interdicti) chriſmatis utimur unctione: poſſe (licet terra interdicta exiſtat) chriſma die Cœnæ Domini confici, dubium non exiſtit.

C A P. XX.

*Suſpenſus ab ingreſſu Eccleſiæ in ea divina celebrans, eſt irregularis. Et moriens impœnitens ſuſpenſione illa durante, caret Eccleſiaſtica ſepultura. Et ſuſpenſio ab ingreſſu Eccleſiæ vel officio, per appellationem ſequentem non ſuſpenditur.* h. d. Dom.

Idem.

IS, cui eſt Eccleſiæ interdictus ingreſſus (cum ſibi per conſequens cenſeatur in ipſa divinorum celebratio interdicta) irregularis efficitur, ſi contra interdictum hujuſmodi divinis in ea ſe ingerat, in ſuo agens officio ſicut prius. Talis quoque ſi hoc interdicto durante decedat, non debet in Eccleſia vel cœmeterio Eccleſiaſtico (niſi *b* pœnituerit) ſepeliri. Sane ſicut excommunicatio, ſic ab officio vel ab ingreſſu Eccleſiæ lata ſuſpenſio, aut ipſius effectus, per appellationem ſequentem minime ſuſpenduntur.

C A P. XXI.

*Religioſum Clericum verberantem, abſolvit Epiſcopus eo caſu, quo abſolveret Clericum.*

Idem.

REligioſo, qui manus violentas in Clericum ſecularem injecit (ne hoc prætextu habeat materiam evagandi) poterit ab Epiſcopo eo caſu abſolutionis beneficium exhiberi, quo ſeculari Clerico poſſet, ſi alium Clericum percuſſiſſet.

*Verberans Novitium religionis, excommunicationem incurrit.*

§. 1. Quamvis *c* autem is, qui religionem ingreditur, religioſus cenſeri cum effectu non poſſit, donec ſit tacite vel expreſſe profeſſus: ſi quis tamen violentas manus in eum injiciat, excommunicationis latæ a canone vinculum non evadit.

C A P. XXII.

*Abſolutus propter mortis periculum, vel aliud impedimentum, ab eo, a quo alias non poterat, ſi ceſſante impedimento ſe non præſentat, cum commode poteſt, ei, a quo alias abſolvi debebat, recidit in eandem ſententiam. Idem in abſoluto, qui ſe debet alicujus conſpectui præſentare, ſi hoc non faciat.* Joan. Andr.

Idem.

EOS, qui a ſententia canonis, vel hominis (cum ad illum, a quo alias de jure fuerant abſolvendi, nequeunt propter imminentis mortis articulum, aut aliud impedimentum legitimum, pro abſolutionis beneficio habere recurſum) ab alio abſolvuntur: ſi ceſſante poſtea periculo, vel impedimento hujuſmodi, ſe illi, a quo his ceſſantibus abſolvi debebant, quam cito commode poterunt, contempſerint præſentare, mandatum ipſius ſuper illis, pro quibus excommunicati fuerant, humiliter recepturi & ſatisfacturi, prout juſtitia ſuadebit: decernimus (ne ſic cenſuræ illudant Eccleſiaſticæ) in eandem ſententiam recidere

a *Vide Alex. conſ. 8. l. 1. incip. videtur ſuper primo dubio & conſ. 149. l. 6. incip. in cauſa inquiſitionis.* b *Et an appellatione civitatis veniant terræ ſibi recommendatæ, vide Anchar. in Clem ne Romani. §. ſane de elect ubi aſſerit non venire, & quæ ſit ratio, vide Cur. in conſ. 204. l. 2. & quid veniat appell. civit., tradit Fel. in c. Rodulphus extr. de reſcr.* c *Hæc duo verba*, ſuppoſita vel, *deſunt in manuſcr. cod.*

a *Vide text. & ibi doct. in cap. non eſt, in fin. extr. de ſponſ.* b *In manuſcriptis codicibus ita: niſi prius pœnituerit, &c.* c *Vide Fel. cum deputati. extr. de jud. & Jaſ. leg. pen. ff. de jur. omn. jud.*

UNED

dere ipſo jure. Idem ſtatuimus de his, quibus (cum a ſede Apoſt. vel a Legatis ipſius, abſolutionis beneficium a quibuſvis ſententiis conſequuntur) injungitur, ut Ordinariorum ſuorum, vel aliorum quorumlibet ſuſcepturi pœnitentiam ab eiſdem, ſe conſpectui repræſentent, & paſſis injuriam, ſeu his, quibus propter hoc obligati exiſtunt, ſatisfactionem exhibeant competentem: ſi hæc cum primum commode poterunt, non curaverint adimplere.

### C A P. XXIII.

*Si percuſſionem in Clericum ſine meo mandato, tamen nomine meo factam, ratam habeam, excommunicatus ſum: ſecus ſi meo nomine non ſit facta.* Joan. Andr.

Idem.

CUm quis abſque tuo mandato manus injicit *a* in Clericum tuo nomine violentas, ſi hoc ratum habueris, excommunicationem latam a canone incunctanter incurris: cum ratihabitio retrotrahatur, & mandato debeat comparari. Si vero injectio eadem tuo nomine non ſit facta, tunc licet pecces ratam habendo eadem, non tamen propter hoc excommunicationis ullius *b* vinculo innodaris: Cum quis ratum habere nequeat, quod ejus nomine non eſt geſtum.

### C A P. XXIV.

*Tempore interdicti etiam ſani ad pœnitentiam admittuntur: niſi ſint excommunicati, qui non niſi in mortis articulo admittentur: vel niſi cauſam dederint interdicti, qui non admittantur, niſi ſatisfaciant, vel caveant prout poſſunt. Item illo tempore Miſſa & alia divina officia ſub pœna diſtributionum, ſicut prius, in Eccleſiis celebrantur januis clauſis: plane ſine excommunicatis & interdictis, & ſonitu campanarum. Et quater in anno alte cum campanis & januis apertis celebrare poſſunt, & excluſis excommunicatis interdictos admittere: ita tamen quod hi, propter quorum exceſſum latum eſt, non appropinquent altari. In cæteris ſervandum eſt interdictum. Et revocata ſunt privilegia, ultra id quibuſcunque conceſſa.* h. d. Joan. Andr.

Idem.

ALma mater Eccleſia plerumque nonnulla rationabiliter ordinat & conſulte, quæ ſuadente ſubjectorum utilitate poſtmodum conſultius, ac rationabilius revocat *c*, in meliuſve commutat. Sane a noſtris dudum fuit prædeceſſoribus conſtitutum, ut in terris ſeu locis Eccleſiaſtico ſuppoſitis interdicto, nulla (certis caſibus & ſacramentis exceptis) divina celebrentur officia, vel miniſtrentur Eccleſiaſtica ſacramenta. Quia vero ex diſtrictione hujuſmodi ſtatutorum excreſcit indevotio populi, pullulant hæreſes, & infinita pericula animarum inſurgunt, ac Eccleſiis ſine culpa earum debita obſequia ſubtrahuntur: cum fratribus noſtris deliberatione habita ſuper his diligenti, concedimus, quod tempore interdicti ab homine, vel a jure prolati, non tantummodo morientes, ſed *d* etiam viventes, tam ſani etiam quam infirmi, ad pœnitentiam (quæ propter pronitatem & facilitatem hominum ad peccandum, ſumme neceſſaria eſt) licite admittantur, dum tamen excommunicati non fuerint, quos admitti (præterquam in mortis *e* articulo) nolumus ad eandem. Illis etiam, propter quorum culpam, dolum vel fraudem lata eſt ſententia interdicti, vel qui ad perpetrandum delictum, cujus occaſione ipſum interdictum eſt latum, præbuerunt auxilium, conſilium vel favorem: niſi de ipſo delicto (ſi ſint tales, quod id facere valeant) prius ſatisfecerint, vel de ſatisfaciendo idoneam dederint cautionem, aut ſi ſatisfacere nequeunt, vel hujuſmodi cautionem præſtare juraverint, quod cum poterunt, ſatisfacient: & ad ſatisfactionem hujuſmodi per eum, vel per eos, qui facere ipſam debent & poſſunt præſtandam, dabunt conſilium & auxilium, ac juxta poſſe ſuum fideliter laborabunt: non eſt pœnitentiæ beneficium aliquatenus concedendum. Nec tunc etiam quoad iſtos, vel alios qui circa hoc minime deliquerunt (ubi civitas vel locus alius, ſeu univerſitas interdicti exiſtunt) facienda eſt relaxatio interdicti, ſed eſt eis ſolummodo injungenda præeminentia ſalutaris. Adjicimus præterea, quod ſingulis diebus in Eccleſiis & monaſteriis Miſſæ celebrentur, & alia dicantur divina officia ſicut prius: ſubmiſſa tamen voce & januis clauſis, excommunicatis ac interdictis excluſis, & campanis etiam non pulſatis. Et tam Canonici, quam Clerici Eccleſiarum, in quibus diſtributiones quotidianæ illis, qui horis interſunt canonicis, tribuuntur, ſi ad officia non venerint ſupradicta, diſtributiones eaſdem amittant: ſicut interdicto perderent non extante, ſi divinis officiis non adeſſent. In feſtivitatibus vero Natalis Domini, Paſchæ, ac Pentecoſtes, & Aſſumptionis Virginis glorioſæ, campanæ pulſentur, & januis apertis alta voce divina officia ſolenniter celebrentur, excommunicatis prorſus excluſis, ſed interdictis admiſſi: quibus ob reverentiam dictarum ſolennitatum (ut ipſi ad humilitatis gratiam, & reconciliationis affectum *a* facilius inclinentur) præfatis diebus participationem permittimus divinorum: ſic tamen quod illi, propter quorum exceſſum interdictum hujuſmodi eſt prolatum, altari nullatenus appropinquent. Cæteris, quæ circa obſervationem interdictorum a noſtris ſunt prædeceſſoribus inſtituta, in ſuo robore duraturis: non obſtantibus quibuſvis privilegiis, Eccleſiis, monaſteriis, ordinibus, religionibus, ſeu perſonis Eccleſiaſticis, ſecularibus, vel regularibus, exemptis & non exemptis, ſub quavis forma vel expreſſione verborum ab Apoſtolica ſede conceſſis, quæ contra tenorem præſentis conſtitutionis nullis volumus ſuffragari, cum quibuslibet tam ſecularibus, quam regularibus, ſufficere debeat, ut tempore interdicti modo præmiſſo diebus celebrent ſupradictis.

## T I T U L U S XII.
## DE VERBORUM SIGNIFICATIONE.

### C A P. I.

*Declarat hic Innocentius, quid ſignificet verbum privilegii: recipimus ſtos in proprios filios Eccleſiæ Romanæ: & quis locus dicatur eſſe deſertus.* hoc dicit, Joan. Andr.

Innocentius IV. (*an.* 1250.)

VEniens: (*& infra*) Per illa verba privilegii, in ſpeciales & proprios Eccleſiæ Romanæ filios vos recepimus: dictos fratres exemptos non intelligi, & ipſos ex illo in proprios ejuſdem Eccleſiæ filios fuiſſe receptos, quod ab alio quam a Romano Pontifice, vel Legato ab ejus latere *b* deſtinato, interdici vel excommunicari a quoquam non valeant, declaramus. Illum locum deſertum in præmiſſis intelligimus, qui non habitatus penitus, neque cultus fuerit, vel ultra memoriam hominum (ſecundum indulgentiam Lucii) eſt ſub Saracenorum poteſtate detentus: cenſentes Eccleſias in talibus deſertis locis, a fratribus ipſis conſtructas, ſeu etiam conſtruendas, in eo plena libertate gaudere, ut ſecundum indulgentiam Lucii, nihil

a *alii inſerverit.* b *al. illius* c *V. d. l. 1. C. de cad. toll. ubi dicit Bald. quod ſicut Medicus, ſecundum tempora alterat medicinas, ita legiſlator leges Font.* d *aliter, ita: ſed & viventes* e *Nam in mortis articulo nulla eſt caſuum reſervatio: atque ideo omnes ſacerdotes quoſlibet pœnitentes a quibuſvis peccatis & cenſuris abſolvere poſſunt. ita Concil. Trident. ſeſſ. 14 cap. 7. de caſuum reſervatione.*

a *al. effectum* b *Pet. de Anchar. negat per hunc text. probari, legatos cognoſcere poſſe de cauſis exemptorum, quia hic eſt privilegium, non jus commune. Item æquiparantur ordinariis, qui exemptos non judicant. not. ſupr. de offic. leg. translatione m. Font.*



UNED

nihil ab ipſis legis diœceſanæ nomine valeat per Epiſcopos exigi: quæ (ſecundum privilegium Alexandri) non poſſint interdicto, ſeu excommunicationi ſupponi: quas in locis hujuſmodi dicti fratres habeant poteſtatem (petita a Sede Apoſtolica licentia) conſtruendi, eaſque cum ſuis Plebibus per ſuos Clericos idoneos, gubernent, qui ratione plebium examinandi Epiſcopis præſententur: ut ab eis curam recipiant animarum, cum plebes Epiſcopis ſint ſubjectæ. Cæterum dicti fratres decimas de laboribus & novalibus ſuis, quos propriis manibus aut ſumptibus excolunt, aut aliis bonis ſibi a Deo præſtitis, Conventibus Clericorum ordinis ſui (a quibus quarta vel tertia nullatenus exigatur) cum integritate perſolvant: ſalva moderatione Concilii generalis.

In aliis eorum poſſeſſionibus, jure communi ſeu quolibet alio Eccleſiis parochialibus, & diœceſano Epiſcopo reſervato: Per declarationem autem hujuſmodi nolumus defenſionibus aliis, ſeu juribus partium derogari.

C A P. II.

*Declarat manifeſtum & evidens eſſe ſynonyma, & idem ſignificare, quoad caſum decret. de elect. Si forte* Joan. Andr.

Nicolaus III *a* (*an.* 1278.)

COnſtitutionem felicis recordationis Gregorii Papæ prædeceſſoris noſtri editam in Concilio Lugdunenſi, ut ſi forte inter cætera, quæ objiciuntur electo, aut poſtulato, ſeu alias promovendo ad aliquam dignitatem, evidentem ſcientiæ, vel alium perſonæ defectum opponi contingat, de illo primitus cognoſcatur: & ſi opponentem inventum fuerit deſtitui veritate, a cauſæ illius proſecutione totaliter ſit excluſus, & alias puniatur, ac ſi in objectorum probatione omnium defeciſſet: in illo, qui manifeſtum defectum in viſu, auditu, & aliis corporis *b* ſenſibus, nec non & in memoria, & etiam intellectu opponit electo, locum habere, ac quoad intentionem conſtitutionis ipſius, manifeſtum & evidens, idem ſupponere declaramus.

*Declarat conſpiratores & conjuratores, qui juraverunt & ſtatuerunt de non recipiendo aliquem in Canonicum ad mandatum Papæ, donec poſſent reſiſtere.* Joan. Andr.

Cæterum Canonicos cujuſvis Eccleſiæ, qui ſtatutum fecerunt ſolenniter, & juramento firmarunt, quod Eccleſiam ſuam & ſe ipſos contra omnes impetrantes Canonicatum ipſius Eccleſiæ defenderent, uſque ad jus vel ſententiam, quantum poſſent, ad judicium domini Papæ, vel ſpecialis mandati ejuſdem: & quod communibus expenſis, ac cum procuratario ſigillo Capituli ſigillato eadem defenſio fieret: & quod quandiu aliquis de Canonicis ejuſdem Eccleſiæ defenſionem hujuſmodi, & oppoſitionem vellet prædicto modo ſubire, alii Canonici non poſſent nec deberent recipere in Canonicum, nec habere pro Canonico in Capitulo, vel extra Capitulum, impetrantem: conſpiratores & conjuratores contra ſanctam Romanam Eccleſiam, ac libertatem, obedientiam & auctoritatem ipſius decernimus, & eoſdem tanquam conſpiratores ac conjuratores ſecundum ſanctiones canonicas puniendos.

*Statutum de non recipiendo aliquem ad Papæ mandatum, multis ex cauſis eſt deteſtabile & illicitum.* h. d.

Statutum quoque ipſum (quod Capitulo prælibato & ſingulis ejus perſonis libertatem, obedientiam, eidem Eccleſiæ Romanæ debitam exhibendi ſaltem uſque ad ſententiam, & *c* pontificum Romanorum judicium, ſeu ſpeciale mandatum, liquido interdicit, promptum futurorum gravaminum & expenſarum diſcrimen ingerens contra legitimas ſanctiones, laudabile votum execrantium lites vetat, injuſtam litem movere compellit, iniquæ controverſiæ ſeu liti cedendo, bonam fidem ſeu conſcientiam agnoſcere prohibet, & adigit ad peccandum) conſpirationem & conjurationem continere contra libertatem & auctoritatem ſedis Apoſtolicæ manifeſte, ac alias deteſtabile, prorſuſque illicitum reputamus.

C A P. III.

*Conſtitutio ampliſſima pene cunctas declarans haſitationes quæ circa divi Franciſci regulam contingere poſſunt: præſertim an fratres Minores (quos Cordigeros vocant) illius regulæ profeſſores, ſint ad omnia Evangelii conſilia obligati. Et utrum aliquid proprium habere, & pecuniam recipere, legataque ſibi relicta agnoſcere valeant: cum multis aliis ambiguitatibus hic luculentiſſime reſolutis.*

Idem.

EXiit qui ſeminat *a* ſeminare ſemen ſuum. De ſinu Patris in mundum, veſte ſcilicet humanitatis indutus Dei filius Jeſus Chriſtus, verbum Evangelicum ſaturus in ſingulos probos & reprobos, inſipientes & ignaros, ſtudioſos & deſides, & juxta Prophetam colonus futurus in terra, ſemen ſuum doctrinam Evangelicam ſine delectu diſperſit in omnes, qui omnia tracturus ad ſe, omnes ſalvare venerat: qui tandem ſeipſum Deo Patri pro ſalute omnium in redemptionis humanæ pretium immolavit. Licet autem hoc ſemen in ſingulos communicativa Dei charitate diſperſum, aliud ceciderit *b* ſecus viam, ſuper corda ſcilicet dæmonum ſuggeſtionibus pervia: aliud ſupra petram, corda ſcilicet nullo fidei vomere penetrata: aliud inter ſpinas, corda ſcilicet hominum divitiarum ſolicitudinibus lacerata: Et ideo unum pravis affectibus conculcatum, aliud aridum, quia gratiæ carebat humore, reliquum vero legitur inordinatis ſolicitudinibus ſuffocatum. Aliud tamen mite cor & docile, terra bona, ſuſcepit, hoc eſt Minorum fratrum mitis & docilis in paupertate ac humilitate per almum Chriſti confeſſorem Franciſcum radicata religio: qui ex illo vero ſemine germinans, germen illud per regulam ſparſit in filios, quos ſibi & Deo per ſuum miniſterium in obſervatione Evangelii generavit. Iſti ſunt filii, qui docente Jacobo *c* verbum æternum Dei filium, inſitum humanæ naturæ in horto virginalis uteri, potens ſalvare animas, in manſuetudine ſuſceperunt. Hi ſunt illius ſanctæ regulæ profeſſores, quæ Evangelico fundatur eloquio *d*, vitæ Chriſti roboratur exemplo, fundatoris militantis Eccleſiæ, Apoſtolorum ejus ſermonibus actibuſque firmatur. Hæc eſt apud Deum & Patrem munda & immaculata religio, quæ deſcendens a Patre luminum per ejus Filium exemplariter & verbaliter Apoſtolis tradita, & deinde per Spiritum Sanctum beato Franciſco, & eum ſequentibus inſpirata, totius in ſe quaſi continet teſtimonium Trinitatis. Hæc eſt, cui (atteſtante Paulo Apoſtolo) nemo de cætero debet eſſe moleſtus: quam Chriſtus ſtigmatibus ſuæ paſſionis confirmavit, volens inſtitutorem ipſius paſſionis ſuæ ſignis notabiliter inſigniri. Sed nec ſic contra fratres ipſos Minores & regulam, hoſtis antiqui ceſſavit aſtutia, quin potius contra eos nitens ſuperſeminare zizaniam, interdum æmulatores agitatos invidia, iracundia, & indiſcreta inſcitia concitavit: mordentes fratres & eorum regulam, quaſi illicitam, inobſervabilem, & diſcriminoſam, caninis latratibus lacerantes, non attendentes hanc ſanctam regulam (ut prædicitur) præceptis ac monitis ſalutaribus inſtitutam, Apoſtolicis obſervationibus roboratam, per plures Romanos Pontifices *e* approbatam, & etiam

a *In pleriſque antiquis codicib. etiam impreſſis ita: Nicolaus quartus.* b *al. corporeis.* c *al. & Pontificis Romani, &c.*

a *In antiquioribus codicib. etiam impreſſis ita, Exiit qui ſeminat, & infra: & mox ſequitur decretalis Privilegium. ex prima etiam gloſſa hic, conſtat olim non fuiſſe ſolitam apponi integram: ſed deciſe, id eſt, initium tantum.* b *Luc.* 8. c *Jac.* 1. d *Non tamen per omnia, ut in extrav. quia quorundam. §. adhuc. Font.* e *Honorium III. Innocentium III. Gregorium IX. Font.*

etiam per ſedem Apoſtolicam confirmatam, tot divinis teſtimoniis communitam, quæ credibilia facta ſunt nimis in tot ſanctis viris *a*, in obſervantia hujus regulæ agentibus & finientibus dies ſuos, quorum nonnullos ſanctorum Catalogo ſedes eadem ex eorum vita & miraculis fecit adſcribi. Ac noviſſime, quaſi diebus iſtis, per piæ memoriæ Gregorium Papam nonum, prædeceſſorem noſtrum approbatam eſſe, ex evidenti utilitate, quam de ipſa conſequitur univerſalis Eccleſia, in generali Lugdunenſi Concilio declaratur. Nec nos minus attendimus, imo profundius cogitamus, ſicut penſare debent ſubtilius cæteri catholicæ fidei profeſſores: quia ipſe Deus ordinem prædictum & ejus obſervatores inſpiciens, ſic eos ab inſurgentibus in ipſos rancoribus ſalutari ſubſidio præſervavit, quod nec ipſos fluctus tempeſtuoſos alliſit, nec animos in ordine ipſo degentium conſtravit: quin potius in vigore regulari concreſcant: & amplientur in ſuorum obſervantia mandatorum. Veruntamen, ut ordo prædictus (quibuslibet præciſis anfractibus) diſtincta & pura vigeat claritate, & ſicut fratres ejuſdem ordinis nuper in generali Capitulo congregati providerant, dilectis filiis generali & nonnullis aliis provincialibus ejuſdem ordinis miniſtris, qui in Capitulo ipſo convenerant, in noſtra præſentia conſtitutis, cum ad plenam obſervationem regulæ ejuſdem in vigore ſpiritus eorum fervere noſcatur intentio: Viſum eſt nobis (ut mordacibus hujuſmodi mordendi vias præcluderemus) aliqua, quæ in ipſa regula videri poterant dubia, declarare, nonnulla per prædeceſſores noſtros etiam declarata, pleniori claritate diſſerere: in aliquibus etiam regulam ipſam contingentibus puritati eorundem conſcientiæ providere. Nos autem, qui a teneris annis ad ordinem ipſum affectus noſtros *b* ereximus, in illis ſuccedendo, cum aliquibus ejuſdem confeſſoris ſociis, quibus ejus vita & converſatio nota erat, ſuper ipſa regula & ſancta ipſius beati Franciſci intentione frequenti collatione tractavimus. Et tandem Cardinalis, ac poſtmodum ejuſdem ordinis per prædictam ſedem gubernator & protector, & corrector effecti, conditiones prædicti ordinis ex imminenti nobis cura palpavimus in Apoſtolatus officio: tam de pia intentione confeſſoris prædicti, quam de his, quæ regulam ipſam & ejus obſervantiam contingunt: ex prædictis longa etiam experientia informati, noſtros ad ordinem præfatum convertimus cogitatus. Et tam ea, quæ per eoſdem prædeceſſores approbata & declarata eſſe noſcuntur, quam etiam ipſam regulam & eam contingentia, maturitate plena diſcuſſimus. Nonnulla in præſenti ſerie ſtatuimus, declaravimus, certius approbavimus, approbata confirmavimus, edidimus, & conceſſimus, plura etiam ordinando ſerioſius & clarius, quæ infra ſcriptis articulis plenius exprimuntur. In primis, quia (ſicut intelleximus) ab aliquibus hæſitatur, an fratres ejuſdem ordinis tam ad conſilia, quam ad præcepta Evangelii teneantur: tum quia in regulæ prædictæ principio habetur: Regula & vita Minorum fratrum hæc eſt: ſcilicet Domini noſtri Jeſu Chriſti ſanctum Evangelium obſervare, vivendo in obedientia, ſine proprio, & in caſtitate: tum ex eo, quod in eadem regula continetur ſic: Finito vero anno probationis recipiantur ad obedientiam, promittentes vitam iſtam ſemper & regulam obſervare: tum etiam, quia in fine ipſius regulæ continentur hæc verba: paupertatem, & humilitatem, ac ſanctum Evangelium Domini noſtri Jeſu Chriſti, quod firmiter promiſimus, obſervemus.

Licet felicis recordationis Gregorius Papa nonus prædeceſſor noſter hunc articulum & nonnullos alios ejuſdem regulæ declaraverit: quia tamen ejus declaratio propter aliquorum inſurgentium in fratres & regulam inordinatos vel mordaces inſultus, & multorum poſtea emergentium caſuum conſiderandos eventus, in aliquibus obſcura, in aliquibus ſemiplena, & in multis etiam contentis in ipſa regula inſufficiens videtur: Nos obſcuritatem ac inſufficientiam hujuſmodi, præfatæ interpretationis declaratione amovere volentes, & cujuslibet ambiguitatis ſcrupulum in eiſdem de ſingulorum mentibus plenioris expoſitionis certitudine amputare.

Dicimus, quod cum in principio regulæ non abſolute, ſed cum quadam modificatione, ſeu ſpecificatione ponatur: Regula & vita Minorum fratrum hæc eſt: ſcilicet Domini noſtri Jeſu Chriſti ſanctum Evangelium obſervare, vivendo in obedientia, ſine proprio, & in caſtitate: quæ tria eadem regula multum arcte proſequitur, & nihilominus alia nonnulla ſubnectit, præcipiendo, prohibendo, conſulendo, monendo, hortando, & ſub aliis verbis, ad aliquem modorum reducibilibus prædictorum: de intentione regulæ liquere valeat apertius: ut illud, quod in profeſſione quaſi abſolute ſubnecti videtur, promittentes vitam iſtam ſemper & regulam obſervare, & quod in fine ſubjungitur, & ſanctum Evangelium Domini noſtri Jeſu Chriſti, quod firmiter promiſimus, obſervemus, totum ad ipſius regulæ modificatum, vel determinatum, ſeu ſpecificatum, principium reducatur: videlicet ad obſervantiam Evangelii (ut prædicitur) per ipſam regulam in illis tribus modificatam, vel determinatam, ſeu ſpecificatam. Cum non ſit veriſimile ipſum ſanctum verbum ab ipſo ſemel cum quadam modificatione, vel determinatione, ſeu ſpecificatione prolatum, licet quaſi ſuccinctorie repetitum, voluiſſe in ſui repetitione data ſibi per eum modificatione ſeu ſpecificatione ſine certa cauſa carere. Et utriuſque juris argumenta nos doceant *a*, ea quæ in principio ad medium & ad finem, illa vero quæ in medio, ad finem atque principium: & ea quæ in fine, ad utrunque vel eorum alterum ſæpe referri. Et dato, quod abſolute diceretur, omnino promitto ſanctum Evangelium obſervare: non *b* profeſſor hujuſmodi intenderet ſe ad omnem conſiliorum obſervantiam obligare: (quod vix aut nunquam poſſet ad literam obſervare: propter quod talis promiſſio illaqueare profitentis animum videretur;) Clare videtur promiſſionem hujuſmodi ad alium intellectum abſque intentione promittentis non debere perſtringi: niſi ut obſervantia Evangelii ſic, ſicut tradita reperitur a Chriſto, videlicet quod præcepta ut præcepta, & conſilia ut conſilia, a promittentibus obſerventur. Quem intellectum etiam in eiſdem verbis habuiſſe idem beatus Franciſcus in ſerie ſui proceſſus in regula patenter oſtendit: cum aliqua Evangelica conſilia indicat, ut conſilia, ſub verbis monitionis, exhortationis & conſilii, nonnulla vero ſub prohibitione ac verbo præcepti: per quod patet, quod non fuit loquentis intentio *c*, quod fratres ex profeſſione hujuſmodi regulæ ad omnia conſilia, ſicut ad præcepta Evangelica tenerentur: ſed ſolum ad illa conſilia, quæ in eadem regula præceptorie vel inhibitorie, ſeu ſub verbis æquipollentibus ſunt expreſſa. Unde nos ad fratrum ejuſdem ordinis conſcientias plenarie ſerenandas declaramus, quod ex profeſſione ejuſdem regulæ, fratres ipſi ad ea tantum Evangelica obſervanda conſilia ſunt adſtricti, quæ in ipſa regula præceptorie vel inhibitorie, ſeu ſub verbis æquipollentibus exprimuntur. Ad nonnulla vero alia per Evangelium data conſilia eo magis, ſecundum exigentiam

a *Quos ponit Ant. circa finem tertiæ part. ſuæ chronic.* b *Idem dicit Joann. 22. in extravag. quorundam verſ. nunc vero. poſt princ. Font.*

a *Quæ vide in gloſſ. rubr. infra eod. de reg. jur. tit. prox. Font.* b *alit. cum profeſſor, &* c. c *Ecce ex verbis. colligitur intentio. cont.*

gentiam ſui ſtatus, tenentur, plus quam cæteri Chriſtiani, quo per ſtatum perfectionis, quem per profeſſionem hujuſmodi aſſumpſerunt, ſe obtulerint Domino holocauſtum medullatum, per contemptum omnium mundanorum. Ad omnia autem, quæ in ipſa regula continentur, tam præcepta quam conſilia, quam cætera, ex voto profeſſionis hujuſmodi non aliter tenentur, quam eo modo, quo in regula ipſa traduntur: ut ſcilicet teneantur ad eorum [a] obſervantiam, quæ in eadem regula ipſis ſub verbis obligatoriis indicuntur. Cæterorum vero obſervantiam, quæ ſub verbis monitoriis, exhortatoriis, informatoriis, & inſtructoriis, ſeu quibuſcunque aliis continentur: eatenus magis condecet de bono & æquo eos proſequi, quo imitatores tanti patris effecti Chriſti ſemitas elegerunt. Porro cum ipſa regula expreſſe contineat, quod fratres nihil ſibi approprient, nec domum, nec locum, nec aliquam rem: ſitque declaratum per eundem prædeceſſorem noſtrum Gregorium nonum, & nonnullos alios, hoc ſervare debere, tam in ſpeciali, quam etiam in communi: quam ſic arctam abdicationem venenoſis obtrectationibus aliquorum inſenſata damnaverit aſtutia, ne fratrum eorundem perfectionis claritas in talium imperitis ſermonibus laceretur: dicimus quod abdicatio proprietatis hujuſmodi omnium rerum non tam in ſpeciali, quam etiam in communi propter Deum meritoria eſt & ſancta: quam & Chriſtus viam perfectionis oſtendens, verbo [d] docuit & exemplo firmavit: quamque primi fundatores militantis Eccleſiæ, prout ab ipſo fonte hauſerant, volentes perfecte vivere, per doctrinæ ac vitæ exempla in eos derivarunt. Nec his quiſquam putet obſiſtere, quod interdum dicitur Chriſtum loculos habuiſſe: nam ſic Jeſus Chriſtus cujus perfecta ſunt opera, in ſuis actibus viam perfectionis exercuit, quod interdum infirmorum imperfectionibus condeſcendens, & viam perfectionis extolleret, & imperfectorum infirmas ſemitas non damnaret: ſic infirmorum perſonam, Chriſtus ſuſcepit in loculis: ſic & in nonnullis aliis infirma humanæ carnis aſſumens (prout Evangelica teſtatur hiſtoria) non tantum carne, ſed mente condeſcendit infirmis. Sic enim humanam naturam aſſumpſit, quod in ſuis operibus perfectus exiſtens, in noſtris factus humilis, in propriis permanſit excelſus. Sic & ſummæ charitatis dignatione ad actus quoſdam noſtræ imperfectioni conformes inducitur, quod a ſummæ perfectionis rectitudine non curvatur. Egit namque Chriſtus & docuit opera perfectionis. Egit etiam infirma, ſicut interdum & in fuga patet & loculis: ſed utrumque perfecte perfectus exiſtens, ut perfectis & imperfectis ſe viam ſalutis oſtenderet, qui utroſque ſalvare venerat: qui tandem mori voluit pro utriſque. Nec quicquam ex his inſurgat erronee, quod taliter propter Deum proprietatem omnium abdicantes, tanquam homicidæ ſui, vel tentatores Dei, vivendi diſcrimini ſe committant: ſic enim ſeipſos committunt divinæ providentiæ in vivendo, ut viam non contemnant proviſionis humanæ: quin vel de iis, quæ offeruntur liberaliter, vel de iis, quæ mendicantur humiliter, vel de iis, quæ conquiruntur per laboricium, ſuſtententur: qui triplex vivendi modus in regula providetur expreſſe. Profecto ſi (juxta promiſſum Salvatoris) nunquam deficiet fides Eccleſiæ, per conſequens nec opera miſericordiæ ſubtrahentur: ex quo Chriſti pauperibus omnis ratio diffidentiæ cujuslibet videtur eſſe ſublata. Et quidem ubi (quod non eſt aliquatenus præſumendum) hæc cuncta deficerent, ſicut nec cæteris, ſic nec ipſis fratribus, jure poli, in extremæ neceſſitatis articulo, ad providendum ſuſtentationi naturæ, via omnibus extrema neceſſitate detentis conceſſa præcluditur: cum ab omni lege extrema [a] neceſſitas ſit exempta: nec talem abdicationem proprietatis omnimodæ, renuntiationem uſus rerum cuiquam videatur inducere: nam cum in rebus temporalibus ſit conſiderare præcipuum, proprietatem, poſſeſſionem, uſumfructum, jus utendi, & ſimplicem facti uſum, & ultimo tanquam neceſſario egeat, licet primis carere poſſit vita mortalium: nulla prorſus poteſt eſſe profeſſio, quæ a ſe uſum neceſſariæ ſuſtentationis excludat: verum condecens fuit ei profeſſioni, quæ ſponte devovit Chriſtum pauperem in tanta paupertate ſectari, omnium abdicare dominium & rerum ſibi conceſſarum neceſſario uſu fore contentam. Nec per hoc, quod proprietatem uſus, & rei cujuſque dominium a ſe abdicaſſe videtur, ſimplici uſui omnis rei renunciaſſe convincitur: qui, inquam, uſus non juris, ſed facti tantummodo nomen habens, quod facti eſt tantum, in utendo præbet utentibus, nihil juris: quinimo neceſſariarum rerum, tam ad vitæ ſuſtentationem, quam ad officiorum ſui ſtatus executionem (excepto quod de pecunia infra ſubjungitur moderatus uſus, ſed ſecundum eorum regulam & veritatem omnimodam, conceſſus eſt fratribus: quibus rebus fratres licite uti poſſent durante concedentis licentia, & juxta id, quod in præſenti ſerie continetur. Nec his obviare dignoſcitur, quod civilis providentia in humanis rebus humane conſtituit: videlicet non poſſe uſum vel uſumfructum a dominio perpetuo [b] ſeparari: quod, ne dominium dominis (ſemper abſcedente uſu) redderetur inutile, temporalem utilitatem tantum in conſtituendo proſpiciens iſta decrevit. Retentio namque dominii talium rerum cum conceſſione uſus facta pauperibus, non eſt infructuoſa domino, cum ſit meritoria ad æterna, & profeſſioni pauperum opportuna, quæ tanto ſibi cenſetur utilior, quanto commutat temporalia pro æternis. Profecto non fuit confeſſoris Chriſti regulam inſtituentis intentio: quinimo contrarium in ipſa conſcripſit, contrarium vivendo ſervavit, cum & ipſe temporalibus ad neceſſitatem uſus fuerit, & in pluribus locis in regula uſum talem licere fratribus manifeſtet. Dicit namque in regula, quod Clerici faciant divinum officium, ex quo habere poterunt breviaria: ex hoc patenter inſinuans, quod fratres ſui habituri eſſent uſum breviarii & librorum, qui ſunt ad divinum officium opportuni. In alio quoque Capitulo dicitur, quod miniſtri & cuſtodes pro neceſſitatibus infirmorum, & aliis fratribus induendis, per amicos ſpiritales ſolicitam curam gerant, ſecundum loca & tempora & frigidas regiones, ſicut eorum neceſſitati viderint expedire. Alibi etiam exhortans fratres, per congruum laboris exercitium ad otium evitandum, dicit, quod de mercede laboris pro ſe & ſuis fratribus corporis neceſſaria recipiant. In alio quoque Capitulo continetur, quod fratres vadant pro eleemoſynis confidenter. Habetur [c] etiam in eadem regula, quod in prædicatione, quam fratres faciunt, ſint examinata & caſta eorum eloquia ad utilitatem & ædificationem populi: annunciando eis vitia & virtutes, pœnam & gloriam. Sed conſtans eſt, quod hæc præſupponunt ſcientiam: ſcientia requirit ſtudium: exercitium vero ſtudii convenienter haberi non poteſt, ſine uſu librorum [d]. Ex quibus omnibus

a *Verba obligatoria ſunt: teneantur, habeant, & alia declarata in Clem. exivi. §. ut autem hæc. §. præterea eum. Font.* b *Extravagant. Joan. 22. quia quorundam declarat hæreticum aſſerere, quod Chriſtus nec in ſpeciali, nec in communi proprium habuerit. Font.*

a *De conſec. diſt. 1. ſicut & infr. eod. diſt. 4. c. ſanctum. c. quod non eſt. cum gl. de reg. jur. Font.* b *Vid. l. omnium. ff. de uſufr. l. antiquas. C. eod. Fonte* c *Vid. Conc. Trid. ſeſſ. 5. de reform. c. 2.* d *Libri ſunt ad ſcientiam neceſſarii. vide Oldrad. conſ. 84. incip. an expediat habere multos libros.*

UNED

omnibus ſatis claret ex regula, ad victum, veſtitum, divinum cultum & ſapientiale ſtudium, neceſſarium rerum uſum fratribus eſſe conceſſum. Patet itaque ſane intelligentibus ex prædictis, regulam quoad abdicationem hujuſmodi, non ſolum obſervabilem, poſſibilem & licitam, ſed meritoriam & perfectam: & eo magis meritoriam, quo per ipſam profeſſores ipſius magis a temporalibus propter Deum (ſicut prædicitur) elongantur. Ad hæc cum fratres ipſi nihil ſibi in ſpeciali acquirere; vel eorum ordini poſſint etiam in communi, & cum aliquid propter Deum ipſis offertur, conceditur, vel donatur, ea (ſi ſecus non exprimat) offerentis, concedentis, vel donantis. veriſimiliter credatur intentio, ut rem hujuſmodi oblatam, conceſſam, vel donatam perfecte concedat, donec auferat, a ſe abdicet, ac in alios transferre cupiat propter Deum, nec ſit perſona, in quam loco Dei congruentius hujuſmodi rei dominium transferat, quam ſedes præfata vel perſona Rom. Pontificis Chriſti Vicarii, qui pater eſt omnium, & fratrum Minorum nihilominus ſpecialis. Ne talium rerum ſub incerto videatur eſſe dominium, cum patri filius ſuo modo, ſervus domino, & monachus monaſterio res ſibi oblatas, conceſſas vel donatas acquirant, omnium utenſilium & librorum, ac eorum mobilium præſentium & futurorum, quæ & quorum uſumfructum ſcilicet ordinibus vel fratribus ipſis licet habere, proprietatem & dominium [a] (quod & fel. record. Innoc. Papa IV. prædec. noſter feciſſe dignoſcitur) in nos & Romanam Eccleſiam plene & libere pertinere hac præſenti conſtitutione in perpetuum valitura ſancimus. Præterea loca empta de eleemoſynis diverſis, & oblata ſeu conceſſa fratribus, ſub quacunque forma verborum (licet fratres ſibi cavere debeant, quod hujuſmodi verbis ſtatui ſuo incompetentibus non utantur) a diverſis ſeu pro indiviſo poſſidentibus, ſeu certas partes in ipſis locis habentibus, in quibus ipſi poſſidentes pro indiviſo, ſeu certas partes habentes, nihil ſibi in oblatione ſeu conceſſione hujuſmodi reſervarint: ſimiliter & in jus & dominium ac proprietatem noſtram & Eccleſiæ prædictæ eadem auctoritate ſuſcipimus. Loca vero ſeu domos pro habitatione fratrum a ſingulari perſona, vel collegio, vel ipſis fratribus ex integro concedenda ſeu etiam offerenda (ſi talia de voluntate conferentis fratres inhabitare contigerit) perſeverante tantum voluntate concedentis inhabitent. Ac illa libere, præter Eccleſiam & oratoria ad Eccleſiam deſtinata, & cœmeterium (quæ tam ad præſentia, quam ad futura, in jus & proprietatem noſtram & prædictæ Romanæ Eccleſiæ ſimili modo & auctoritate recipimus) mutata concedentis voluntate, ac ipſis fratribus patefacta dimittant: in quorum locorum dominio ſeu proprietate nihil nobis vel præfatæ Romanæ Eccleſiæ retinemus omnino, niſi ea ſpecialiter de noſtro ſeu ipſius Romanæ Eccleſiæ recipiantur aſſenſu: & ſi in eiſdem locis reſervaverit dominium ſibi in concedendo concedens, præter inhabitationem fratrum ſpeciale [b] dominium in jus Eccleſiæ ſæpedictæ non tranſeat, ſed potius plene liberum maneat concedenti. Inſuper nec utenſilia, nec alia præter eorum uſum ad neceſſitatem & officiorum ſui ſtatus executionem (non enim omnium rerum uſum habere debent, ut dictum eſt) ad ullam ſuperfluitatem, divitias, ſeu copiam, quæ deroget paupertati, vel ad theſaurizationem, vel eo animo, ut ea diſtrahant ſive vendant, recipiant, nec ſub colore providentiæ in futurum, nec alia occaſione: quinimo in omnibus appareat in eis, quoad dominium omnimoda abdicatio, & in uſu neceſſitas. Hoc autem ſecundum exigentiam perſonarum & locorum, miniſtri, & cuſtodes ſimul & ſeparatim in ſuis adminiſtrationibus & cuſtodiis cum diſcretione diſponant: cum de talibus interdum perſonarum qualitas, temporum varietas, locorum conditio, & nonnullæ aliæ circumſtantiæ plus minuſve, ac aliter provideri requirant: iſta tamen ſic faciant, quod ſemper in eis & eorum actibus paupertas ſancta reluceat, prout ipſis ex eorum regula invenitur indicta. Cæterum cum in eadem regula ſit ſuper præcepti diſtrictione prohibitum, ne fratres recipiant per ſe, vel per alios denarios vel pecuniam ullo modo: idque fratres in perpetuum ſervare cupiant, & velut injunctum neceſſe habeant adimplere: ne ipſorum puritas in hujuſmodi obſervatione præcepti maculetur in aliquo, & ne fratrum conſcientiæ aliquibus aculeis ſtimulentur: articulum iſtum propter detrahentium morſus profundius, quam noſtri prædeceſſores fecerint, aſſumentes, ac ipſum clarioribus determinationibus proſequentes, dicimus in primis, quod fratres ipſi a mutuis contrahendis abſtineant, cum eis mutuum contrahere (ipſorum ſtatu conſiderato) non liceat [a]: poſſint tamen ipſi pro ſatisfactione facienda, pro eorum neceſſitatibus, quæ pro tempore occurrerint (ceſſantibus eleemoſynis, de quibus ſatisfieri commode tunc non poſſet) citra cujuslibet obligationis vinculum dicere, quod per eleemoſynas & alios amicos fratrum ad ſolutionem hujuſmodi faciendam intendant fideliter laborare. Quo caſu procuretur a fratribus, quod ille, qui dabit eleemoſynam, per ſe vel per alium, non nominandum ab ipſis, ſi fieri poterit, ſed ab eo prius juxta ſuum beneplacitum aſſumendum, hujuſmodi ſatisfactione faciat in totum vel in partem, prout ſibi Dominus inſpirabit. Si tamen ipſe hoc nollet facere, vel non poſſet, vel quia receſſus ejus immineat, aut quia quibus hoc velit committere, notitiam non habet fidelium perſonarum, ſeu quacunque alia occaſione vel cauſa: declaramus & dicimus, quod in nullo regulæ puritas infringitur, aut quomodolibet ipſius obſervantia maculatur; ſi fratres ipſi alicujus vel aliquorum ſibi curent dare notitiam, vel aliquos ſeu aliquem nominare, aut etiam præſentare: cui vel quibus, ſi eleemoſynam facienti placuit, committi poſſit executio prædictorum, ac ipſius habeatur aſſenſus ſuper ſubrogationibus infraſcriptis. Ita tamen, quod penes ipſum dantem, dominio, proprietate, ac poſſeſſione ipſius pecuniæ cum libera poteſtate revocandi ſibi pecuniam ipſam ſemper uſque ad converſionem ipſius in rem deputatam, plene, libere, ac integre remanentibus, in ipſa pecunia nihil omnino fratres juris habeant, nec adminiſtrationem, ſeu diſpenſationem, nec contra perſonam nominatam, vel non nominatam ab eis, cujuſcunque conditionis exiſtat, in judicio, vel extra, actionem, perſecutionem aut aliquod aliud jus intentent, qualitercunque perſona prædicta in commiſſione hujuſmodi ſe habeat: liceat tamen fratribus ſuas neceſſitates inſinuare, ac ſpecificare, vel exponere perſonæ prædictæ, ac eam rogare, quod ſolvat [b] Poſſint etiam perſonam eandem exhortari ac inducere, quod fideliter in re commiſſa ſe habeat, & animæ ſuæ ſaluti in commiſſa ſibi executione provideat: Ita tamen, quod ab omni ejuſdem pecuniæ adminiſtratione, ſeu diſpenſatione, & contra prædictam perſonam actione ſeu perſecutione (ut prædictum eſt) fratres abſtineant omnimodo. Si vero perſonam hujuſmodi nominatam, vel non nominatam a fratribus (quo minus per ſe poſſit exequi, quod prædicitur) contigerit per abſentiam, infirmitatem, voluntatem,

---

a *De hoc dominio vide extravag. Joan. 22. incip. ad conditorem canonum. tit. de verb. ſignif. & extravag. quorundam. eod. tit.* b *al. tale.*

a *Quia tibi de meo fit tuum, quod pronomen fratri Minori non convenit: & hanc proviſionem circa pecuniam approbat Clemen. exivi. ibi videas §. porro uſque ad §. proinde. Font.* b *Quid de hæredibus talis perſonæ, vide infra eod. §. in eo vero caſu Font.*

tem, ſeu locorum diſtantiam, ad quæ ipſe nollet accedere, in quibus eſſet ſolutio ſeu ſatisfactio facienda, vel per occaſionem aliam impediri: liceat fratribus cum conſcientiæ puritate quandam aliam perſonam ſubrogandam ad præmiſſa in nominando & aliis (ſi ad primum dantem non poſſint, vel nolint habere recurſum) cum iſta perſona facere, ſicut ſupra proxime declaravimus eis licere cum prima. Duarum enim perſonarum miniſterium per viam ſubrogationis (ut dictum eſt) communius & generalius videtur poſſe in prædictorum executione ſufficere, cum prædicta ſatisfactio præſumatur poſſe celeriter expediri. Si tamen (ut interdum dictum eſt) propter locorum diſtantiam, in quibus eſſet ſatisfactio facienda, & conditiones ſeu circumſtantias alias, caſus emergeret, in quo videretur plurium perſonarum ſubrogandarum miniſterium opportunum: liceat ipſis fratribus in hoc caſu juxta negotii qualitatem (ſervato modo prædicto) plures perſonas aſſumere, nominare, ſeu præſentare ad iſtud miniſterium exequendum. Et quia oportet & expedit fratrum neceſſitatibus, non ſolum illis, pro quibus jam eſſet ſolutio ſeu ſatisfactio facienda (ut ſuperius proxime dictum eſt) ſed etiam imminentibus, ſive tales neceſſitates ingruentes immineant, quæ brevi tempore expediri valeant, ſive tales (licet paucæ comparative) quarum proviſio ex ſui conditione neceſſario tractum *a* temporis habet: ut in libris ſcribendis, Eccleſiis ſeu ædificiis ad uſum habitationis ipſorum conſtruendis, libris & pannis in locis remotis emendis, & aliis ſimilibus, ſi quæ occurrerint, cum moderamine ſupradicto ſalubriter provideri: Sic in iſtis neceſſitatibus clare diſtinguimus, ſic in eis fratres poſſe tute & ſalva conſcientia procedere declaramus: videlicet ut ingruenti vel imminenti neceſſitate, quæ brevi tempore, vel quæ interdum ex aliquibus circumſtantiis non ſic brevi (ut ſupra in proximo caſu dictum eſt) valeat expediri: tam quoad dantem eleemoſynam, quam quoad nominatum vel ſubſtitutum, in omnibus & per omnia (ſicut in articulo ſolutionis pro neceſſitatibus præteritis faciendæ ſupra proxime declaravimus) procedatur. In ea vero neceſſitate quantumcunque præſentialiter ingruenti, quæ tamen ex qualitate ſui (ut prædicitur) tractum temporis habet innexum *b*, quia in eo caſu veriſimile eſt, quod tum ratione diſtantiæ locorum, quæ expeditio neceſſitatis ipſius ex ſui conditione requireret; tum etiam circumſtantiarum ipſius neceſſitatis ratione penſata frequenter caſus acciderent, in quibus ad expeditionem neceſſitatis hujuſmodi oporteret, quod per diverſas manus & perſonas tranſiret pecunia neceſſitati hujuſmodi deputata: quarum omnium perſonarum impoſſibile quaſi eſſet dominum principalem pro ipſa neceſſitate pecuniam deputantem, ſeu etiam ſubſtitutum ab eo, & tertium etiam ab ipſo ſubſtituto (ſi caſus talis accideret) poſtea ſubrogatum, habere notitiam: declaramus, & dicimus, quod in hoc articulo, præter dictos duos modos in neceſſitatibus præteritis & ingruentibus, quæ poſſint brevi tempore, vel interdum non brevi (ut ſupra exprimitur) expediri (ut prædiximus) obſervandos, ad obſervandam ipſius regulæ ac profeſſorum ejus omnimodam puritatem. Quod ſi præſto ſit eleemoſynæ hujuſmodi elargitor, vel ejus nuntius, qui poſſit hoc facere & velit: expreſſe illi prædicatur a fratribus, quod ſibi placeat ut (dominio talis pecuniæ cum libera poteſtate revocandi ſibi pecuniam ipſam, penes ipſum ſemper uſque ad converſionem ipſius in rem deputatam libere remanente, ut in aliis duobus caſibus ſuperius dictum eſt) per quorumcunque manus pecunia ſeu eleemoſyna ipſa tractetur, ſive perſonas ab eo vel a fratribus nominatas, totum ſuo conſenſu, voluntate ac auctoritate procedat: quo aſſenſum ſuum præbente prædictis, ſecure fratres re empta vel acquiſita de illa pecunia, per quemcunque (juxta modum annotatum ſuperius) uti poſſint. Ad majorem autem prædictorum omnium claritatem hac in perpetuum valitura proviſionis ſerie declaramus, quod fratres (præfatis modis, ut prædicitur, circa pecuniam in ſupportandis eorum præteritis & ingruentibus neceſſitatibus obſervatis) non intelligantur, nec dici poſſint per ſe vel per interpoſitam perſonam pecuniam recipere, contra regulam vel profeſſionis ſui ordinis puritatem: cum manifeſte pateat ex præmiſſis, ipſos fratres non ſolum a receptione, proprietate, dominio, ſive uſu ipſius pecuniæ, verum etiam a contrectatione qualibet ipſius, & ab ea pecunia penitus alienos. In eo vero caſu quando antequam ipſa pecunia in licitum rei habendæ vel utendæ commercium ſit converſa) concedentem pecuniam mori contigerit: ſi concedens in concedendo dixerit vel expreſſerit, quod perſona deputata pecuniam ipſam in neceſſarium uſum fratrum expenderet, quicquid de ipſo concedente vivendo vel moriendo contingeret, ſive concedens hujuſmodi hæredem reliquerit, ſive non poſſint fratres ad perſonam deputatam (non obſtante concedentis morte, vel hæredis contradictione) pro ipſa pecunia expendenda recurrere *a*: ſicut poterant ad ipſum dominum concedentem. Quia vero puritatem ipſius ordinis intima cordis affectione zelamus, cum in prædictis caſibus ad determinatam neceſſitatem (ut prædicitur) per aliquem pecuniam concedi contigerit, concedens pecuniam rogari poſſit a fratribus, quod ſi quid de pecunia ipſa (habita neceſſitate determinata) ſupererit, conſentiat ipſe concedens, quod reſiduum præfatæ pecuniæ in res alias pro aliis ipſorum fratrum prædictis neceſſitatibus, convertatur, quo non conſentiente prædictis, ipſum reſiduum (ſi quod fuerit) reſtituatur eidem. Caveant tamen fratres, quod ſolicite ſe coaptent, ut non plus ſcienter concedi conſentiant, quam veriſimiliter æſtimari poſſit, rem neceſſariam, pro qua pecunia ipſa conceditur, valituram.

Et quia *b* prædictorum ſerioſa expoſitione a dante vel recipiente de facili poſſit errari: ut clarius utilitati dantium, puritati ordinis, ſimplicitati aliquorum ſimplicium, ſaluti animarum hinc inde ſecurius conſulatur; intellectum illum, qui ſatis in hoc caſu a ſane intelligente percipitur, præſentis ac in æternum valituræ conſtitutionis ſerie lucidamus, volentes illum ad communem deduci notitiam: videlicet quod ſemper quando pecunia fratribus ipſis mittitur vel offertur (niſi expreſſe per mittentem vel offerentem aliud exprimatur) prædictis modis prorſus obligat intelligatur & miſſa.

Non enim veriſimile eſt, aliquem eleemoſynæ ſuæ ſine expreſſione modum illum præfigere, per quem & donans merito, vel illi *c*, quorum neceſſitatibus intendit per donum hujuſmodi provideri *d*, vel effectu doni, vel ſuæ conſcientiæ puritate fraudentur. Ad hæc quia fratribus ipſis interdum in ultimis voluntatibus ſub diverſis modis nonnulla legantur, nec expreſſe, quid de his agendum ſit, in regula vel prædeceſſorum noſtrorum declarationibus continetur: ne in ipſis dubitari contingat in poſterum, providendo legantibus, & fratrum conſcientiis præcavendo, declaramus, ordinamus, & dicimus, quod ſi teſtator modum, ſecundum quem fratribus (eorum conditione inſpecta) recipere non liceret, exprimat in legando: ut ſi legaret fratribus vineam vel agrum ad excolendum, domum ad locandum, vel ſimilia verba in ſimilibus proferret, aut modos ſimiles in relinquendo ſervaret: a tali legato & ejus receptione per omnem modum fratres abſtineant.

Si

a *al. tractu.* b *al. annexum.*

a *Obſervatis modo & forma.* §. *ita tamen. ſupr. eod. Fon.* b *al. ita: & quia in prædictorum, &c.* c *al. & illi.* d *al. providere.*

UNED

Si vero modum licitum fratribus in legando teſtator expreſſerit: ut ſi diceret, Lego pecuniam pro fratrum neceſſitatibus expendendam, vel domum, agrum, vineam & ſimilia: ad hoc, quod per certam perſonam vel perſonas idoneas diſtrahantur, & pecunia de rebus ipſis accepta in ædificia vel alia fratrum neceſſaria convertatur: aut in legando ſimilibus modis vel verbis utatur: In hoc caſu illud omnibus & per omnia ( conſideratis eorum neceſſitatibus & moderaminibus ſupradictis ) quantum ad fratres, ſervari decernimus, quod per nos eſt ſuperius in conceſſis pecuniariis eleemoſynis declaratum. Ad quæ legata ſolvenda tam hæredes teſtatorum, quam executores ſe liberales exhibeant. Et etiam Prælati & ſeculares [a], quibus de jure vel conſuetudine proviſio iſta competeret ( cum expedierit ) ſe ex officio ſuo promtos exhibeant, ad pias voluntates deficientium adimplendas.

Nam & nos etiam per modos licitos, & fratrum regulæ congruos intendimus providere, quod hæredum cupiditas legitimis ictibus feriatur: ne pia defunctorum deſtituatur intentio, ac ipſi fratres pauperes opportunis auxiliis non fraudentur. Si vero fratribus ipſis generaliter aliquid abſque modi expreſſione legetur, in hoc legato ſic indeterminate relicto, in omnibus & per omnia intelligi ac ſervari volumus, & in perpetuum præſenti conſtitutione jubemus, quod ſupra in pecunia ſeu eleemoſyna fratribus indeterminate oblata vel miſſa voluimus ac expreſſimus obſervari: videlicet ut ſub modo licito fratribus intelligatur eſſe relictum: ita quod nec legans merito, nec fratres ipſi effectu relicti fraudentur.

Quia vero libros & alia mobilia, quibus tam ordo quam fratres utuntur, quorum dominium ( cum non ſint dominii aliorum ) ad præfatam Eccleſiam ſpecialiter ſpectare dignoſcitur, interdum contingit ſeu expedit vendi, vel etiam commutari: fratrum utilitatibus & eorum conſcientiis providere volentes, eadem auctoritate concedimus, ut commutatio talium rerum, & ad eas res, quarum uſum fratribus licet habere, de generalium & provincialium miniſtrorum in ſuis adminiſtrationibus conjunctim vel diviſim auctoritate procedat: quibus etiam de diſpoſitione uſus talium rerum concedimus ordinare. Si vero res hujuſmodi æſtimato pretio vendi contingat, cum fratribus ipſis per ſe vel per alium recipere pecuniam ( regula prohibente ) non liceat: ordinamus & volumus, quod talis pecunia ſeu pretium recipiatur & expendatur in rem licitam, cujus uſum fratribus licet habere, per procuratorem a præfata ſede, vel a Cardinali gubernationem per ipſam ſedem gerenti ejuſdem ordinis deputandum, juxta modum in ſuperioribus neceſſitatibus præteritis & ingruentibus ordinatum. De vilibus autem mobilibus, vel parum valentibus, liceat ex præſenti noſtra conceſſione fratribus ( pietatis ſeu devotionis intuitu, vel pro alia honeſta & rationabili cauſa ) obtenta ſuper hoc prius ſuperiorum ſuorum licentia, juxta quod inter fratres in generali, vel in provincialibus Capitulis, tam de ipſis rebus vilibus ſeu parum valentibus, & earum valore, quam præfata licentia, ſcilicet, a quibus & qualiter ſit habenda, extiterit ordinatum, intra & extra ordinem aliis elargiri [b]. Licet autem contineatur in regula, quod fratres habeant unam tunicam cum caputio, & aliam ſine caputio, & videri poſſit illa fuiſſe inſtituentis intentio, quod neceſſitate ceſſante pluribus non utantur: declaramus, quod poſſint fratres de licentia miniſtrorum & cuſtodum conjunctim & diviſim in adminiſtrationibus ſibi commiſſis, cum eis videbitur ( penſatis neceſſitatibus & aliis circumſtantiis, quæ ſecundum Deum & regulam attendendæ videntur ) uti pluribus, nec per hoc videantur a regula deviare: cum etiam in ipſa dicatur expreſſe, quod miniſtri & cuſtodes de infirmorum neceſſitatibus, & fratribus induendis ſolicitam curam gerant, ſecundum loca & tempora, & frigidas regiones. Et quanquam prædicta regula contineat, quod de fratribus induendis & neceſſitatibus infirmorum miniſtri tantum & cuſtodes ſolicitam curam gerant: & dictio illa tantum [a], adeo miniſtros & cuſtodes in hac cura perſtringere videatur, quod ab ea cæteros prima facie excludat: quia tamen ſolicite conſiderare nos convenit, & tempus regulæ inſtitutæ, quo fratres iſti ad comparationem præſentem numero pauci erant, & forſan miniſtri & cuſtodes videbantur tunc ad iſta procuranda poſſe ſufficere, ac nihilominus multiplicationes fratrum, & moderni temporis qualitatem: nec ſit veriſimile beatum Franciſcum inſtitutorem regulæ vel ipſis miniſtris & cuſtodibus impoſſibilitatis jugum voluiſſe præfigere, vel ex ipſius impoſſibilitatis conſequentia fratres ipſos ſuis neceſſitatibus velle carere: concedimus, quod ipſi miniſtri & cuſtodes poſſint per alios hujuſmodi curæ ſolicitudinem exercere. Debent etiam & alii fratres curam hujuſmodi, quæ præfatis miniſtris & cuſtodibus præcipue incumbit ex hac regula, cum ſibi ab illis commiſſa fuerit, gerere diligenter. Continetur quoque in regula, quod fratres, quibus gratiam dedit Dominus laborandi, laborent fideliter & devote: Ita quod ( excluſo otio animæ inimico ) ſanctæ orationis & devotionis ſpiritum non extinguant, Quia vero ex verbo iſto fratres ipſos de otioſitate vitæ, & de regulæ tranſgreſſione improbe notare interdum hactenus aliqui ſunt conati: nos morſus hujuſmodi nefarios reprimentes, declaramus, quod conſideratis verbis prædictis, & forma ſeu modo loquendi, ſub quibus fratres ed hujuſmodi exercitium inducuntur, non videtur ea fuiſſe inſtituentis intentio, quod vacantes ſtudio vel divinis officiis & miniſteriis exequendis, manuali labori ſeu operationi ſubjiceret, vel ad hoc illos arctaret: Cum exemplo Chriſti & multorum ſanctorum Patrum, labor ille ſpiritualis tanto illi præponderet, quanto quæ ſunt animæ, corporalibus præferuntur. Ad alios vero, qui ſe in prædictis ſpiritualibus operibus non exercent [b], niſi tales aliorum fratrum licitis ſervitiis occupentur ( ne otioſe vivant ) verba prædicta declaramus extendi: Niſi & tales tam excellentias & notabilis contemplationis & orationis exiſterent, quod merito propter hoc non eſſent a tanto bono pro hujuſmodi exercitio ſubtrahendi: fratres enim quicunque ſtudio vel divini miniſteriis non vacantes, ſed aliorum fratrum ſtudio vel aliis divinis officiis & miniſteriis vacantium ſervitiis inhærentes tantum, pro ſervitiis eiſdem cum ipſis, quibus ſerviunt, ſuſtentari merentur, quod aſtruitur illa æqua lege, qua ſtrenuus pugnator ille [c] David juſte decrevit, videlicet, quod deſcendentium ad prælium, & remanentium ad ſarcinas, portio æquaretur. Verum quia expreſſe continetur in regula, quod fratres non prædicent [d] in Epiſcopatu alicujus Epiſcopi, cum ab eo illis fuerit contradictum: nos in hoc & deferentes regulæ, & nihilominus auctoritatem Apoſtolicæ plenitudinis conſervantes, dicimus, quod prædictum verbum ad literam, ſicut regula ipſa protulit, obſervetur: niſi per ſedem Apoſt circa hoc pro utilitate populi Chriſtiani ſit conceſſum, vel ordinatum aliud, vel in poſterum concedatur, ſeu etiam ordi-

---

a *Nota, quod Judex ſecularis interponit ſe circa legata pia. Font.* b *Vide Clem. exivi. §. præterea. & extravag. quorundam. §. in primis. Font.*

a *Nota quod conſtitutio ex ratione ſupervenienti ampliatur.* b *hoc eſt, non concionantur ad plebem, non pſallunt, non legunt. Font.* c *1. Lib. Reg. c. 30.* d *Vide omnino Conc. Trid. ſeſſ. 5. de reform. c. 2. & ſeſſ. 24. de reform. c. 4.*

ordinetur *a*. Et quia in eodem capitulo regulæ immediate ſubjungitur, quod nullus fratrum populo penitus audeat prædicare, niſi a miniſtro generali fuerit examinatus, & etiam approbatus, ac ab eo prædicationis officium ſibi ſit conceſſum: Nos & ſtatum præteritum ipſius ordinis in paucitate ſui, & modernum in ampliato fratrum numero, ac utilitatem animarum (ut condecet) advertentes, concedimus, nedum Generalem examinare & approbare fratres prædicaturos in populis, ac illis concedere licentiam prædicandi, quatenus perſonæ idoneitatem & prædicationis officium licentia ipſa reſpiceret, prout in regula continetur: verum etiam provinciales miniſtri hoc poſſint in Capitulis provincialibus cum definitoribus, quod etiam hodie obſervari dicitur, & in fratrum privilegiis contineri: quam quidem licentiam præfati miniſtri revocare & ſuſpendere valeant & arctare, ſicut & quando id eis videbitur expedire. Sed quoniam in deſideriis noſtris hoc geritur, ut ad Dei gloriam ſalus proficiat animarum: ac dicto ordini, per quem jugiter ad amorem divinum affectio Chriſtianæ religionis accenditur, meritum & numerus augeatur, concedimus & præſenti ſtatuto firmamus, licere non ſolum Generali, ſed etiam provincialibus miniſtris perſonas fugientes a ſeculo in fratres recipere, quæ miniſtrorum provincialium licentia per ipſum Generalem (ſicut expedire viderit) poſſit arctari. Vicarii vero provincialium miniſtrorum ex officio vicariæ licentiam hanc ſibi noverint interdictam, niſi per miniſtros eoſdem (quibus hoc poſſe committere Vicariis & aliis licere decernimus) hoc ipſis Vicariis ſpecialiter committatur. Caveant tamen ipſi Provinciales, quod hoc non indiſcrete, non paſſim, ſed ſic conſiderate committant, ut illos, quibus hoc committi contigerit, fidelibus conſiliis fulciant, quo omnia diſcrete procedant. Nec indifferenter omnes admittantur ad ordinem, ſed illi tantum, qui ſuffragantibus eis literatura, idoneitate, vel aliis circumſtantiis poſſint utiles eſſe ordini, ſibique per vitæ meritum, ac aliis proficere per exemplum. Inſuper dubitantibus fratribus prædicti ordinis, an pro eo, quod in regula dicitur, ut decedente Generali miniſtro, a provincialibus miniſtris & cuſtodibus in capitulo Pentecoſtes fiat electio ſucceſſoris, omnium cuſtodum multitudinem oporteat ad generale Capitulum convenire: aut (ut omnia cum majore tranquillitate tractentur) ſufficere poſſit, ut aliqui de ſingulis provinciis, qui vocem habeant aliorum, interſint: Taliter reſpondemus, ut ſcilicet ſingularum provinciarum cuſtodes unum ex ſe conſtituant, quem cum ſuo provinciali miniſtro pro ſeipſis ad Capitulum dirigant, voces aut vices ſuas committentes eidem. Quod etiam conſtituerint per ſeipſos, ſtatutum hujuſmodi duximus approbandum. Quod iidem prædeceſſor noſter Gregorius nonus in caſu hujuſmodi dicitur reſpondiſſe. Denique *b* quia continetur in regula ſupradicta, quod fratres non ingrediantur monaſteria Monacharum, præter illos, quibus a ſede prædicta conceſſa fuerit licentia ſpecialis: quanquam hoc de monaſteriis pauperum Monialium incluſarum fratres attentius intelligendum eſſe crediderint: cum eorum ſedes præfata curam habeat ſpecialem, & intellectus hujuſmodi per conſtitutionem quandam tempore regulæ datæ, vivente adhuc B. Franciſco, per provinciales miniſtros fuiſſe credatur in generali Capitulo declaratus: iidem fratres certificari nihilominus poſtulaverunt, an hoc de omnibus generaliter, cum regula nullum excipiat, an de illis ſolum monaſteriis Monialium prædictarum debeat intelligi? Nos utique generaliter id eſſe prohibitum de quarumlibet cœnobiis Monialium reſpondemus: & nomine monaſterii volumus clauſtrum, domos, & officinas interiores intelligi: pro eo, quod ad alia loca ubi homines ſeculares conveniunt, poſſunt fratres illi cauſa prædicationis vel eleemoſynæ petendæ accedere: iis, quibus id a ſuperioribus ſuis pro ſua fuerit maturitate vel idoneitate conceſſum, exceptis, ſeu pro prædictarum monaſteriis incluſarum, ad quæ nulli datur accedendi facultas ſine ſedis ejuſdem licentia ſpeciali: quod etiam ipſum idem prædeceſſor noſter Gregorius IX. in eo caſu dicitur reſpondiſſe. Cæterum ſanctæ memoriæ confeſſor Chriſti Franciſcus mandaſſe dicitur circa ultimum vitæ ſuæ (cujus mandatum, ipſius dicitur teſtamentum) quod verba ipſius regulæ non gloſſentur, & (ut verbis utamur eiſdem) quod ſic, vel ſic intelligi debeat, non dicatur: adjiciens quod fratres nullo modo literas aliquas ab Apoſtolica ſede petant: & alia quædam interſerens, quæ non poſſent ſine multa difficultate ſervari, propter quod fratres hæſitantes, an tenerentur ad obſervantiam teſtamenti prædicti, dubitationem hujuſmodi per eundem prædeceſſorem noſtrum Gregor. IX. petierunt de ipſorum conſcientiis amoveri: qui (ſicut aſſeritur) attendens periculum animarum, & difficultates, quas propter hoc poſſent incurrere, dubietatem de ipſorum conſcientiis amovendo, dixit, fratres ipſos ad ipſius mandati obſervatiam non teneri, quod ſine conſenſu fratrum, & maxime miniſtrorum, quos univerſos tangebat, obligare nequivit, nec ſucceſſorem ſuum quomodolibet obligavit: cum non habeat imperium par in parem. Nos autem circa præſentem articulum nihil duximus innovandum *a*. Ad hoc a nonnullis prædeceſſoribus noſtris Romanis Pontificibus circa declarationem ipſius regulæ, & ipſam regulam contingentia, diverſas literas intelleximus emanaſſe. Sed nec per hoc mordacium prædictorum contra regulam ipſam & fratres quievit inſultus: nec per ipſas literas ſtatui fratrum providere *b* in multis, in quibus de novo vel aliter neceſſario providendum eſſe multorum poſtea caſuum contingentium experientia indicavit. Nos itaque ne literarum hujuſmodi & præſentis conſtitutionis diverſitas vel intellectus adverſitas in prædictorum obſervatione fratrum animos perturbaret: & ut plenius, clarius & certius eorum ſtatui & obſervantiæ prædictæ regulæ conſulatur in omnibus & ſingulis illis articulis, quos conſtitutio ipſa continet, quanquam ipſi vel eorum aliqui contineantur in aliis literis Apoſtolicis ſupradictis: Hanc noſtram conſtitutionem, declarationem, ſeu ordinationem tantum a fratribus ipſis præciſe, ac inviolabiliter decernimus perpetuis temporibus obſervandam. Cum igitur ex prædictis & aliis per nos cum multa maturitate diſcuſſis, regula ipſa licita, ſancta, perfecta, & obſervabilis, nec ulli patens diſcrimini evidenter appareat: illa & omnia ſupraſcripta per nos ſtatuta, ordinata, conceſſa, diſpoſita, decreta, declarata etiam & ſuppleta, de Apoſtolicæ poteſtatis plenitudine approbamus, confirmamus, & volumus exiſtere perpetuæ firmitatis. In virtute obedientiæ diſtricte præcipientes, quod hæc conſtitutio ſicut cæteræ conſtitutiones, vel decretales Epiſtolæ, legatur in ſcholis. Et quia ſub colore liciti nonnulli contra fratres ipſos & regulam in legendo, exponendo, atque gloſſando poſſent dirum virus ſuæ iniquitatis effundere: ac ipſius conſtitutionis intellectum ipſum in diverſas & adverſas ſententias producentes ſuis adinventionibus depravare: & opinionum diverſitas ac diſtortio intellectus multorum pios animos poſſet involvere, & a reſi-

---

a *Nota bene, quod Papa poteſt conſtituere expreſſe contra conſtitutionem alicujus Sancti: etiamſi vita & conſtitut. ſua ſit per alios pontifices approbata. Font.* b *Vide Concil. Trident. ſeſſ. 25. tit. de regularibus & monialibus, capite 1, & extrav. Pii V. incip. & ſi mendicantium.*

a *Vid. hunc §. & §. quia ſub colore. auth. ſi qua mulier. C. de ſacr. Eccl. & Bal. l. non dubium. C. de leg. Font.* b *al. provideatur.*

religionis ingreſſu multorum corda ſubtrahere : talium detrahentium vitanda perverſitas cogit nos viam ipſis ad prædicta præcludere, & certum procedendi modum hanc conſtitutionem legentibus præfinire. Itaque ſub pœna excommunicationis & privationis officii ac beneficii diſtricte præcipimus, ut præſens conſtitutio, cum ipſam legi contigerit, ſicut prolata eſt, ſic fideliter exponatur ad literam: concordantiæ, contrarietates, ſeu diverſæ vel adverſæ opiniones a lectoribus ſeu expoſitoribus nullatenus inducantur. Super ipſa conſtitutione gloſſæ non fiant ( niſi forſan, per quas verbum vel verbi ſenſus, ſeu conſtructio, vel ipſa conſtructio quaſi grammaticaliter ad literam vel intelligibilius exponatur. ) Nec intellectus ipſius per legentem depravetur in aliqud, ſeu diſtorqueatur ad aliud, quam litera ipſa ſonat. Et ne ſecundum prædicta contra detractores hujuſmodi oporteat ulterius laborare, univerſis ac ſingulis cujuſcunque præeminentiæ, conditionis aut ſtatus, diſtricte præcipimus, ne contra prædictam regulam & ſtatum fratrum prædictorum, ſeu contra præmiſſa per nos ſtatuta, ordinata, conceſſa, diſpoſita, decreta, declarata, ſuppleta, approbata, & etiam confirmata, dogmatizent, ſcribant, determinent, prædicent, ſeu prave loquantur publice vel occulte. Sed ſi quid penes aliquem in his ambiguitatis emerſerit, ad culmen prædictæ ſedis Apoſtolicæ deducatur, ut ex auctoritate Apoſtolica ſua in hoc manifeſtetur intentio : cui ſoli conceſſum eſt in his ſtatuta condere, & edita declarare. Gloſſantes vero in ſcriptis conſtitutionem ipſam aliter, quam eo modo, quem diximus, Doctores vero inſuper & lectores, dum docent in publico, ex certa ſcientia & deliberate intellectum conſtitutionis hujuſmodi depravantes, facientes quoque commentum, ſcripturas, ſeu libellos, ac ex certa ſcientia & deliberate determinantes in ſcholis, ſeu prædicantes contra prædicta, vel aliqua ſeu aliquod prædictorum, ( non obſtantibus aliquibus privilegiis, vel indulgentiis, aut literis Apoſtolicis, quibuſcunque dignitatibus, perſonis, ordinibus, aut locis religioſis vel ſecularibus generaliter vel ſingulariter ſub quacunque forma vel expreſſione verborum conceſſis, quæ nolumus aliquibus in præmiſſis quomodolibet ſuffragari ) excommunicationis ſententiæ, quam nunc in ipſos proferimus, ſe noverint ſubjacere : a qua per neminem niſi per Romanum Pontificem poſſint abſolvi *a*. Inſuper tam iſtos, contra quos per nos excommunicationis eſt prolata ſententia, quam alios ( ſi qui fuerint ) contra præmiſſa vel eorum aliquod venientes, ad ſedis memoratæ volumus deduci notitiam: ut quos proviſus modus æquiratis non arcet a vetitis, compeſcat rigor Apoſtolicæ ultionis. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam noſtræ declarationis, ordinationis, conceſſionis, diſpoſitionis, ſuppletionis, approbationis confirmationis, & conſtitutionis infringere, vel ei auſu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præſumpſerit, indignationem omnipotentis Dei, & beatorum Petri & Pauli Apoſtolorum ejus, ſe noverit incurſurum. Datum Siriani XVIII. Calendas Septembris, Pontificatus noſtri anno ſecundo.

C A P. IV.

*Exemptis cellis alicujus monaſterii, quid appellatio cella ſignificet, hic oſtendit.* Joan. Andr.

Bonifacius VIII.

PRivilegium monaſterio tuo conceſſum, ut Monachi ſive fratres in cellis ad monaſterium ipſum ſpectantibus habitantes, ab alio, quam a Papa, vel ejus Legato excommunicari, aut ſuſpendi, vel ipſæ cellæ interdicto ſupponi non poſſint : non fratres in Prioratibus, Eccleſiis, ſeu Capellis ejuſdem monaſterii commorantes, aut ipſos Prioratus, Eccleſias vel Capellas ab Ordinariorum juriſdictione in aliquo, ſed reſidentes tantum in cellis, & cellas ipſas ( hoc eſt loca ſecreta & ſolitaria, quæ ab hominum ſeparata convictu ſunt, ad contemplandum & Deo vacandum ſpecialiter deputata ) defendat.

C A P. V.

*Privilegiato aliquo, ut poſſit conferre beneficia Clericorum ſuorum, quid appellatio Clericorum ſuorum deſignet, oſtendit.* Joan. Andr.

Idem.

SIcut nobis ſignificare curaſti, tibi gratioſe conceſſimus, ut beneficia Clericorum tuorum cedentium vel decedentium poſſis conferre: quodque iidem Clerici Præbendarum ſuarum fructus percipiant, ac ſi in ſuis Eccleſiis perſonaliter reſiderent. Verum quia dubitas, qui Clericorum tuorum appellatione debeant contineri: brevi reſpondemus oraculo, quod illos in his & ſimilibus caſibus tuos volumus intelligi Clericos, qui per te non quæſiti propterea, vel recepti, ſine fraude & fictione qualibet vere tui Clerici familiares exiſtunt, & in tuis expenſis continue domeſtici commenſales: Etiam ſi *a* quos ex illis aliquando pro tuis gerendis negotiis abeſſe contingat.

## DE REGULIS JURIS.

Bonifacius VIII. *b* ( *an.* 1298. *Romæ.* )

Regula I.

BEneficium Eccleſiaſticum non poteſt licite ſine inſtitutione canonica obtineri.

*Idem.* Regula II.

Poſſeſſor malæ fidei ullo tempore non præſcribit.

*Idem.* Reg. III.

Sine poſſeſſione præſcriptio non procedit.

*Idem.* Reg. IV.

Peccatum *c* non dimittitur, niſi reſtituatur ablatum.

*Idem.* Reg. V.

Peccati venia non datur niſi correcto.

*Idem.* Reg. VI.

Nemo poteſt ad impoſſibile obligari.

*Idem.* b. Reg. VII.

Privilegium perſonale perſonam ſequitur, & extinguitur cum perſona.

*Idem.* Reg. VIII.

Semel malus, ſemper præſumitur eſſe malus.

*Idem.* Reg. IX.

Ratum *d* quis habere non poteſt, quod ipſius nomine non eſt geſtum.

*Idem.* Reg. X.

Ratihabitionem retrotrahi, & mandato non eſt dubium comparari.

*Idem.* Reg. XI.

Cum ſint partium jura obſcura, reo favendum eſt potius, quam actori.

*Idem.* Reg. XII.

In judiciis non eſt acceptio perſonarum habenda.

*Idem.* Reg. XIII.

Ignorantia facti non juris excuſat.

*Idem.*

---

a *In iſto verſ. nota, quod Papa poteſt ſibi rebellantes excommunicare, & ultra adhuc aliter punire. Font.*

a *Alias ita: etiam ſi ex illis aliquando, &c.* b *alias, ita: Idem.* c *Ex B. Auguſt. epiſt. 54. ad Macedonium refert Ivo in decreto part. 13. c. 4. & part. 15. c. 25.* d *Vide Ruin. conſ. 27. l. 4. & conſil. 129. eod. lib.*

UNED

*Idem*. Reg. XIV.

Cum quis in jus ſuccedit alterius, juſtam ignorantiæ cauſam cenſetur habere.

*Idem*. Reg. XV.

Odia reſtringi, & favores convenit ampliari.

*Idem*. Reg. XVI.

Decet conceſſum a Principe beneficium eſſe manſurum.

*Idem*. Reg. XVII.

Indultum a jure beneficium, non eſt alicui auferendum.

*Idem*. Reg. XVIII.

Non firmatur tractu temporis, quod de jure ab initio non ſubſiſtit.

*Idem*. Reg. XIX.

Non eſt ſine culpa, qui rei quæ ad eum non pertinet, ſe immiſcet.

*Idem*. Reg. XX.

Nullus pluribus uti defenſionibus prohibetur.

*Idem*. Reg. XXI.

Quod ſemel placuit, amplius diſplicere non poteſt.

*Idem*. Reg. XXII.

Non debet aliquis alterius odio prægravari.

*Idem* Reg. XXIII.

Sine culpa, niſi ſubſit cauſa, non eſt aliquis puniendus.

*Idem*. Reg. XXIV.

Quod quis mandato facit Judicis, dolo facere non videtur: cum habeat parere neceſſe.

*Idem*. Reg. XXV.

Mora ſua cuilibet eſt nociva,

*Idem*. Reg. XXVI.

Ea, quæ fiunt a Judice, ſi ad ejus non ſpectant officium, viribus non ſubſiſtunt.

*Idem*. Reg. XXVII.

Scienti & conſentienti non fit injuria, neque dolus.

*Idem*. Reg. XXVIII.

Quæ a jure communi exorbitant, nequaquam ad conſequentiam ſunt trahenda.

*Idem*. Reg. XXIX.

Quod omnes tangit, debet ab omnibus approbari.

*Idem*. Reg. XXX.

In obſcuris minimum eſt ſequendum.

*Idem*. Reg. XXXI.

Eum, qui certus eſt, certiorari ulterius non oportet.

*Idem*. Reg. XXXII.

Non licet actori, quod reo licitum non exiſtit.

*Idem*. Reg. XXXIII.

Mutare conſilium quis non poteſt in alterius detrimentum.

*Idem*. Reg. XXXIV.

Generi per ſpeciem derogatur.

*Idem*. Reg. XXXV.

Plus ſemper in ſe continet, quod eſt minus.

*Idem*. Reg. XXXVI.

Pro poſſeſſore habetur, qui dolo deſiit poſſidere.

*Idem*. Reg. XXXVII.

Utile non debet per inutile vitiari.

*Idem*. Reg. XXXVIII.

Ex eo non debet quis fructum conſequi, quod niſus extitit impugnare.

*Idem*. Reg. XXXIX.

Cum quid prohibetur, prohibentur omnia, quæ ſequuntur ex illo.

*Idem*. Reg. XL.

Pluralis locutio duorum numero eſt contenta.

*Idem*. Reg. XLI.

Imputari non debet ei, per quem non ſtat, ſi non faciat, quod per eum fuerat faciendum.

*Idem*. Reg. XLII.

Acceſſorium naturam ſequi congruit principalis.

*Idem*. Reg. XLIII.

Qui tacet, conſentire videtur.

*Idem*. Reg. XLIV.

Is, qui tacet, non fatetur: ſed nec utique negare videtur.

*Idem*. Reg. XLV.

Inſpicimus in obſcuris, quod eſt veriſimilius, vel quod plurunque fieri conſuevit.

*Idem*. Reg. XLVI.

Is, qui in jus ſuccedit alterius, eo jure, quo ille, uti debebit.

*Idem*. Reg. XLVII.

Præſumitur ignorantia, ubi ſcientia non probatur.

*Idem*. Reg. XLVIII.

Locupletari non debet aliquis, cum alterius injuria vel jactura.

*Idem*. Reg. XLIX.

In pœnis benignior eſt interpretatio facienda.

*Idem*. Reg. L.

Actus legitimi conditionem non recipiunt, neque diem.

*Idem*. Reg. LI.

Semel Deo dicatum, non eſt ad uſus humanos ulterius transferendum.

*Idem*. a. Reg. LII.

Non præſtat impedimentum, quod de jure non ſortitur effectum.

*Idem*. Reg. LIII.

Cui licet quod eſt plus, licet utique quod eſt minus.

*Idem*. Reg. LIV.

Qui prior eſt tempore, potior eſt jure.

*Idem*. Reg. LV.

Qui ſentit onus, ſentire debet commodum, & e contra.

*Idem*. Reg. LVI.

In re communi potior eſt conditio prohibentis.

*Idem* b. Reg. LVII.

Contra eum, qui legem dicere potuit apertius, eſt interpretatio facienda.

*Idem*. c. Reg. LVIII.

Non eſt obligatorium contra bonos mores præſtitum juramentum.

*Idem*. Reg. LIX.

Dolo facit, qui petit, quod reſtituere oportet eundem.

*Idem*. Reg. LX.

Non eſt in mora, qui poteſt exceptione legitima ſe tueri.

*Idem*. Reg. LXI.

Quod ob gratiam alicujus conceditur, non eſt in ejus diſpendium retorquendum.

*Idem*. Reg. LXII.

Nullus ex conſilio, dummodo fraudulentum non fuerit, obligatur.

*Idem*. Reg. LXIII.

Exceptionem objiciens, non videtur de intentione adverſarii confiteri.

*Idem*. Reg. LXIV.

Quæ contra jus fiunt, debent utique pro infectis haberi.

*Idem*. Reg. LXV.

In *d* pari delicto vel cauſa, potior eſt conditio poſſidentis.

*Idem*

a *Per hanc regulam dicunt Phil. Joan. Andr. non tolli ſponſalia per matrimonium ob conſanguinitatem reſolutum, & fallit hac regula in iis in quibus tacita voluntas ſufficit. de leg. 1. plene in princ. Aug. Fab. §. poſteriori. quibus modis infirm.* b *Vide c. cum dilectus. de conſuet.* c *Vide B. Thom 2. 2. qu. 89. art. 7.* d *De commodo poſſeſſionis, vide Doctor in l. quoties. C. de rei vind.*

UNED

*Idem*. Reg. LXVI.

Cum non ſtat per eum ad quem pertinet, quo minus conditio impleatur, haberi debet perinde, ac ſi impleta fuiſſet.

*Idem* Reg. LXVII.

Quod alicui ſuo non licet nomine, nec alieno licebit.

*Idem*. Reg. LXVIII.

Poteſt quis per alium, quod poteſt facere per ſeipſum.

*Idem* Reg. LXIX.

In *a* malis promiſſis fidem non expedit obſervari.

*Idem*. Reg. LXX.

In alternativis electoris *b* eſt electio, & ſufficit alterum adimpleri.

*Idem*. Reg. LXXI.

Qui ad agendum admittitur, eſt ad excipiendum multo magis admittendus.

*Idem*. Reg. LXX I.

Qui facit per alium, eſt perinde, ac ſi faciat per ſeipſum.

*Idem*. Reg. LXXIII.

Factum legitime retractari non debet, licet caſus poſtea eveniat, a quo non potuit inchoari.

*Idem*. Reg LXXIV.

Quod alicui gratioſe conceditur, trahi non debet ab aliis in exemplum.

*Idem*. Reg. LXXV.

Fruſtra ſibi fidem quis poſtulat ab eo ſervari, cui fidem a ſe præſtitam ſervare recuſat.

*Idem*. Reg. LXXVI.

Delictum *c* perſonæ, non debet in detrimentum Eccleſiæ redundare.

a *Vid. B. Th. 2. 2. q. 29. art. 7.* & *Turrecremat in c. ſi aliquid 22. q. 4.* b *In omnib. antiq. cod. legitur, debitoris.* c *Vide gloſſ. in c. de dilat. gloſſ. in c. placuit. 26. q. 3. Innoc. in c. cum dilectus. de ord. cognitionum. Ant. de Butrio in c. 1. de dolo & contum. & Doctor. in l. jubemus. C. de ſacroſ. Eccleſ.*

*Idem*. Reg. LXXVII.

Rationi congruit, ut ſuccedat in onere, qui ſubſtituitur in honore.

*Idem*. Reg. LXXVIII.

In argumentum trahi nequeunt, quæ propter neceſſitatem aliquando ſunt conceſſa.

*Idem*. Reg. LXXIX.

Nemo poteſt plus juris transferre in alium, quam ſibi competere dignoſcatur.

*Idem*. Reg. LXXX.

In toto partem non eſt dubium contineri.

*Idem*. Reg. LXXXI.

In generali conceſſione non veniunt ea, quæ quis non eſſet veriſimiliter in ſpecie conceſſurus.

*Idem* Reg. LXXXII.

Qui contra jura mercatur, bonam fidem præſumitur non habere.

*Idem*. Reg. LXXXIII.

Bona fides non patitur, ut ſemel exactum iterum exigatur.

*Idem*. Reg. LXXXIV.

Cum quid una via prohibetur alicui, ad id alia non debet admitti.

*Idem*. Reg LXXXV.

Contractus *a* ex conventione legem accipere dignoſcuntur.

*Idem*. Reg. LXXXVI.

Damnum, quod quis ſua culpa ſentit, ſibi debet, non aliis *b* imputare.

*Idem*. Reg. LXXXVII.

Infamibus portæ non pateant dignitatum.

*Idem*. Reg. LXXXVI I.

Certum eſt, quod is committit in legem, qui legis verba complectens, contra legis nititur voluntatem.

Datæ Romæ apud ſanctum Petrum, V. Nonas Martii Pontificatus noſtri anno quarto. (1298.)

a *Nota quod conventio partium legem inducit, quæ in contractibus ſervanda eſt. Philipp.* b *al. alii.*

# FINIS SEXTI DECRETALIUM.

CLE-

# CLEMENTIS PAPÆ V.

## CONSTITUTIONES

### IN CONCILIO VIENENSI EDITÆ.

# PRÆFATIO.

*JOANNES Epiſcopus, ſervus ſervorum Dei, dilectis filiis, Doctoribus, & Scholaribus univerſis Bononiæ commorantibus, ſalutem & Apoſtolicam benedictionem.* a

QUoniam nulla juris ſanctio, quantumcunque perpenſo digeſta conſilio, ad humanæ naturæ varietatem, & machinationes ejus inopinabiles ſufficit, nec ad deciſionem lucidam ſuæ nodoſæ ambiguitatis attingit: eo præſertim, quod vix aliquid adeo certum clarumque ſtatuitur, quin ex cauſis emergentibus (quibus jura jam poſita mederi non poſſint) in dubium revocetur. Quia etiam ab adoleſcentia viri proclivis ad malum ſenſualitas humana declinat, per quod morum ſubverſio in Clero & populo frequenter obrepit: neceſſaria eſt Superioris auctoritas, ut tam per determinationis opportunæ ſuffragium tollat ambigua, lites auferat, altercationes dirimat, & obſcura ſuccidat, quam per cultoris providi ſarculum extirpet vitia, virtutes inſerat, corrigat exceſſus, moreſque reformet. Hæc ſane felicis recordationis Clemens Papa V. prædeceſſor noſter prudenter attendens, & provide cupiens deformatorum reformationi proſpicere, ſolvere difficilia, ac ſanctiones quæſtionibus & negotiis imminentibus conſonans promulgare: Dudum nedum in Concilio Vienenſi, quinetiam ante & poſt ipſum Concilium, conſtitutiones plurimas edidit, in quibus multa utilia ſtatuit atque ſalubria, & nonnulla dubia in judiciis & extra frequentata decidit. Et licet eas collectas in unum volumen, & ſub congruis titulis collocatas mittere decreviſſet, & dare in commune ſubjectis: aſſidua tamen occupatio circa magna, ac ſortis humanæ conditio, quæ ipſum de medio ſuſtulit, in cauſa fuerunt, quare ſuum in hac parte propoſitum non implevit. Nos etiam, qui ſicut eidem (licet immeriti) in Apoſtolatus officio, Domino permittente, ſucceſſimus: ſic & in affectus plenitudine, in his, quæ compendium univerſi concernunt, ſucceſſiſſe debemus, tot grandibus agendis & arduis fuimus a noſtræ promotionis exordio circumſepti, quod tam ex hoc, quam ex cauſis rationabilibus aliis, quas ſub ſilentio providimus committendas, prædictas vobis communicare conſtitutiones fuimus hactenus impediti. Nunc igitur (opportunitate captata) illas vobis ſub bulla noſtra tranſmittimus. Univerſitati veſtræ per Apoſtolica ſcripta mandantes, quatenus eas prompto affectu ſuſcipiatis, & ſtudio alacri, eis ſic vobis manifeſtatis & cognitis uſuri de cætero in judiciis & in ſcholis. Data Avinion. VII. *b* Calendas Novemb. Pontificatus noſtri anno ſecundo.

---

a *Hanc benedictionem primo introduxit Papa Cletus, loco cujus ſcribitur ab Eccleſia præciſis, Spiritum ſanioris conſilii. Et licet iſta benedictio omnibus preſit, qui tamen non ſtudent, non gaudent privilegio ſtudii. Zab. Van. Font.*

b *De his vide C. de Contrah. & committ. ſtipul. l. optimam. 2. q. ult. libellorum. de probat. quoniam de re jur. abbat lib. 6. de quo in Spec. de inſtrum. edit. §. reſtat.*

CLEMEM-

# CLEMENTINARUM
## LIBER PRIMUS.

### *TITULUS I.*

### DE SUMMA TRINITATE ET FIDE CATHOLICA.

*Fatetur Concilium, unicum DEI filium in eſſentia DEI æternaliter ſubſiſtentem, verum corpus humanum aſſumpſiſſe de Virgine, & in eo paſſum, & jam mortuum lancea perforatum, approbans in hoc ordinem, quem tradidit Evangeliſta Joannes.* hoc dicit.

Clemens V. *in Concilio Vienenſi.*
(*an.* 1311. *in Gallia.*)

FIDEI Catholicæ fundamento, quod (teſte Apoſtolo) nemo poteſt aliud ponere, firmiter inhærentes, aperte cum ſancta matre Eccleſia confitemur, unigenitum Dei Filium, in iis omnibus, in quibus Deus Pater exiſtit, una cum Patre æternaliter ſubſiſtentem, partes noſtræ naturæ ſimul unitas (ex quibus in ſe verus Deus exiſtens, fieret verus homo) humanum videlicet corpus paſſibile, & animam intellectivam, ſeu rationalem, ipſum corpus vere per ſe & eſſentialiter informantem, aſſumpſiſſe ex tempore, in virginali thalamo, ad unitatem ſuæ hypoſtaſis & perſonæ. Et quod in hac aſſumpta natura, ipſum Dei verbum pro omnium operanda ſalute, non ſolum affigi cruci, & in ea mori voluit, ſed etiam emiſſo *a* jam ſpiritu perforari lancea ſuſtinuit latus ſuum: ut exinde profluentibus undis aquæ & ſanguinis, formaretur unica & immaculata, ac virgo ſancta mater Eccleſia, conjunx Chriſti, ſicut de latere primi *b* hominis ſoporati, Eva ſibi in conjugium eſt formata: ut ſic certæ figuræ primi & veteris Adæ (qui ſecundum Apoſtolum *c* eſt forma futuri) in noſtro noviſſimo Adam, id eſt, Chriſto, veritas reſponderet. Hæc eſt, inquam, veritas illius prægrandis aquilæ vallata teſtimonio, quam Propheta vidit *d* Ezechiel animalibus cæteris Evangelicis tranſvolantem, beati Joannis videlicet, Apoſtoli & Evangeliſtæ, qui ſacramenti hujus rem geſtam narrans & ordinem, in Evangelio ſuo dixit *e*: *Ad Jeſum autem cum veniſſent, ut viderunt eum jam mortuum: non fregerunt ejus crura, ſed unus militum lancea latus ejus aperuit, & continuo exivit ſanguis & aqua: & qui vidit, teſtimonium perhibuit, & verum eſt teſtimonium ejus: & ille ſcit, quia vera dicit, ut vos credatis.* Nos igitur ad tam præclarum teſtimonium, ac ſanctorum Patrum & Doctorum communem ſententiam, Apoſtolicæ conſiderationis (ad quam duntaxat hæc declarare pertinet) aciem convertentes, ſacro approbante Concilio, declaramus prædictum Apoſtolum & Evangeliſtam Joannem rectum in præmiſſis ſactæ rei ordinem tenuiſſe, narrando, quod Chriſto jam mortuo, unus militum lancea latus ejus aperuit.

*Reprobat & hæreticam judicat doctrinam, quæ habet, quod ſubſtantia animæ rationalis, ſeu intellectivæ, vere, & per ſe, humani corporis non ſit forma.* Joannes Andreas.

§. 1. Porro *a* doctrinam omnem, ſeu poſitionem temere aſſerentem, aut vertentem in dubium, quod ſubſtantia animæ rationalis, ſeu intellectivæ, vere ac per ſe humani corporis non ſit forma, velut erroneam, ac veritati catholicæ inimicam fidei, prædicto ſacro approbante concilio reprobamus: Definientes, ut cunctis nota ſit fidei ſinceræ veritas, ac præcludatur univerſis erroribus aditus, ne ſubintrent, quod quiſquis deinceps aſſerere, defendere, ſeu tenere pertinaciter præſumpſerit, quod anima rationalis, ſeu intellectiva non ſit forma corporis humani per ſe & eſſentialiter, tanquam hæreticus ſit cenſendus.

*Aſſerens confitendum unum baptiſma, ſicut unum Deum & unam fidem, approbat opinionem, quæ habet per illud conferri etiam parvulis (quoad habitum) informantem gratiam & virtutes.* Joan. Andr.

§. 2. Ad hoc *b* baptiſma unicum baptizatos omnes in Chriſto regenerans eſt (ſicut unus Deus ac fides unica) ab omnibus fideliter confitendum. Quod celebratum in aqua, in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti, credimus eſſe tam adultis, quam parvulis, communiter perfectum remedium ad ſalutem. Verum, quia quantum ad effectum baptiſmi in parvulis, reperiuntur Doctores quidam Theologi opiniones contrarias habuiſſe.

§. 3. Quibuſdam ex ipſis dicentibus, per virtutem baptiſmi parvulis quidem culpam remitti, ſed gratiam non conferri: Aliis econtra aſſerentibus, quod & culpa eiſdem *c* in baptiſmo remittitur, & virtutes, ac informans gratia infunduntur, quoad habitum, etſi non pro illo tempore quoad uſum. Nos autem attendentes generalem efficaciam mortis Chriſti (quæ per baptiſma applicatur pariter omnibus baptizatis) opinionem ſecundam (quæ dicit, tam parvulis, quam adultis conferri in baptiſmo informantem gratiam & virtutes) tanquam probabiliorem, & dictis Sanctorum, ac Doctorum modernorum Theologiæ magis conſonam & concordem, ſacro approbante Concilio duximus eligendam.

TITU-

a *Vide Guidonem Carmelitam in ſumma de hæreſibus. tit. de hæreſibus Petri Joan. mod. & ejus ſequacium, cap.* 3. b *Gen.* 2. c *Rom.* 5. d *Ezech. c.* 2. e *Joan. c.* 29.

a *Vide Conc. Later. ſub Leone X. Seſſ.* 8. *in decreto. inc ip. Apoſtolici regiminis.* b *al. at hoc.* c *al. ipſis.*

## TITULUS II.
## DE RESCRIPTIS,
### CAP. I.

*Major Prælatus pro membris ſuis (etiamſi ſunt de menſa) reum convenire non poteſt per reſcriptum Apoſtolicum, niſi ubi poſſent adminiſtratores membrorum. Contra faciens in expenſis & intereſſe punitur, & proceſſus eſt irritus.* Joan. Andr.

Clemens V. *in Concilio Viennenſi.*

ABbates *a* aut alii Religioſi, quibuslibet adminiſtrationibus præſidentes, occaſione Prioratuum ſeu aliorum locorum ſubditorum eiſdem, nullum auctoritate literarum Apoſtolicæ ſedis, vel Legatorum ipſius, quomodolibet valeant convenire: Niſi ubi & coram quibus, Prioratuum & locorum ipſorum Prioribus aut aliis gubernatoribus hoc liceret. Nec occaſione locorum ad menſas pertinentium eorundem, aliud in ipſis ſuper hoc liceat, quam ſi loca ipſa ſic præmiſſa ſpeciales ſub eis gubernatores haberent. Si quis autem aliquem contra hæc vexare præſumpſerit, in expenſis ſibi & intereſſe per Judicem (coram quo vexatio fiet hujuſmodi) condemnetur: omniſque proceſſus contra præmiſſa habitus ſit irritus ipſo jure.

### CAP. II.

*Principalis Officialis Epiſcopi & Prior conventualis, licet obedientiarius, delegari poſſunt a Papa: Officialis vero foraneus, vel Prior clauſtralis non.* Joan. Andr.

Idem *in eodem.*

ET ſi *b* principalis Officialis Epiſcopi, aut Religioſus conventualem obtinens Prioratum (quamvis ad Prioratum eundem Prior non conſueverit per electionem aſſumi) a ſede Apoſtolica, vel Legato ejuſdem, dari valeat delegatus: In Officiali tamen foraneo aut Religioſo, monaſterii ſui Priore clauſtrali, nequaquam hoc volumus obſervari.

### CAP. III.

*Brevius non poteſt ſummari.*

Idem *in eodem.*

AUditor *c* in Romana curia deputatus a nobis, de beneficio (quod pronuntiabit alicui de jure fore debitum) poterit ſibi abſque commiſſione alia *d* (ut evitetur circuitus) providere.

### CAP. IV.

*Expectans beneficium perdit gratiam, ſi conſequitur aliud, quod cum illo, quod expectat, de jure tenere non poteſt.* Joan. Andr.

Idem.

GRatiæ, ut de dignitate vel beneficio curato tibi provideatur, renunciare videris *e*, ſi ante adeptionem ejuſdem aliud beneficium pacifice aſſequaris, quod ſimul de jure cum dignitate, vel beneficio virtute dictæ gratiæ tibi debito, retinere non poſſes, licet illud reſignaveris, aut ſis reſignare paratus.

### CAP. V.

*Gratia ſuper vacaturo non comprehendit beneficium poſt datam in ſubſtantia creatum.* h. d. Joan. de Imol.

Idem.

LIteras noſtras ſuper conferendo tibi beneficio vacaturo directas, ad beneficium poſt datam ipſarum creatum, ſtatuimus non extendi.

## TITULUS III.
## DE ELECTIONE, ET ELECTI POTESTATE.
### CAP. I.

*Religioſus eligi non poteſt ad prælaturam non Epiſcopalem alterius religionis vel habitus: ſi contra fiat, eſt irritum.* h. d. Joan. Andr.

Clemens V. *in Concilio Vienenſi.*

(*an.* 1311.)

CUM rationi non congruat, ut homines diſparis profeſſionis vel habitus, ſimul in eiſdem monaſteriis ſocientur: Prohibemus, ne religioſus aliquis in Abbatem, vel Prælatum alterius religionis, vel habitus de cætero eligatur. Quod ſi ſecus actum extiterit, ſit eo ipſo irritum & inane *a*. Per hoc autem, quin Religioſus in Epiſcopum, ſecularis, vel cujuslibet regularis Eccleſiæ, licite poſſit eligi, non intendimus prohibere.

### CAP. II.

*Cœtus Cardinalium ſede vacante juriſdictionem Papalem non exercet, niſi in quantum permittit Concilium Lugdunenſe: nec illud vel ejus partem alterare poteſt.* Joannes Andreas.

Idem.

NE Romani electioni Pontificis, indeterminata opinionum diverſitas aliquod poſſit obſtaculum vel dilationem afferre: Nos inter cætera præcipue attendentes, quod lex ſuperioris per inferiorem tolli non poteſt, opinionem aſtruere (ſicut accepimus) ſatagentem, quod conſtitutio felicis recordationis Gregorii Papæ X. prædeceſſoris noſtri, circa electionem præfatam edita in Concilio Lugdunenſi per cætum Cardinalium Romanæ Eccleſiæ (ipſa vacante) modificari poſſit, corrigi vel immutari, aut quicquam ei detrahi, ſive addi, vel diſpenſari quomodolibet circa ipſam ſeu aliquam ejus partem, aut eidem etiam renuntiari per eum, tanquam veritati non conſonam, de fratrum noſtrorum conſilio reprobamus *b*: irritum nihilominus & inane decernentes, quicquid poteſtatis aut juriſdictionis ad Romanum, dum vivit, Pontificem pertinentis (niſi quatenus in conſtitutione prædicta permittitur) cœtus ipſe duxerit (eadem vacante Eccleſia) exercendum.

*Officium Camerarii vel Pœnitentiariorum Papa durat eo mortuo, qui ſi deficiant, poterit cœtus Cardinalium pro tempore vacationis alios ſurrogare.* Joan. Andr.

§. 1. Eo tamen proviſo, quod ſi ejuſdem Eccleſiæ Camerarium, aut Majorem, vel aliquos alios ex Pœnitentiariis (quorum officium per obitum ejuſdem Pontificis nolumus expirare) per mortem, vel alias deficere quovis modo contingat, valeat idem cœtus ad tempus vacationis hujuſmodi pro numero deficientium, vel ampliori etiam, quantum ad Pœnitentiarios (ſi hoc eidem cœtui concorditer expedire videtur) alios ſurrogare.

*Determinat diœceſim intelligi id, quod in Concilio dicitur de territorio & diſtrictu: ſtatuit moriente Papa extra curiam, ipſius electionem fieri debere in loco, ubi erat cauſarum & literarum audientia, licet ſuſpenſa: niſi prius ordinatum eſſet de curia transferenda.* Joan. Andr.

§. 1. Sane cum juxta conſtitutionem prædictam Papa extra civitatem, in qua cum ſua erat curia, moriente, in civitate, in cujus diſtrictu ſeu territorio moritur, ſit regulariter ſucceſſoris electio celebranda, diſtrictus, ſeu terito-

---

a *habent dignitatem principaliter. cap. hac conſtitutione. de offic. deleg. lib. 6. Bald. per illum text. in authen. habita. C. de fil. pro pat. gl. c. a Subdiacono diſt. 93. quæ gloſſ. limitatur a Dom. ibi per c. quis §. 1. ff. de ſecund. tab. prab. l. 7. Barb. Font.* b *vide l. fin. C de edict. divi Hadrian tollend. Bart. in l. 1. §. 1. ff. de ſecund. tab. e. ultima voluntas 12. qu. 2. Font. & vide Conc. Trid. ſeſſ. 10. 25. de reform. c. 10.* c *vide doct. in c. ſuper eo. de offic. de leg. & Alex. in l. more. ff. de juriſd. omn. jud.* d *vide l. ſi princ. ff. de oper. nov. nuntiat. & Bar. in l. cum fundum. §. ſi ſervum tuum imprudens. ff. ſi certum pet. Font.* e *vide c. 1. de jud. l. divi fratres. ff. de libr. cau. Bar. in l. quid tamen. §. ſi arbiter ff. de arbit.*

a *Vide c. capitulum ſanctæ crucis. de reſcript. l. ex facto. ff. de vulg. & pupill.* b *Ad hæc vide l. cum qui. §. fin. ff. de juriſdict. omn. judic. Font.*

UNED

territorii nomine, diœceſim hoc caſu intelligendam fore cenſemus. Eo tamen adjecto, quod ſi in certo loco cauſarum & literarum Apoſtolicarum audientia remanente, Papam alibi mori contingat, non ibi, ſed ubi prædicta fuerit audientia, memorata electio celebretur: etiamſi eadem audientia tempore mortis hujus vacare noſcatur: niſi forſan ante mortem eandem ordinatum eſſet per Papam de curia transferenda, quo caſu ſervetur proviſio conſtitutionis prædictæ.

*Providet caſui, quo contingeret Cardinales omnes exire conclave.*

§. 3. Porro ſi Romano non electo Pontifice, Cardinales omnes ſimul vel ſucceſſive (quod abſit) exire contingeret conclave deputatum eiſdem: hi (ad quos pertinet executio conſtitutionis prædictæ) illos ex ipſis, quibus infirmitas corporis, aut nota debilitas excuſationem non dabit, idem conclave (quam cito poterunt) reintrare compellant *a*: Pœnas in dicta conſtitutione contentas (niſi hoc fecerint) incurſuri. Cardinales autem hujuſmodi conclave reintrantes, ad electionem jam dictam procedant: & alias conſtitutionem præfatam obſervent, ſecundum ſtatum, in quo erant in eodem conclavi, quando ipſum (ut præmittitur) exiverunt.

*Statuit Cardinales per exceptionem excommunicationis, ſuſpenſionis, vel interdicti, ab electione non repelli.* Joan. Andr.

§. 4. Cæterum ut circa electionem prædictam, eo magis vitentur diſſenſiones, & ſchiſmata, quo minor eligentibus aderit diſſidendi facultas: decernimus, ut nullus *b* Cardinalium cujuslibet excommunicationis, ſuſpenſionis, ut interdicti prætextu, a dicta valeat electione repelli: Juribus & aliis circa electionem eandem hactenus editis, plane in ſuo robore duraturis.

*Electos & alios (qui mittere vel ire tenentur ad curiam) adſtringit ad id ſede vacante.* h. d. Joan. Andr.

§. 5. Verum, quia tam ex proviſis remediis, quam ex orationibus ad Deum ſuper hujus negotio effundendis, quod breviter hujuſmodi celebretur electio, præſumendum eſt probabiliter, & ſperandum *c*: ſtatuimus, ut electi & alii (qui ex quacunque cauſa ad ſedem Apoſtolicam venire vel mittere ſunt adſtricti) ad ipſum, cum vacat, ac ſi non vacaret *d*, venire vel mittere teneantur.

C A P. III.

Primo *ponit formam, ſecundum quam appellans appellationem intimat appellato, ut per ipſam cauſa beneficialis ad curiam devolvatur.* Secundo *providet, cum appellatus vel ipſius ſpecialis Procurator nequit haberi.* Tertio, *providet, cum per metum appellati, vel ſuorum, intimatio fieri non poteſt.* Quarto *vitiat intimationem aliter factam.* Quinto *prorogat hunc modum intimandi ad alios caſus.* h. d. Joan. Andr.

Idem.

CAuſam electionis, poſtulationis, ſeu proviſionis per appellationem ab ipſa vel occaſione ipſius, ad ſedem Apoſtolicam emiſſam, tunc demum ad ſedem eandem devolvi cenſemus, cum in appellati aut procuratoris ejuſdem in ipſa cauſa ſpecialiter conſtituti præſentia interpoſita fuerit, aut eorum alteri intra menſem ab interpoſitione ipſius, vel ſaltem poſt lapſum ejuſdem menſis (quam cito commode fieri poterit) legitime intimata: porrecto videlicet ſibi ſub ſcriptura authentica, vel perlecto *e* illius tenore & copia modo conſimili (ſi petita fuerit) inde facta. Quod ſi forſan appellatum abeſſe, & procuratorem talem non inveniri contingat, in domo, quam ipſe appellatus habitare communiter conſuevit: vel (ſi domus eadem in remotis exiſtat) in Eccleſia cathedrali, in cujus civitate vel diœceſi conſiſtit beneficium: & nihilominus utroque caſu in Eccleſia vel beneficio, de quo agitur, volumus appellationem hujuſmodi publicari, ac de ipſa, quandocunque petitum fuerit, copiam modo præmiſſo fieri appellato. Verum, ſi propter appellati aut ſuorum metum, vel potentiam, intimatio fieri nequeat (ut præfertur) appellationem eandem in loco aliquo publico ſic ſolenniter volumus publicari, quod ad appellati ſeu ejus procuratoris notitiam poſſit veriſimiliter pervenire. Intimatio vero aliter facta, omni careat juris effectu: Nec cauſa per appellationem eandem ad ſedem cenſeatur devoluta prædictam, niſi ad appellatum ejus plena & certa notitia, intra tempus prædictum aliter perveniſſet. Idem quoque in aliis caſibus obſervari volumus, in quibus requiritur intimatio facienda.

a *Vide Bart. in l. ſi fidejuſſor. §. meminiſſe. ff. de leg. 1.* b *al. ita: ut nullus ex Cardinalibus.* c *Vide Bald. in l. 1. col. 4. Cod. de Latin. lib. toll. quanquam.* d *Conſule l. mortuo. ff. de jud. c. caveant. 2. 3. 9. Pann. in d. c. licet. Font.* e *Not. idem eſſe ſcripturam legere aut legendam exhibere. Vide l. item apud Labeon. l. convitium autem. juncta l. lex Cornelia. §. ſi quis iſtrum.*

C A P. IV.

*Decretalis, Ut circa; locum non habet, cum appellans jus ſuum vel Eccleſiæ directe proſequitur: ſed cum in formam vel perſonas opponit crimina vel defectus: quorum circumſtantias, ſi non ſpecificat, ſuper illis non auditur, etiamſi jures illas didiciſſe de novo. Nec etiam in eadem cauſa ſuper illis auditur alius non appellans, & proſequens commune non proprium intereſſe: poteſt tamen aſſiſtere appellanti. Appellans, qui non ſervat formam, etiamſi appellationi renuntiat, per viam querelæ non proſequitur objecta, nec etiam alia: niſi in caſibus exceptis. Omiſſio formæ licet appellantem a probatione repellat, non tamen infirmat probationem ſuper his legitime factam adverſarii confeſſione, vel aliter.* hoc dicit, Joan. Andr.

Idem.

COnſtitutionem, ut circa *a* editam in Concilio Lugdunenſi, locum decernimus non habere, quando, quæ opponuntur, directe reſpiciunt jus Eccleſiæ, vel opponentis perſonæ: ſed tantum ubi per competitorem *b* vel oppoſitorem quemlibet appellantem in formam aut perſonas defectus vel crimina opponuntur. Cæterum cum circa crimina vel defectus debitam circumſtantiarum ſpecificationem prædictus omittit appellans, non eſt poſtmodum in proſecutione negotii ſuper his audiendus, etiamſi circumſtantias hujuſmodi, vel probationes earum per juramentum afferat ad ſe perveniſſe de novo. Sane ſi quis, cujus intereſt ab electione, poſtulatione, vel proviſione duxerit appellandum, opponendo crimina vel defectus, forma dictæ conſtitutionis omiſſa, eodem poſtmodum appellationem hujuſmodi proſequente, alius ſuperveniens non appellans, contra appellatum in eadem cauſa principaliter admitti non debet, pro intereſſe communi eoſdem articulos proſequendo, licet appellanti poſſit aſſiſtere, ne colludat: non tamen ei propter hoc proſecutionem proprii intereſſe denegamus. Inſuper ſi appellans ab electione, poſtulatione vel proviſione per viam querelæ ſimplicis cauſam agat, vel eam appellato agente defendat, repellitur ab objectibus in appellatione ſua expreſſis & aliis, niſi conſtiterit ipſum formam ſervaſſe prædictam, præterquam in caſibus in conſtitutione præmiſſa exceptis: etiamſi appellationem ſuam non proſequatur, nec exhibeat, & illa ſe aſſerat nolle uti: dum tamen de ipſa coram Judice fiat fides: quia per ipſam jus repellendi eundem adverſario eſt quæſitum. Illius vero conſtitutionis formæ omiſſio, licet appellantem ab objectibus in for-

a *Hic. not. Card. quod lex aut capitulum allegandum eſt per ſuum principium. Font.* b *Nota differentiam inter competitorem & oppoſitorem, & quis ſit competitor: die, ut in gl. ejuſdem. Oppoſitor autem eſt, quando electus eſt unicus. ut lit. pend. c. 1. & 2. l. 6. Zabarel.*

formam electionis, vel perſonas eligentium, vel electi propoſitis vel proponendis, & eorum facienda probatione repellat *a*: probationem tamen factam ſuper his per adverſarii confeſſionem *b*, vel alias legitime non infirmat.

C A P. V.

*Sine ſpeciali licentia Papæ nullus providere poteſt Eccleſiæ cathedrali Clero carenti & populo Chriſtiano. Religioſus per Prælatum licentiari non debet, ut tali proviſioni conſentiat: conſentiens, etiamſi fuerit conſecratus, priori Prælato ſubjacet: nec in Epiſcopum recipitur, nec ad aliquem honorem promovetur: quæ contra fient, irrita decernit.* Joan. And.

Idem.

IN pleriſque Eccleſiis nedum (quod dolentes referimus) præſidio facultatum privatis, ſed & Clero carentibus & populo Chriſtiano, multo frequenter & religioſos præſertim, improvida ſuperiorum proviſio ad Pontificatus aſſumit honorem, qui nec (ut expediret) prodeſſe, nec præeſſe (ut deceret) valentes, inſtabilitate vagationis & mendicitatis opprobrio ſerenitatem Pontificalis obnubilant dignitatis. Volentes igitur contra temeritatem tam facientium, quam ut frequentius recipientium proviſiones hujuſmodi providere: de conſilio fratrum noſtrorum ſtatuimus, ut nullus de cætero, quantacunque dignitate præpollens (niſi ſpeciali ſuper hoc auctoritate ſedis Apoſtolicæ fulciatur, de paſtore provideat cathedrali Eccleſiæ ſibi qualitercunque ſubjectæ, quæ Clero careat & ſubditis Chriſtianis: Nullusque religioſus a ſuo unquam, quod proviſioni tali conſentiat, licentietur Prælato. Quod ſi licentiatus etiam hujuſmodi proviſioni conſenſerit, & in Epiſcopum ſe fecerit aut permiſerit conſecrari, in Epiſcopali nullatenus recipiatur honore. Sed in tantæ ambitionis pœnam ſub religionis, aut monaſterii ſui Prælato ſemper ſic degat humilis, jaceatque proſtratus, quod nullus eidem in religione ſua vel extra, ad gradum honoris vel adminiſtrationis cujuslibet ſit aſcenſus. Nos enim quicquid contra præmiſſa vel aliquod præmiſſorum contigerit attentari, irritum eſſe decernimus & inane, contraria quacunque conſuetudine non obſtante. Sane circa præfatas Eccleſias præmiſſa ſic ſpecialiter providenda decernimus, quod circa proviſionem quarumlibet aliarum, facultatem ſuperiorum nec coarctare intendimus, nec ultra juris communis limites ampliare.

C A P. VI.

*Capitulum: Quorundam, quoad diſcordiam & minoritatem numeri, intelligitur quoad voces facti, non ſecundum juris fictionem.* h. d. Joan. And.

Idem.

QUod circa religioſorum electiones ſuper diſcordia & minoritate numeri Bonifaciana conſtitutione cavetur, de diſcordia & numeri minoritate, quæ in facto, non in fictione vel juris effectu conſiſtunt, debere intelligi declaramus.

C A P. VII.

*Emolumentum ex iuriſdictione, ſigillo curiæ, vel alias pertinens ad Prælatum cathedralis Eccleſiæ vel collegiatæ, ea vacante, non obſtante conſuetudine (deductis expenſis) reſervandum eſt ſucceſſori: niſi tunc certæ dignitati competat juriſdictio cum ipſius emolumento.* Joannes Andreas.

Idem.

STatutum ſuper bonis a Prælatis cathedralium regularium & collegiatarum Eccleſiarum dimiſſis, aut obvenientibus tempore vacationis earum, futuris ſucceſſoribus fideliter reſervandis editum, locum declaramus habere in omni emolumento, quod provenit ex juriſdictione, & ſigillo curiæ Eccleſiaſticæ vel ſecularis, aut alias undecunque, quod ad Prælatos (Eccleſiis non vacantibus) pertineret, conſuetudine qualibet contraria non obſtante: ita tamen quod in iſtis & ſimilibus rationabiles deducantur expenſæ. Cæterum ad ſingulares perſonas, ad quas ratione dignitatum, quas obtinent, juriſdictio cum ejus emolumento devolvitur, ſede vacante, de conſuetudine, privilegio, vel jure alio ſpeciali, nolumus præſentem conſtitutionem extendi.

C A P. VIII.

*Conceſſio licentiæ generalis Religioſo de conſentiendo electioni factæ vel fiendæ, non valet.* Joan. de Imol.

Idem.

CUm conceſſa Religioſo a ſuperiore ſuo licentia, ut electioni vel proviſioni (ſi quam de ipſo contigerit fieri) ſuum dare poſſit aſſenſum, ambitionis vitio viam paret, nullius eam exiſtere volumus firmitatis.

## TITULUS IV.
## DE RENUNCIATIONE.

C A P. UN.

*Renunciatio dignitatis vel beneficii facta per procuratorem ad hoc conſtitutum, tenet: licet prius procurator fuerit revocatus, ipſo tamen & ſuperiore, cui fiebat ceſſio, ignorante: niſi per malitiam ipſorum vel aliorum revocatio ipſis fuerit occultata.* Joan. And.

Clemens V. *in Concilio Vienenſi.*

(*an.* 1311.)

CUm *a* illuſio & variatio in perſonis Eccleſiaſticis maxime ſint vitandæ, præſenti conſtitutione ſancimus, ut ſi quis ad cedendum Pontificali aut alii cuilibet dignitati *b*, vel beneficio procuratorem ſponte ac libere conſtituerit, & ipſum ignorantem poſtmodum duxerit quomodolibet revocandum: teneat ceſſio facta per eum, antequam ad ipſius vel illius (in cujus manibus ceſſio fuerat facienda) notitiam revocatio hujuſmodi ſit deducta. Niſi forte per ipſos aut alios malitioſe factum fuerit, quo minus ad eos vel eorum alterum ante ceſſionem potuerit revocatio perveniſſe.

## TITULUS V.
## DE SUPPLENDA NEGLIGENTIA PRÆLATORUM.

C A P. UN.

*Si Prælati regulares non conferunt intra ſex menſes prioratus, adminiſtrationes, & Eccleſias vacantes, quæ non ſunt de menſa, ſed ſolent ſpeciales (licet obedientiarios) rectores habere: Diœceſani auctoritate ſua vel Apoſtolica, ſi ſint exempta, conferunt illa perſonis, quibus per Prælatos fuerant conferenda. Nec permittunt illa applicari menſis Prælatorum, vel penſionibus gravari. Declarantur etiam decret. de offic. ordin. præſenti & de Præbend. cum ſingula. in talibus prioratibus & Eccleſiis locum habere.* Joan. Andr.

Clemens V. *in Concilio Vienenſi.*

QUia regulares Prælati prioratus, Eccleſias, adminiſtrationes, aut quævis alia beneficia, ad eorum diſpoſitionem ſpectantia, cum vacant, interdum

---

a *Not. hic confeſſionem in judicio nullo factam valere. Idem dixit Innoc. c. fin. de reſtit. ſpol. Panor. Font.* b *In quacunque parte litis opponatur ſecundum Imol. Sed Franc. dicit, hanc exceptionem dilatoriam: & ideo quia in iſtis ſpiritualibus non conteſtatur lis. Clem. ſæpe opponenda, antequam procedatur ad illa, quæ alias ſiunt poſt litem conteſt. per gl. & quæ ibi dixi. cap. 1. ſupr. eod. tit. l. 6. Font.*

a *Vide Fel. in c. ex parte decani. ext. de reſcript.* b *Sub iſta voce dicit Cardin. per hunc text. non comprehendi Epiſcopatum. Fel. in rubr. de major. & obed. in coll. 6. Font.*

UNED

dum committere negligunt vel conferre intra tempus in Lateranen. *a* Concilio conſtitutum: diœceſani locorum in non exemptis, ſua, in exemptis vero Apoſtolica auctoritate negligentiam ſuper hoc ſuppleant eorundem. Prioratus, Eccleſias, adminiſtrationes, & beneficia hujuſmodi, illa *b* videlicet, quæ conſueverunt per ſeculares Clericos gubernari, ſecularibus Clericis: alia *c* vero, quæ Religioſis duntaxat committi ſunt ſolita vel conferri, Religioſis monaſteriorum, quorum Prælati hujuſmodi negligentes fuerint, conferendo. Eadem quoque auctoritate diœceſani ſuffulti nullo modo permittant, quod iidem Prælati prioratus, Eccleſias, adminiſtrationes, aut beneficia hujuſmodi applicent menſis ſuis, penſioneſve novas eis imponant, aut veteres augeant, ſive quod ipſis de novo impoſitæ, ſive auctæ ſolvantur. Præmiſſa vero de prioratibus, Eccleſiis, adminiſtrationibus, & beneficiis intelligimus, quæ non ſunt de menſa Prælatorum ipſorum, ſed ſpeciales Priores, adminiſtratores ſeu rectores conſueverunt habere: licet Priores ſeu adminiſtratores hujuſmodi libere poſſint ad clauſtrum (cum oportuerit) revocari. In quibus etiam conſtitutionem Bonifacii Papæ VIII. prædeceſſoris noſtri bona beneficiorum vacantium occupari a Prælatis vel aliis prohibentem, ac nihilominus in prioratibus hujuſmodi & Eccleſiis illud Bonifacii ejuſdem ſtatutum, quod Religioſum quemcunque pluribus præeſſe prohibet prioratibus, aut Eccleſiis curam animarum habentibus (etiamſi cura ipſa non per eum, ſed per alium habeat exerceri) locum ſibi cenſuimus vendicare: licet etiam eiſdem prioratibus cura non immineat ſupradicta.

## TITULUS VI.
## DE ÆTATE, ET QUALITATE, ET ORDINE PRÆFICIENDORUM.

### CAP. I.

*Diœceſani ſervare debent, & a ſuis ſubditis ſervari facere jura, loquentia de qualitate perſonarum præficiendarum Eccleſiis.* Joan. Andr.

Clemens V. *in Concilio Vienenſi.*
(*an.* 1311.)

CUm *d* Eccleſiæ, quibus præficiuntur perſonæ minus idoneæ ſcientia, moribus vel ætate, gravia propter hoc (ut docet experientia) nonnunquam perferant in ſpiritualibus & temporalibus detrimenta: Nos volentes per locorum diœceſanos, quibus ratione officii hoc competit, præcipue ſuper hoc diligentius præcaveri: eis diſtricte injungimus, ut ipſi ſtatuta canonica, quæ ſuper præficiendis perſonis in hujuſmodi Eccleſiis hactenus emanarunt, diligentius per ſeipſos obſervent, & faciant a ſuis ſubditis inviolabiliter obſervari, ſi divinam offenſam, & ſedis Apoſtolicæ debitam vitare voluerint ultionem.

### CAP. II.

*In capitulo cathedralis Eccleſia vel collegiata vocem non habet, qui non eſt Subdiaconus. Habens beneficium, cui annexus eſt ordo, poſt annum, niſi prius (impedimento ceſſante) promoveatur ad illum, in Capitulo vocem non habet, donec fuerit ordinatus, & interim perdit diſtributionem dimidiam.* Joan. Andr.

Idem.

UT *e* ii, qui divinis in cathedralibus vel collegiatis ſecularibus vel regularibus Eccleſiis ſunt mancipati officiis, vel mancipabuntur in poſterum, ad ſuſcipiendos ſacros ordines propenſius inducantur: ſtatuimus, ut nullus de cætero in hujuſmodi Eccleſiis vocem in Capitulo habeat (etiamſi hoc ſibi ab aliis libere concedatur) niſi ſaltem in Subdiaconatus ordine fuerit conſtitutus. Illi vero, qui dignitates, perſonatus, officia, vel præbendas, quibus certi ordines ſunt annexi, pacifice nunc obtinent in eiſdem Eccleſiis, vel obtinuerint in futurum, niſi (juſto impedimento ceſſante) ad hujuſmodi ordines ſe promoveri fecerint intra annum, extunc donec ad eos promoti fuerint, nullo modo vocem in Capitulo habeant earundem. Ipſique diſtributionum, quæ dantur his, qui certis horis interſunt, pars dimidia ſubtrahatur, non obſtantibus quibuslibet conſuetudinibus vel ſtatutis: Pœnis aliis, quæ contra tales promoveri ad ordines recuſantes ſtatuuntur in jure, nihilominus in ſuo robore permanſuris.

### CAP. III.

*In XVIII. anno ad Subdiaconatum: in XX. ad Diaconatum: in XXV. ad Presbyteratum poteſt quis libere promoveri.* h. d. Joan. Andr.

Idem.

GEneralem Eccleſiæ obſervantiam volentes antiquis juribus in hac parte præferri, decernimus, ut (alio non obſtante impedimento *a* canonico) poſſit quis libere in decimo octavo ad Subdiaconatus, in vigeſimo ad Diaconatus, & in vigeſimo quinto ætatis ſuæ anno ad Presbyteratus ordines promoveri.

## TITULUS VII.
## DE OFFICIO VICARII.

### CAP. UN.

*Jura loquentia de Eccleſiis curatis, locum habent, quoad tria, in Vicariis perpetuis Eccleſiarum parochialium.* Joannes Andreas.

Clemens V. *in Concilio Vienenſi.*

QUæ de Eccleſiis curam animarum habentibus per receptionem aliarum ſimilium amittendis, ac de ipſarum rectoribus promovendis ad ſacerdotium, & de eorum ætate a jure ſtatuta noſcuntur, in perpetuis *b* Eccleſiarum parochialium Vicariis & aſſumptis ad eas, volumus obſervari.

## TITULUS VIII.
## DE OFFICIO ET POTESTATE JUDICIS DELEGATI.

### CAP. UN.

*Judex ad exceptionem teſtium in civili, & executor ad providendum certæ perſonæ, cognitione præmiſſa, a Papa deputati, licite ſubdelegant.*

Clemens V. *in Concilio Vienenſi.*

JUdices ſuper receptione teſtium in cauſa civili: Nec non executores ad providendum aliquibus, ſi per inquiſitionem ſolertem eos eſſe vitæ laudabilis & converſationis honeſtæ repererint, a ſede Apoſtolica deputati, aliis poſſint committere licite vices ſuas.

TITU-

a *Id eſt*, *Conc. Later. ſub Alex. III. c.* 8. b *Vid. Concil. Trid. ſeſſ.* 14. *de refor. c.* 9. c *al. ita: ille vero, &c.* d *Vid. Concil. Trid. ſeſſ.* 24. *de refor. c.* 12. e *Vide Conc. Trid. ſeſſ.* 7. *de reform. cap.* 12. *& ſeſſ.* 24. *de refor. c.* 12.

a *Dictio*, impedimento, *deeſt in antiquioribus exemplaribus.* b *De vicariis perpetuis*, *vide multa per Felinum in cap. G. perpetuas. extr. de fid. inſtrum.*

*TITULUS IX.*

## DE OFFICIO JUDICIS ORDINARII.

C A P. I.

*Epiſcopi ita debent corrigere Clericorum exceſſus, quod metu pœnæ ipſi arceantur, & alii pertimeſcant.* Joan. Andr.

Clemens V. *in Concilio Vienenſi.*
( *an.* 1311. )

UT Clericorum audacia, qui prætextu privilegii Clericalis ordinis *a* impunitatem exceſſuum obtinere ſperantes, nonnulla multoties committunt enormia, per quæ nimirum diffamatur Eccleſia, & ſcandala gravia in populo generantur, potiſſime cum talia per Epiſcopos, ad quos horum ſpectat correctio, deferantur ut plurimum incorrecta, propenſius compeſcantur: eiſdem Epiſcopis diſtricte injungimus *b*, quatenus ſic circa correctionem Clericorum hujuſmodi vigilanter intendant, & diligenter ſui officii debitum exequantur, quod & iidem Clerici metu pœnæ a ſuis arceantur inſolentiis *c*, & alii eorum exemplo perterriti proſilire ad ſimilia merito pertimeſcant.

C A P. II.

*Valet collatio beneficii facta a collatore quolibet circa Legatum Apoſtolicum, non facta mentione de beneficio, quod prius habebat is, cui fit.* h. d. Joan. Andr.

Idem.

ETſi ab Apoſtolicæ ſedis Legato, de beneficio facta collatio beneficium aliud obtinenti, non valeat, niſi de illo, quo obtinet, facta fuerit mentio ſpecialis: in aliis tamen quibuslibet collationem beneficiorum habentibus, hoc nolumus obſervari.

*TITULUS X.*

## DE PROCURATORIBUS.

C A P. I.

*Qui ſciens ſine proteſtatione recipit inſtrumentum vel literas ſuæ procurationis, quibus conſtituens pro ipſo cavebat, ſuper incluſis in procuratorio dominum defendere cogitur.* Joan. Andr.

Clemens V. *in Concilio Vienenſi.*

INſtrumento vel litteris, quibus te aliquis in cauſis ſuis procuratorem conſtituens pro te debito modo cavit, ſimpliciter ( nulla facta proteſtatione ) a te ſcienter receptis, non potes poſtea recuſare defenſionem illius: imo cogi poteris ipſum defendere in omnibus cauſis & negotiis, ad quæ prædicta inſtrumenta ſeu literæ ſe extendunt: Cum per hæc ad omnia tuum præſtitiſſe videaris aſſenſum.

C A P. II.

*Procurator habens mandatum jurandi & omnia faciendi, quæ requirunt ſpeciale mandatum, contra electum vel proviſum opponere non poteſt crimina vel defectus.* Joan. Andr.

Idem.

NOn poteſt procurator ad agendum vel defendendum *a*, jurandumque de calumnia & veritate dicenda, & generaliter ad omnia alia, quæ ſpeciale mandatum exigunt, conſtitutus ( niſi aliud ſuper hoc in mandatis habeat ) opponere in perſonam electi, ſeu ejus, cui eſt proviſio facienda vel facta, crimina *b* vel defectus, cum ſub generalitate tali graviora non veniant, vel majora, quam in ipſo procuratorio ſint expreſſa.

C A P. III.

*Religioſus etiam pro conreligioſo, niſi pro conſorte ejuſdem litis, non poteſt procurator conſtitui ſine licentia ſuperioris, nec etiam alium conſtituere, nec ſubſtituere: licet hoc habeat in mandatis.* Joan. Andr.

Idem.

REligioſus procurator, etſi per alium religioſum ſui vel alterius monaſterii conſtitutus, ſicut non poteſt ſine ſui ſuperioris licentia procurationis *c* officium ſuſcipere, niſi pro ſuo in eadem lite conſorte: Ita non poteſt alium procuratorem conſtituere ſeu ſubſtituere, etiamſi per conſtituentem hoc ſibi expreſſe fuerit commiſſum.

C A P. IV.

*Per abitum Rectoris Eccleſiæ revocatur procurator, ab eo pro Eccleſia conſtitutus, etiam quoad negotia jam cœpta.*

Idem.

PRocuratorem a Prælato, Rectore, vel alio quolibet pro Eccleſia *d* ſua vel beneficio conſtitutum, per mortem conſtituentis revocari cenſemus: Etiam quoad negotia jam incepta, & cauſas, in quibus per ipſum lis fuerit ante mortem hujuſmodi conteſtata.

*TITULUS XI.*

## DE RESTITUTIONE IN INTEGRUM.

C A P. UN.

*Eccleſia probans ſe læſam per lapſum temporis, ad illud tempus tantum reſtituitur, & intra quadriennium a tempore læſionis.*

Clemens V. *in Concilio Vienenſi.*

AB Eccleſia *e* adverſus lapſum temporis, in quo ſe læſam affirmat, in integrum reſtitutio peti poteſt: & cauſa reſtitutionis hujuſmodi finiri debet intra, quadriennium continuum a tempore læſionis, etiamſi minus quadriennio tempus læſionis exiſtat. Sed non fiet reſtitutio, niſi ad tantum tempus, quantum ſe læſam fore probabit.

a *Dictie*, ordinis, *deeſt in antiquiorib. exemplaribus.* b *Si negligant, peccant mortaliter. 4. diſt in. c. denique. Aufre. Fontanus.* c *Ob iſtam cauſam puniuntur ei in ipſo loco delicti. Salic. in auth. ſi vero. ſi vero. C. de adulter. Font.*

a *Idem & multo magis ſi ad alterum tantum, cum tunc procuratoris minor eſſe poteſtas. Crimina intellige magna vel parva, dum tamen talia ſint, quæ probata repellerent electum a beneficio, de quo agatur, juxta cap. 1. de elect. lib. 6. & Clem. conſtit. ſup. de elect. Bonifacius.* c *al. procuratoris.* d *vide cap. ſi tibi abſenti de præben. lib. 1.* e *De intellectu hujus Clementinæ Matthæus de Aſſlictis deciſ. 17.*

FINIS LIBRI PRIMI.



UNED

# CLEMENTINARUM

## LIBER SECUNDUS.

### *TITULUS I.*

### DE JUDICIIS.

#### CAP. I.

*Conſtitutio Bonifacii, quæ habet, quod citationes etiam extra dies ſolennes publice factæ, de mandato Papæ, in audientia literarum Apoſtolicarum, vel papali palatio, affixæ januis majoris Eccleſiæ loci, in quo Papa, cum curia ſua degit, arctent citatum, ac ſi ad eum perſonaliter deveniſſent: reſtringitur ad eos, qui impediunt, ut ad eos poſſit citatio pervenire, vel quorum domicilium tute non poteſt adiri.* Joan. Andr.

Clemens V. *in Concilio Vienenſi.*

(*an.* 1311.)

DUdum *a* Bonifacius Papa VIII. prædeceſſor noſter conſtituit, ut citationes auctoritate Apoſtolica de perſonis quibuſcunque, ac etiam undecunque ad inſtar edictorum in albo prætoris propoſitorum, etiam extra dies ſolennes, in quibus Romani Pontifices Proceſſus conſueverunt facere generales, ipſo Papa ſpecialiter & ex certa ſcientia id mandante factæ, in Apoſtolicarum audientia publica literarum, vel in papali palatio, publice poſtmodum majoris Eccleſiæ loci, in quo Romanus Pontifex cum ſua curia reſidebit, januis affigendæ, ſic valeant atque arctent citatos poſt lapſum terminum *b*, quem (conſiderata diſtantia locorum) citationibus ipſis apponi convenit competentem, ac ſi ad eos perſonaliter editum, propter malitiam temporis tunc inſtantis, nonnullis nimis rigoroſum videtur: Nos rigorem ipſum manſuetudine temperantes, idem ſtatutum, & præfatum modum citandi reſtringimus ad illos tantum: & in illis locum volumus ſibi vindicare, qui faciunt, impediunt, vel procurant per ſe vel per alios quoquo modo, ne ad eos poſſit citatio pervenire: vel quorum domicilia ſive loca non poſſunt tute libereve adiri. Porro ei, quod circa citationes abſentium: tam diebus ſolennibus, quam aliis Eccleſia Romana diverſis ex cauſis interdum facere conſuevit, per præſentem conſtitutionem ſeu moderationem in nullo volumus derogari.

#### CAP. II.

*In cauſis etiam pendentibus beneficialibus, decimarum, matrimonialibus, & uſurarum, & ipſas tangentibus procedi poteſt ſimpliciter & de plano, abſque judiciorum ſtrepitu & figura.* Joan. Andr.

Idem.

DIſpendioſam prorogationem litium (quam interdum ex ſubtili ordinis judiciarii obſervatione cauſarum docet experientia provenire) reſtringere in ſubſcriptis caſibus cupientes: Statuimus, ut in cauſis ſuper electionibus, poſtulationibus, vel proviſionibus, aut ſuper dignitatibus, perſonatibus, officiis, canonicatibus, vel præbendis, ſeu quibuſvis beneficiis Eccleſiaſticis, aut ſuper decimis, ad quarum etiam præſtationem poſſunt, qui tenentur ad eas, præmoniti cenſura Eccleſiaſtica, coerceri, necnon ſuper matrimoniis vel uſuris, & eas quoquo modo tangentibus ventilandis, procedi valeat de cætero ſimpliciter & de plano, ac ſine ſtrepitu judicii, & figura: Volentens non ſolum ad futura negotia, ſed ad præſentia, & adhuc etiam per appellationem pendentia hoc extendi.

### *TITULUS II.*

### DE FORO COMPETENTI.

#### CAP. UN.

*Concedit Concilium certo caſu Epiſcopis expulſis a ſuis ſedibus, quod in locis aliarum diœceſum ſervata forma, quam limitat, poſſint procedere contra expulſores, conſiliarios, & fautores, & inter ſubditos jus dicere.* Joannes Andreas.

Clemens V. *in Concilio Vienenſi.*

QUamvis ſacris canonibus ſit generaliter interdictum, ne quis Epiſcopus juriſdictionem in diœceſi exerceat aliena: nos tamen Epiſcopis, qui a ſuis ſedibus protervia impiorum expulſi non audent propter metum perſequentium in ſuis civitatibus vel diœceſibus, aut earum parte aliqua reſidere, nec juriſdictionem ad ſe ſpectantem per ſe vel per alium inibi exercere: ne injuria in eorum expulſione ipſorum irrogata Eccleſiis hoc prætextu remaneat impunita, duximus indulgendum, ut in diœceſibus alienis, in civitatibus videlicet, vel locis inſignibus ſuis Eccleſiis vicinioribus, in quibus poterunt ſecure morari, & juriſdictionem ſuam libere exercere, poſſint contra ſuos expulſores, & eorum in hac parte conſiliarios & fautores (dummodo civitates, vel loca hujuſmodi eiſdem expulſoribus, conſiliariis, & fautoribus ſint ſecura, & ipſi perſonaliter vel ad domum, ſi hoc tute fieri valeat, alioquin publice in Eccleſia cathedrali loci vel domicilii eorundem citati fuerint) libere procedere, prout juſtitia ſuadebit.

Si vero dicti Epiſcopi auſi non fuerint hujuſmodi ſuos expulſores, vel eorum conſiliarios aut fautores

a *Modus citandi per edictum in forma hujus Clement. locum habet in ſolo Papa, ut not. hic Zabarella. eum videto.* b *al. termini.* o *In quodam manuſcripto ita: Eccleſia Rom. diverſis ex cauſis proceſſus interdum, &c.*



UNED

dicto modo citare, vel ipſi malitioſe impedimentum præſtiterint, ne potuerint ſic citari: licitum ſit eiſdem Epiſcopis, ut expulſores, conſiliarios, & fautores eoſdem diebus aliquibus Dominicis, vel feſtivis, cum populus convenerit ad divina, ut ſic facta citatio ad eos pervenire veriſimilius *a* præſumatur, citent vel citari faciant publice in Eccleſiis civitatum vel locorum inſignium prædictorum, & procedant deinde contra ipſos, ſi citati taliter ſtatuto ipſis peremptorio termino competenti coram eiſdem Epiſcopis noluerint comparere, ac ſi citati legitime extitiſſent.

Eiſdem etiam Epiſcopis indulgemus, ut inter ſuos ſubditos (ne ob defectum juſtitiæ diſpendium aliquod patiantur) poſſint in diœceſibus alienis, in quibus moram traxerint (dummodo per ſe vel per alium hoc in in ſuis propriis diœceſibus facere non audeant, vel non poſſint) juriſdictionem ſuam omnimodam exercere: Ita tamen, quod ſubditi, qui expulſores, vel eorum fautores, aut conſiliarii non fuerint, ultra duas diætas a fine ſuæ diœceſis non trahantur. Volumus inſuper, ut ante omnia a diœceſanis locorum, in quibus moram traxerint, petant licentiam in præmiſſis: quam ſi obtinere nequiverint *b*, procedant nihilominus, prout ſuperius eſt expreſſum. Sane ſi prædicti Epiſcopi aſſeruerint, ſe non fuiſſe auſos præfatos expulſores, conſiliarios vel fautores, perſonaliter, vel ad domum, aut publice (ut præmittitur) in eorum Eccleſia cathedrali citare: vel ipſos malitioſe præſtitiſſe impedimentum, ne per eos potuerint ſic citari: aut quod in ſuis diœceſibus juriſdictionem per ſe vel per alium contra ipſos exercere nequeunt, vel non audent: ſtari ſuper his volumus aſſertionibus eorundem. Ipſis diſtrictius injungentes, ſub interminatione divini judicii, ne circa præmiſſa contra conſcientiam quicquam mendaciter aut doloſe aſſerant vel confingant. Eorundem autem Epiſcoporum ſententias & proceſſus, quos in præmiſſis caſibus in aliis diœceſibus duxerint faciendos, denuncient, ſeu denunciati faciant per ſuas diœceſes convicini Epiſcopi, cum ab eis fuerint requiſiti. Per præmiſſa quoque nullum ex tranſcurſu temporis quanticunque, vel alias quoquo modo locorum diœceſanis, ve aliis quibuſcunque juriſdictionem habentibus in locis præmiſſis, in quibus prædicti Epiſcopi ſic expulſi juriſdictionem (ut prædicitur *c*) exercebant præjudicium generetur.

## *TITULUS III.*

## DE CAUSA POSSESSIONES ET PROPRIETATIS.

### CAP. UN.

*In cauſa beneficiali delata etiam per appellationem ad curiam, utraque pars poteſt petitorium & poſſeſſorium intentare. Et ante cauſa concluſionem poteſt ſpoliatus ſuſpenſo petitorio ſuo, vel adverſarii, poſſeſſorium proſequi.* Joan. Andr.

Clemens V. *in Concilio Vienenſi.*

CAuſa *d* beneficiali per appellationem ad ſedem Apoſtolicam legitime devoluta, tam appellanti, quam appellato licere decernimus, nedum petitorium, ſed & poſſeſſorium intentare. Et in ſpoliantis odium ante cauſæ concluſionem ſuſpendere petitorium a ſe, & ab adverſario intentatum, in ſolo poſſeſſorio procedendo.

a *Al. veriſimiliter.* b *al. nequibunt.* c *al. præmittitur.* d *Vide Paul. de Caſtro conſil. 277. lib. 1. & de intellectu, Covarruviam lib. 3. var. reſol. c. 16. num. 13.*

## *TITULUS IV.*

## DE DOLO ET CONTUMACIA.

### CAP. UN.

*Appellans ante definitivam, etiam a definitiva, lata eo abſente, citato vel non, appellare poteſt: niſi prima appellatio fuerit frivola manifeſte: quo caſu non appellat, tanquam manifeſtus contumax.* Joan. Andr.

Clemens V. *in Concilio Vienenſi.*

(*an. 1311.*)

SI ante *a* definitivam ſententiam a Judice quis appellando recedat, & Judex ſuæ appellationi non deferens, eo citato, vel etiam non citato ulterius in cauſa procedens, contra ipſum etiam abſentem ſententiam definitivam promulger, poterit idem appellans a dicta ſententia intra tempus debitum appellare: Niſi ejus prima appellatio eſſet frivola manifeſte.

## *TITULUS V.*

## UT LITE PENDENTE NIL INNOVETUR.

### CAP. I.

*Si duo litigantes ſuper beneficio, moriantur: ſive uterque in curia, vel ſolus poſſidens, vel neutro poſſidente alter tantum, altero alibi moriente: ad Papam, & in converſis caſibus ad Ordinarium ſpectat collatio, ſi ad alterum beneficium pertinebat. Si autem alter tantum moritur, ſi ſuperſtes, vel alius, cujus intereſt, litem proſequitur, ex futuro eventu apparebit ad quem collatio ſpectat* Joan. Andr.

Clemens V. *in Concilio Vienenſi.*

SI duobus in Romana curia, ſuper beneficio ſibi collato litigantibus, in eadem curia mori contingat utrumque, collationem hujuſmodi beneficii ad Romanum Pontificem: ſi vero extra dictam curiam, ad Ordinarium decernimus pertinere: niſi forſan alius ab eis in dicto beneficio jus haberet. Quod ſi unum in dicta curia, alterum vero extra mori contingat, ſi moriens in curia beneficium poſſidebat, ad Romanum Pontificem: ſi vero alius, ad Ordinarium pertineat collatio ſupradicta. Neutro autem ipſorum beneficium poſſidente, erit Romanus Pontifex, propter auctoritatis prærogativam in collatione hujuſmodi præferendus. Si vero, alter tantummodo, ſive poſſeſſor, ſive petitor, decedat, ſi ſuperſtes, vel alius, cujus intereſt, cauſam nihilominus proſequatur (cum interim beneficium de jure conferri non poſſit) ad quem collatio ejus pertineat futurus declarabit eventus. Nam ſi ad defunctum pertinuiſſe beneficium fuerit declaratum, pertinebit ad Papam, ſi ille in curia, vel ad Ordinarium, ſi extra curiam ſit defunctus. Quod ſi ad neutrum illud ſpectaſſe conſtiterit, ad Ordinarium collatio pertinebit. Salva tamen in præmiſſis omnibus Rom. Pontificis poteſtate: ad quem Eccleſiarum, perſonatuum, dignitatum, aliorumque beneficiorum Eccleſiaſticorum plena & libera diſpoſitio, ex ſuæ poteſtatis plenitudine noſcitur pertinere.

### CAP. II.

*Lis dicitur pendere quoad hoc, ut nihil debeat innovari, cum citatio legitime pervenit ad partem, vel per eam ſtetit, quo minus perveniret, cum tali expreſſione, quod potuit inſtrui ſuper quo conveniatur.* Joan. Andr.

Idem.

CUm lite pendente nihil debeat innovari, litem quoad hoc pendere cenſemus, poſtquam a Judice com-

a *Not. quod appellari poteſt ante definitivam; quod eſt verum indiſtincte de jure canonico, dum tamen appelletur ex cauſa rationabili. cap. ut debitus. ext. de appell. ſed de jure civili non appellatur, niſi in certis caſib. Zabarella.*

UNED

competenti in ea citatio emanavit, & ad partem citatam pervenit: vel per eam factum fuit, quo minus ad ejus notitiam perveniret. Dum tamen in citatione prædicta talia ſint expreſſa, per quæ plene poſſit inſtrui, ſuper quibus in judicio convenitur.

### TITULUS VI.
### DE SEQUESTRATIONE POSSESSIONUM ET FRUCTUUM.

#### CAP. UN.

*Si ſuper beneficio contra ipſius poſſeſſorem, qui triennio non poſſedit in petitorio vel poſſeſſorio una definitiva fertur in curia, etiamſi nulla fore dicatur, ipſius beneficii ſequeſtratio per loci Ordinarium fieri debet: quam impediens, vel ſequeſtratos fructus occupans, excommunicatus eſt, & ſi eſt de litigantibus, cadit a jure ſuo, & reſpicat pendentia.* Joan. Andr.

Idem. [a]

AD compeſcendas litigantium malitias, definimus, ut una contra poſſeſſorem definitiva ſententia ſuper beneficia apud ſedem Apoſtolicam, duntaxat in petitorio vel poſſeſſorio promulgata, beneficium ipſum, etiamſi dignitas, vel perſonatus exiſtat, & curam habeat animarum, a poſſeſſore hujuſmodi (dum [b] tamen triennio pacifice antea ab eo poſſeſſum non fuerit) per loci Ordinarium, apud aliquam perſonam idoneam ſequeſtretur, quæ plenam de ipſo & debitam curam gerens, id, quod de fructibus ipſius (debitis ejuſdem ſupportatis oneribus) ſupereſſe contigerit, illi reſtituat, qui finalem in cauſa victoriam obtinebit. Si quis autem ſequeſtrationem hujuſmodi impedire, vel fructus ſequeſtratos quoquo modo præſumpſerit occupare, excommunicationis incurrat ſententiam ipſo facto: a qua (niſi impedimento prius amoto, & occupatis per eum fructibus reſtitutis) nullatenus abſolvatur. Et nihilominus, ſi de litigantibus fuerit, a jure (ſi quod in hujuſmodi beneficio, vel ad ipſum forſitan competebat eidem) hoc ipſo ſe noverit cecidiſſe: Præmiſſis nedum circa futura, ſed etiam circa per appellationem pendentia negotia obſervandis; Non obſtante ſi contra præfatam ſententiam de nullitate forſan opponatur.

### TITULUS VII.
### DE PROBATIONIBUS.

#### CAP. UN.

*Verba literarum Apoſtolicarum, quibus Papa proprium factum narrat, plene probant, ſi ſuper illis gratia vel intentio Papæ fundatur.* Joan. Andr.

Clemens V. *in Concilio Vienenſi.*

(*an.* 1311.)

LIteris noſtris, quibus non dignitates quaslibet ſeu beneficia collationi noſtræ vel ſedi Apoſtolicæ reſervaſſe, aut reſignationem beneficii alicujus recepiſſe, vel recipiendi poteſtatem alii commiſiſſe, vel aliquem excommunicaſſe, ſeu ſuſpendiſſe, ſeu aliquem Capellanum noſtrum vel familiarem fuiſſe, vel alia ſimilia, ſuper quibus gratia, vel intentio noſtra fundatur, feciſſe narramus, cenſemus ſuper ſic narratis fidem plenariam adhibendam: Volentes ad præterita & pendentia (etiam per appellationem) negotia hoc extendi.

a *In uno manuſcr. ita habetur.* b *Vid. c. commiſſa de elect. in 6. not. Bart. & moderni in l. Celſus. ff. de uſu cap. Font.*

### TITULUS VIII.
### DE TESTIBUS.

#### CAP. I.

*Per teſtes Chriſtianos convinci poſſunt Judæi & Sarraceni, non obſtantibus contrariis privilegiis Regum & Principum: quibus ſi utantur, ſubtrahitur illis Chriſtianorum commercium.* Joan. Andr.

Clemens V. *in Concilio Vienenſi.*

CUm Judæi quidam & Sarraceni (ſicut accepimus) quod ſuper civilibus aut criminalibus convinci per Chriſtianos non poſſint, ſe privilegiis Regum & hrincipum tueantur (quia id nedum juri contrarium, ſed & Chriſtianæ religioni opprobrioſum eſt quampluri-mum & adverſum) Reges eoſdem & Principes [a] in Domino exhortamur, ne concedant hujuſmodi de cætero privilegia, vel ſervent aut ſervare permittant etiam jam conceſſa. Quod ſi Judæi, aut Sarraceni privilegiis talibus uti præſumpſerint, Chriſtianorum communio eis ſubtrahatur, ſic, quod Chriſtiani ab eorum abſtinere communione cenſura Eccleſiaſtica (ſi opus fuerit) compellantur.

#### CAP. II.

*Publicatis atteſtationibus teſtes produci non poſſunt (etiam in cauſa appellationis) ſuper eiſdem articulis vel directe contrariis.* Joan. Andr.

Idem.

TEſtibus rite [b] receptis, & eorum atteſtationibus publicatis, ſicut non licet ſuper eiſdem vel directe contrariis articulis alios, vel eoſdem teſtes in principali cauſa producere: ſic non debet in appellationis cauſa licere: Cum non minus in appellationibus, quam in principali cauſa ſubornatio ſit timenda.

### TITULUS IX.
### DE JUREJURANDO.

#### CAP. UN.

*Juramenta, quæ Romanæ Eccleſiæ præſtant Romani Principes, fidelitatis exiſtunt.* Joan Andr.

Clemens V. *in Concilio Vienenſi.*

ROmani Principes [c], orthodoxæ fidei profeſſores, ſacroſanctam Roman. Eccleſiam, cujus caput eſt Chriſtus redemptor noſter, ac Romanum Pontificem ejuſdem Redemptoris Vicarium, fervore fidei, & claræ devotionis promptitudine venerantes, eidem Romano Pontifici, a quo approbationem perſonæ, ad Imperialis celſitudinis apicem aſſumendæ, necnon unctionem, conſecrationem, & Imperii coronam accipiunt, ſua ſubmittere capita non reputarunt indignum, ſeque illi, & eidem Eccleſiæ, quæ a Græcis Imperium tranſtulit in Germanos, & a qua ad certos eorum Principes jus & poteſtas eligendi Regem in Imperatorem poſtmodum promovendum pervenit, adſtringere vinculo juramenti, prout tam mos obſervationis antiquæ, temporibus noviſſimis renovatæ, quam forma juramenti hujuſmodi ſacris inſerta canonibus manifeſtant. Dudum ſane inter quondam Henricum Imperatorem, tunc Romanorum Regem, & chariſſimum in Chriſto filium noſtrum Robertum Siciliæ Regem, gravi diſcordia ſuſcitata: Nos multis grandibuſque periculis, quæ exinde proventura veriſimiliter timebantur, intendentes celeri & opportuno remedio obviare, quibuſdam ex fratribus noſtris ſanctæ Rom. Eccl. Cardinalibus, exiſtentibus tunc in urbe pro reformanda pace, & ſolidanda concordia inter Reges eoſdem, literas noſtras ſub certa forma duximus deſtinandas, inter alia inſerentes in eis, quod cum ipſi Reges ejuſdem Eccleſiæ ſpecialiſſimi filii, ſibi juramento fidelitatis, & alias multipliciter eſſent adſtricti, ipſius Eccleſiæ debeant eſſe promptiſſi-

a *Qui debent Judæos punire: vid. l. ſi quis in hoc genus. C. de Epiſc. & Cler. & gl. in cap. Judæi. 2. de Jud. Font.* b *Vid. l. 1 §. ajunt ædiles. ff. de ædil. edict. & l. apud eum. §. Imperator. ff. de manumiſſ.* c *al. Imperatores.*

UNED

ptiſſimi defenſores. Dictis autem literis in notitiam dicti Henrici ad imperium jam promoti ſic deductis, idem Henricus ab eiſdem Cardinalibus requiſitus, ut ſuper contentis in illis ſuum propoſitum reſponderet: quaſi moleſte tuliſſet, quod de juramento fidelitatis hujuſmodi per eum præſtito in dictis literis mentio haberetur, non familiariter, nec ſecrete, ut tractandæ pacis qualitas exigebat, ſed multis tabellionibus accerſitis & requiſitis ab eo, quod de reſponſionibus ſuis conficerent publica inſtrumenta, inter cætera publice ( præſente multitudine hominum copioſa ) reſpondit *a*, ſe non fore cuiquam ad juramentum fidelitatis adſtrictum, & quod nunquam fecerit juramentum, propter quod foret ad juramentum fidelitatis alicui obligatus, & quod ipſe neſciebat, quod anteceſſores ſui Romani Imperatores unquam juramentum hujuſmodi præſtitiſſent, ſimulans ſe immemorem juramentorum, quæ nobis ante coronationem ſuam præſtiterat, & poſt coronationem etiam innovarat. Nos itaque attendentes, quod hujuſmodi reſponſio, ſi ſub diſſimulatione pertranſeat, vel ſilentio pallietur, poſſet in magnum & evidens præjudicium Rom. Eccleſiæ redundare, dignum admodum & opportunum fore perſpeximus, ut de juramentis hujuſmodi conſtitutioni præſenti aliqua breviter annectamus. Dictus namque H. quamprimum fuit in Regem Romanorum electus, ſolennes *b* ad nos nuntios deſtinavit: dans eis per ſuas patentes literas plenum & ſpeciale mandatum, exponendi nobis pro eo devotionem ipſius & reverentiam filialem, quam ad nos & Rom. Eccleſ. ſincero gerere ſe dicebat affectu: nec non petendi & impetrandi a nobis favorem & gratiam conſuetos: offerendi quoque nobis & præſtandi pro eo, & in ipſius animam debitæ nobis & eidem Eccleſiæ fidelitatis, & cujuslibet alterius generis juramentum, ac nihilominus petendi a nobis per noſtras ſibi manus impendi unctionem, conſecrationem, & Romani Imperii diadema. Præfatis itaque nuntiis in noſtra & fratrum noſtrorum præſentia conſtitutis, ac ſecundum dicti tenorem mandati Avenione, ubi tunc eramus cum noſtra curia reſidentes, in publico conſiſtorio, in quo erat Prælatorum, & aliorum tam Clericorum, quam Laicorum non modica multitudo, præmiſſis per eos coram nobis expoſitis ſupplicando petitis humiliter, & oblatis: Nos eodem mandato & decreto electionis ejuſdem H. ex parte Principum tam Eccleſiaſticorum, quam ſecularium, qui eundem elegerant, nobis per dictos nuntios præſentatis, plena cum eiſdem fratribus deliberatione diſcuſſis, factaque nobis de electione hujuſmodi concordi & legitima plena fide, examinata quoque perſona ipſius H. prout abſentia patiebatur ejuſdem, & de ipſius fide, probitate, & aliis, quæ in perſona Imperatoris ſunt merito requirenda, cum pluribus Prælatis, & aliis magnæ auctoritatis viris, qui ejuſdem H. mores, conditionem, & ſtatum plenius noverant, inquiſito, ejuſque perſona, cujus etiam nos & fratres noſtri aliqualem prius notitiam habebamus, propter quod facilius tranſivimus in examinatione hujuſmodi, idonea reputata, ipſum nominavimus, denunciavimus & declaravimus Regem Romanorum, ipſius approbantes perſonam, eumque ſufficientem & habilem declarantes, ad ſuſcipiendam Imperialis celſitudinis dignitatem, ac decernentes unctionem, conſecrationem, Imperiique Romani coronam, ſibi per manus noſtras debere concedi: Et conſequenter a præfatis nuntiis, ſufficiens ab hoc ab eo ( ut præmittitur ) mandatum habentibus, ſecundum formam in decretis, quæ incipit, Tibi Domino, comprehenſam, fidelitatis recepimus juramentum. Poſtque idem H. conſecrationis & coronationis ſuæ tempore aliud eiſdem Cardinalibus, quos ad impendendum ſibi hujuſmodi conſecrationis & coronationis inſignia miſeramus ad urbem, illud noſtro nomine recipientibus juramentum præſtitit corporale, quod in libro Pontificali Rom. præſtandum Pontifici per Imperatorem coronationis ſuæ tempore continetur, cujus tenor dignoſcitur eſſe talis: Ego H. Romanorum Rex annuente Domino futurus Imperator, promitto, ſpondeo & polliceor, atque juro coram Deo, & beato Petro, me de cætero protectorem, procuratorem *a* & defenſorem fore ſummi Pontificis, & hujus ſanctæ Romanæ Eccleſiæ, in omnibus neceſſitatibus & utilitatibus ſuis, cuſtodiendo & conſervando poſſeſſiones, honores, & jura ejus, quantum divino ſuffultus adjutorio fuero, ſecundum ſcire & poſſe meum, recta & pura fide: ſic me Deus adjuvet, & hæc ſancta Dei Evangelia. Cæterum, quin juramenta hujuſmodi fidelitatis exiſtant, a retro Romanis Principibus non fuit hactenus hæſitatum: imo tam quondam Albertus Rex Romanorum, immediatus prædeceſſor memorati Henrici, Bonifacio Papæ VIII. prædeceſſori noſtro tempore approbationis ejuſdem Alberti, quam Rodolphus Pater ipſius, & alii prædeceſſores ejuſdem, Romanorum Reges diverſis noſtris prædeceſſoribus juramentum fidelitatis & obedientiæ præſtiterunt. Idemque Bonifacius memoratum A. juramento hujuſmodi ab eo recepto, de fratrum ſuorum conſilio ( præſente Prælatorum & aliorum multitudine copioſa ) auctoritate Apoſtolica recepit in ſpecialem ſuum filium & Eccleſiæ memoratæ, ipſumque in Regem Romanorum aſſumpſit, in Imperatorem poſtmodum promovendum. Verum quia ſæperatus H. qui in proximis diebus fuit de hac luce ſubtractus, non virtutem & mentem, ſed nudum verborum inſectans corticem, ſenſumque confundens, juramenta reſtringendo prædicta, curioſe videbatur aſſerere ( ut præfertur ) illa ad debitum fidelitatis hujuſmodi non extendi: novo modo curioſitatis hujus loculentæ veritatis antidotum ipſius declarationis oraculo providimus apponendum. Quia ergo capitulis juramento fidelitatis contentis ſolicita meditatione penſatis, ipſa capitula in præfatis Imperatoris juramentis, quantum ad effectum, mentem & virtutem ipſorum, non eſt dubium contineri: Nos præmiſſis & aliis rationibus, ne quis in Romanum aſſumptus Principem, vel in poſterum aſſumendus, an juramenta hujuſmodi per dictum H. Imperatorem præſtita, & per ſucceſſores ipſius in futurum præſtanda, fidelitatis exiſtant, in dubitationem deducere audeat, vel ſuper his contrarium aſtruere veritati, auctoritate Apoſtolica de fratrum noſtrorum conſilio declaramus, illa juramenta prædicta *b* fidelitatis exiſtere, & cenſeri debere. Porro præter juramenta prædicta, idem Henricus ſuorum inhærens prædeceſſorum veſtigiis, priuſquam ingrederetur Italiam, vel ibidem jura aliqua exerceret, ſub teſtimonio ſuarum patentium literarum in manibus dilecti filii Joannis de Mollianis *c*, ſcholaſtici Eccleſiæ Tullenſis, capellani noſtri, ad hoc ſpecialiter per nos miſſi noſtro & præfatæ Eccleſiæ nomine recipientis promiſit, & tactis ſacroſanctis Evangeliis juramento firmavit, quod eandem Eccleſiam & fidem catholicam pura fide totiſque viribus conſervaret reverenter, & etiam defenſaret, omnemque hæreſim, ſchiſma, & hæreticos quoslibet, fautores, receptatores, & defenſores ipſorum exterminaret pro poſſe: ac nunquam cum Sarraceno, Pagano, Schiſmatico, ſeu alio quolibet communionem *d* catholicæ fidei non habente, aut cum aliquo.

---

a *Vid. Bart. in leg. ſciendum ff. de verbor. oblig.* b *Vide c. ad Apoſtolica. de re judic. lib 6. q. 1. c. eſtote. & 97. diſtinct. nobiliſſimus. Font.*

a *Dictio*, procuratorem, *deeſt in antiquiorib. cod.* b *Dictio*, prædicta, *deeſt in antiquior. codicib.* c *al. Melanis.* d *Ad hæc vid. l. non dubito. ff. de capt. & Innoc. cap. 1. de ſchiſ. Dd. in cap. quod ſuper his. de vo. Font.*

aliquo alio præfatæ Eccleſiæ inimico, vel rebelli, ſeu eidem manifeſte ſuſpecto, unionem quamlibet ſeu parentelam aut confœderationem iniret, ſed tam noſtram, quam ſucceſſorum noſtrorum perſonas, honorem & ſtatum manuteneret, defenderet & conſervaret contra omnes homines cujuſcunque exiſterent præeminentiæ, dignitatis vel ſtatus. Eidem etiam *a* adjiciens juramento, quod manuteneret ſemper atque ſervaret privilegia omnia per prædeceſſores ſuos Reges ac Imperatores Romanos, præfatæ Romanæ, & aliis quibuslibet Eccleſiis quocunque conceſſa tempore, & continentiæ cujuſcunque: Ipſaque omnia, & ſpecialiter ac præcipue per claræ memoriæ Conſtantinum, Carolum, Henricum, Ottonem quartum, Fridericum ſecundum, atque Rodulphum prædeceſſores ipſius ſuper conceſſione, recognitione, advocatione, annotatione, quittatione, & libera dimiſſione terrarum & provinciarum Romanæ Eccleſiæ ubilibet poſitarum, quarum etiam multas nominatim expreſſit, ſedi Apoſtolicæ Romaniſque Pontificibus ſuper *b* quocunque tenore conceſſa recognovit, confirmavit, & ex certa ſcientia innovavit, ac etiam de novo conceſſit: & terras ipſas atque provincias recognovit ad jus & proprietatem ipſius Eccleſiæ pleniſſime pertinere: eaſque nihilominus ex abundanti de novo Eccleſiæ ſæpefatæ donavit, ſub prædicto ſe obligans juramento, quod ipſas, aliquamve ipſarum partem nullo unquam tempore occuparet, ſeu (quantum in eo eſſet) ab alio permitteret occupari. Nec in eis, aut aliqua parte ipſarum jura aliqua, poſſeſſiones, aut tenutas haberet, ſeu quomodolibet poſſideret, nec in eis etiam poteſtariæ ſeu cujuſvis capitaniæ, aut juriſdictionem quamcunque per ſe, vel per alium exerceret, quodque (ut Princeps catholicus & ſæpe dictæ Eccleſiæ advocatus atque defenſor) ipſam juvaret, & conſiliis, & auxiliis illi aſſisteret opportunis, contra quoſcunque inobedientes & rebelles eidem, & præcipue contra occupantes ſeu turbantes terras prædictas ſeu provincias, vel partem quamlibet earundem. Sub eodem etiam juramento promiſit, quod tam ipſam Romanam Eccleſiam, quam alias Eccleſias, libertatem Eccleſiaſticam, bona, jura, Prælatos, & miniſtros Eccleſiarum ipſarum, manuteneret, conſervaret, atque defenderet ſuo poſſe. Et quod Eccleſiæ Romanæ vaſallos contra juſtitiam nullatenus offenſurus, devotos ac fideles Eccleſiæ etiam in Imperio conſtitutos benigne tractaret, nec eos opprimeret contra juſtitiam, aut (quantum in eo eſſet) per alium opprimi ſuſtineret, ſed in ſuis potius juribus & juſtitiis conſervaret. Hoc quoque juramentum, & etiam priſtinum pro eo nobis per ſuos nuntios (ut præmittitur) præſtitum, receptis ſuæ coronationis inſigniis innovavit, prout in patentibus ante coronationem ipſam, ejus regio magno ſigillo, & aliis poſt coronationem eandem, ejus Imperiali antea bulla munitis, inde confectis literis (quas in archivis Romanæ Eccleſiæ reponi, & diligenter conſervari fecimus) plenius continetur.

## *TITULUS X.*
## DE EXCEPTIONIBUS.
### CAP. UN.

*Exceptio excommunicationis opponitur dilatoriæ quandocunque, peremptorio non obſtante.* Joan. Andr.

Clemens V. *in Concilio Vienenſi.*

EXcommunicationis exceptio dilatoriæ in qualibet parte litis opponi poteſt, termino peremptorio per Judicem aſſignato, ad proponendum *a* exceptionibus declinatorias, & dilatorias, non obſtante: Servata tamen conſtitutione felicis recordationis Innocentii Papæ IV. edita circa hoc in Concilio Lugdunenſi.

a *Dictio*, etiam, *deeſt in antiquiorib. codicibus.* b *Al. ſub.*

## *TITULUS XI.*
## DE SENTENTIA ET RE JUDICATA.
### CAP. I.

*Qui tres ſententias contrarias in quavis cauſa reportavit, de illarum nullitate non agit, nec excipit ipſarum executione non facta: & reſpicit etiam pendentia.* Joan. Andr.

Clemens V. *in Concilio Vienenſi.*

UT *a* calumniis litigantium occurratur, is, qui in beneficiali vel alia quavis cauſa tres contra ſe in petitorio vel poſſeſſorio ſententias reportavit, ad agendum de nullitate ipſarum vel alicujus ex eis nullatenus admittatur, donec hujuſmodi ſententiæ plenarie fuerint executioni mandatæ. Similiter ſi ille, contra quem tres ſententiæ definitivæ latæ fuerint, ab interlocutoria vel gravamine ante prolationem ipſarum vel earum alicujus ſe appellaſſe, & cauſam appellationis hujuſmodi adhuc pendere proponat: ſententiarum prædictarum executionem tali prætextu nolumus impediri. Quæ ad cauſas qualitercunque etiam per appellationem pendentes duximus extendenda.

### CAP. II.

*Sententia lata contra citatum extra citantis territorium exiſtentem, nulla eſt ipſo jure.* h. d. Joan. Andr.

Idem.

PAſtoralis cura ſolicitudinis nobis divinitus ſuper cunctas Chriſtiani populi nationes injuncta, nos invigilare remediis ſubjectorum, eorundem periculis obviare & ſcandala removere compellit. Sane cum jamdudum inter quondam Henricum Imperatorem Romanum, & chariſſimum in Chriſto filium noſtrum Robertum Siciliæ Regem, gravis fuiſſet materia turbationis exorta, aſſerente deinde Imperatore prædicto, quod cum quibuſdam ipſius ſubditis Rex confœderationes & conſpirationes fecerat in ipſius majeſtatis offenſam: Quodque tractaverat & ordinaverat, ut civitates quædam ſub Imperii & Imperatoris ejuſdem obedientia conſiſtentes, contra eum, & Imperium rebellarent, genteſque ſui ipſius fultæ ſubſidio, nonnullas alias Imperii civitates & caſtra (inde violenter ejectis ipſius Imperatoris Officialibus) occuparunt, & pro ipſo Rege occupata tenebant: Ac alias etiam in urbe & alibi in Imperii, & Imperatoris ejuſdem contemptum, & ſuæ majeſtatis injuriam, & reipublicæ detrimentum, multa gravia fuerunt *b* per Regem eundem, ac malitiam & inſtigationem ipſius tam a ſuis ſtipendiariis, quam a ſubditis Imperatoris commiſſa.

Præhabitis per Imperatorem eundem quibuſdam proceſſibus contra eum, abſentem tamen, quamvis legitime (juxta Imperatoris aſſertionem) citatum, ac quod ſupradicta erant notoria, per imperialem interlocutoriam declarat Imperator ipſe, Regem affirmans propter præmiſſa læſæ majeſtatis criminis reum eſſe, in eum peremptorie (ut dicit) & ſufficienter citatum, ſed comparere contumaciter recuſantem, tanquam rebellem, proditorem & hoſtem Imperii, ac reum criminis ſupradicti, privationis omnium dignitatum, quocunque comprehenſarum titulo, & quibus ſe intitulabat Rex ipſe, auctoritatum quoque, honorum, provinciarum, terrarum, bonorum, jurium & juriſdictionum, tam perpetuorum, quam temporalium, & ſi quando veniret in ſuam & Imperii fortiam, mutilationis *c* etiam capitis

a *De intellectu vide Oldradum conſil. 106. incip. quod litera executoria.* b *Al. fuerant.* c *Vide l. rei capitalis. ff. de pœnis. & l. tranſigere. C. de tranſact. cum leg. criminali. C. de juriſd. omnium jud. atque l. 1. C. ne Chriſtia. man. & Felin. in c. ex literis. 11. col. de conſtit.*

UNED

pitis ſententiam promulgavit, omnem ſupplendo defectum, ſi quis forſitan fuerat ex ſolennitate juris omiſſus in proceſſibus memoratis: præmiſſa (ut aſſeruit) faciens exigente juſtitia, & de imperiali etiam poteſtate. Verum quia hujuſmodi ſententia, quæ non a diſcretione, matre virtutum, ſed a noverca juſtitiæ, voluntaria ſcilicet judicantis præcipitatione proceſſit, partus forſan ſe deteriores haberet, ſi ipſius ſententiæ inefficacia in publicum præcone juſtitia non prodiret: Nos circa eam tali uti proviſione volentes, quæ (detectis ipſius defectibus) ſeminata per eam extinguat pericula, & in ratione reddenda ſit poſteris profutura, ipſam ſubjiciendam eſſe providimus limæ juſtitiæ, ac rectæ libramini rationis. Ejuſdem igitur cauſis & continentia, necnon conditione illorum, a quo, & in quem lata fuit, diligenti & debita conſideratione penſatis, patenter ex eis illius aſtruitur evidentia nullitatis, & manifeſte arguitur temeritas promulgantis. Notorium quippe ac indubitatum exiſtit, quod grandis exercitus tempore dictorum proceſſuum & ſententiæ, continue Imperatori aſſiſtens, Regem ipſum & ſuos proſequebatur odio capitali: Piſanaque civitas, in qua lata fuit memorata ſententia, Regem capitali habebat odio notorio & antiquo. Eſto igitur, quod Rex ipſe alias ad præmiſſa fuiſſet legitime per Imperatorem citatus: nunquid venire debuit ad Judicem exercitu feroci ac grandi, ipſique citato (ut præmittitur) odioſo ſtipatum? Nunquid etiam debuit comparere in loco admodum populoſo, multum potenti, ac præfato in eum odio provocato? Quis enim auderet, vel qua ratione audere aliquis teneretur conſiſtorii talis ſubire *a* judicium, & ſe in hoſtium ſinu reponere, ac ad mortem per violentam injuriam, non per juſtitiam inferendam ultroneum ſe offerre? Hæc quidem jure timentur, hæc de more vitantur, hæc humana fugit ratio, hæc abhorret natura. Deſiperet igitur, qui citationem hujuſmodi ſaperet arctaſſe citatum. Ut *b* illud tanquam notiſſimum nullatenus omittamus, quod Regem extra diſtrictum Imperii, in regno ſcilicet Siciliæ, notorie ac continue tempore ſupradicto morantem, citare non potuit Imperator, nec citatio, ſi quam forſan de ipſo intra Imperii fines fecit, citatum extra Imperium conſtitutum arctavit. Nos quoque Regis ordinarius Judex, quod ad Imperatoris judicium citaremus, vel citari aut remitti faceremus eundem, nequaquam fuimus requiſiti: imo licet ad nos & curiam noſtram temporibus illis rumores frequenter de curia Imperatoris venirent, & juxta eum etiam quidam ex fratribus noſtris eſſent, prius tamen dictæ ſententiæ promulgatio, quam aliquid de proceſſibus antecedentibus ad audientiam noſtram pervenit. Denique licet Rex ipſe terras aliquas ab Imperatore tenere dicatur in feudum, non tamen in eis, ſed in regno præfato domicilium ſuum fovebat: unde Imperator in ipſius perſonam nullam ratione terrarum hujuſmodi (niſi ex natura feudorum) debitam ſuperioritatem habebat. Quod ſi punitio criminis intra diſtrictum imperialem commiſſi, ad Imperatorem forſan pertinuiſſe aſſeratur: Verum eſt, quidem, ſi in eodem diſtrictu fuiſſet inventus delinquens, vel ad illum de more remiſſus. Dici ne ergo ſententia meruit, quæ a Judice, qui per Regem tute adiri non potuit, & in loco notorie (ut præfertur) non tuto, in abſentem, nec citatum legitime ac inauditum per conſequens, & indefenſum, non maturo fuit judicio, ſed præcipitio, & de tanto præſertim crimine promulgata? Rurſus non eſt ſilentio relinquendum, quod ipſe Rex noſter & Eccleſiæ Romanæ ratione regni prædicti notorie ſubditus, homoque ligius & vaſallus, ac *c* in eodem regno, non ut præmittitur, in Imperio certum, continuum & notorium ſuum habens domicilium, ac originem inde trahens, Imperatori eo modo non ſubfuit, quod in eum crimen *a* læſæ majeſtatis commiſerit, quantumlibet in ſententia ſupradicta contenta veritatem indubiam continerent, ſicque nedum non jure, imo nec cum juris colore tulit Imperator ſententiam ſupradictam *b* in Regem; ex cauſa, quæ veritatis ſubſiſtentiam non habebat, propter quam etiam, quatenus in eo fuit, Regem eundem privando regno & regia dignitate, ac terris etiam aliis, & juriſdictionibus perpetuis & temporalibus, quæ ſub eo nullatenus, vel ab eo, ſed a nobis, & ſub nobis, tenebat: nec non procedendo contra Regem eundem ex illis, quæ per ipſius ſtipendiarios ac nonnullos Imperatoris ejuſdem ſubjectos per malitiam & inſtigationem Regis ipſius, contra eum fuiſſe commiſſa in urbe dicebat: cum etſi illa fuiſſent ibidem revera commiſſa, punitio tamen eorum in Regem, veluti extra diſtrictum Imperii commiſſorum, ad Imperatorem nullatenus pertineret: inhibendo etiam in eadem ſententia ſub magnarum appoſitione pœnarum, quarum aliquas ſibi applicari mandavit, ne quis dicto Regi præſumeret in ſuis reſpondere debitis, in ipſiuſve familiaritate vel ſervitio remanere, aut eidem contra ipſum Imperatorem quovis modo impendere, conſilium, auxilium vel favorem: cum debitores, ſervitores, & auxiliatores hujuſmodi extra Imperium, & in regno conſtituti prædicto nullatenus Imperatori ſubeſſent, nec ex committendis in regno eodem dictis poſſent pœnis adſtringi, vel aliqualiter condemnari per ipſum: abſolvendo quoque ab omni fidelitate, obligatione, ſervitio, promiſſione, ac pacto provincias omnes, civitates, & caſtra, & *c* loca, ipſiuſque vaſallos, & feudatarios, & alios quoslibet eidem Regi quomodolibet obligatos, cum includerentur in abſolutione hujuſmodi terræ & perſonæ nobis & Eccleſiæ Romanæ ſubjectæ, propriæ terminos poteſtatis exceſſit, in meſſem noſtram mittens perperam ſuam falcem. Cæterum defectus ſuppletio circa proceſſus adhibita ſupradictos, non tantum valet ad juſtificationem ipſorum & ſententiæ ſupradictæ, quantum ad eorum ſugillationem & notam: cum nullam ſuper præmiſſis poteſtatem haberet Imperator in Regem, ſibi alias, quam ut præfertur, non ſubditum, non citatum *d* legitime aut remiſſum, & extra diſtrictum ipſius continue ac notorie conſiſtentem: nec prædicta ſuppletio circa ſubditum etiam ad ea potuiſſet de ratione referri, per quæ de crimine præſertim ſic gravi delato defenſionis (quæ a jure provenit naturali *e*) facultas adimi valuiſſet: cum illa Imperatori tollere non licuerit, quæ juris naturalis exiſtunt. Ut igitur, ſicut memorata ſententia juris caret effectu, ſic auctoritate & nomine rei careat judicatæ, ut nec in opinione communi aut vulgi labiis nomen habere ſententiæ mereatur: ut etiam in magnum juſtitiæ ac pacis obſequium ſcandaloſis occurratur periculis, quæ cum noſtra & Eccleſiæ, provinciarum multarum, regnorum & gentium turbatione non modica poſſent occaſione ipſius pro tempore ſuboriri: Nos tam ex ſuperioritate, quam ad Imperium non eſt dubium nos habere, quam ex poteſtate, in qua (vacante imperio) Imperatori ſuccedimus: & nihilominus ex illius plenitudine poteſtatis, quam Chriſtus Rex Regum & Dominus dominantium nobis, licet immeritis, in perſona beati Petri conceſſit, ſententiam & proceſſus omnes prædictos, & quicquid ex eis ſecutum eſt vel occaſione ipſorum, de fratrum noſtrorum conſilio declaramus fuiſſe ac eſſe omnino irritos & ina-

a *alit. ita: ſubire judicium, ſe in hoſtium ſinu reponere, ad mortem, &c.* b *al. ut. id.* c *In quodam manuſcripto ita: ac in eodem regno, ut præmittitur, non Imperio certum, &c.*

a *Vid. l. Pantomimus. ff. de acq. hær.* b *al ſæpe dictam.* c *Hæc duo verba*, & loco, *deſunt in antiquior. codicibus.* d *De hac re vide* Udalricum Zaſium *l. 2. §. eodem tempore. ff. de orig. jur. Cal. in l. fin. C. de legat.* e *L. ut vim. ubi late doctores ff. de juſtit. & jure.*

UNED

& inanes, nullumque debere aut debuiſſe ſortiri effectum ſeu nocumentum, vel notam afferre cuiquam, vel quomodolibet attuliſſe. Ipſoſque nihilominus, quatenus proceſſerunt de facto, & quicquid ex eis ſecutum eſt, vel ob eos, vel in poſterum ſequi poſſet, in irritum revocamus.

## *TITULUS XII.*
## DE APPELLATIONIBUS.
### C A P. I.

*Valet Appellatio coram majore parte plurium Judicum. Sed appellato eſt appellatio, delatio, & termini præfixio intimanda.* Joan. Andr.

Clemens V. *in Concilio Vienenſi.* (*an.* 1311.)

SI a Judicibus *a* duobus aut pluribus fuerit appellandum, quia forte de facili eorum præſentia ſimul haberi non poſſet, liceat coram ipſius vel majori parte ipſorum appellare, & Apoſtolos petere ſeparatim, valebitque appellatio talis, ac ſi ſimul fuiſſet in eorum præſentia ab omnibus appellatum. Eſt tamen appellato ignoranti, appellationis, necnon delationis eorum & termini præfixionis, ſi ſubſecutæ fuerint, intimatio legitime facienda.

### C A P. II.

*Sufficit Apoſtolos peti uno contextu ſæpius & inſtanter ad quos recipiendos, ſi Judex certum terminum ſtatuat, appellans illos non petens in termino, appellationi renunciat: Idem cum Judex ſtatuit terminum juris incertum, intra quem appellans illos debite non petivit, vel oblatos recipere renuit.*

Idem.

QUamvis rigor juris expoſcat, qui appellat, debere petere Apoſtolos congruo loco & tempore ſæpius & inſtanter: Nos tamen antiquam & communem obſervantiam litigantium ſequi, & æquitatem rigori præferri volentes, decernimus ſufficere, quod per appellantem ſimul uno contextu Apoſtoli inſtanter & ſæpius poſtulentur. Verum ſi Judex a quo appellatur, certum terminum ad recipiendos Apoſtolos appellanti aſſignet, & appellans in aſſignato ſibi termino non compareat coram eo, nec petat Apoſtolos ſibi tradi, appellationi ſuæ renunciaſſe videtur. Similiter ſi Judex appellanti reſponderit, intra juris terminum Apoſtolos ſe daturum, appellationi ſuæ renunciaſſe appellans intelligitur, niſi intra dictum terminum congruo loco & tempore inſtanter, & ſæpius ſaltem uno contextu petat Apoſtolos ab eodem Judice ſibi dari *b*, vel ſi recipere recuſat oblatos.

*Ponit tres caſus, quibus appellans non habens Apoſtolos, appellationem proſequi poteſt.* h. d. Joan. Andr.

§. 1. Quod ſi Judex in termino ad dandum Apoſtolos præfixo per eum ipſos appellanti petenti non dederit: aut ſi dum peterentur Apoſtoli, reſponderit ſe daturum eoſdem, nullo termino certo ſibi præfixo, vel intra juris terminum ſe eos aſſeruerit velle dare, & poſtea per appellantem congruo loco & tempore ſæpius & inſtanter uno contextu etiam requiſitus, eos non curaverit intra eundem terminum exhibere, appellationem ſuam extunc proſequi poſſit appellans, ac ſi expreſſe fuiſſent eidem Apoſtoli denegati.

### C A P. III.

*Appellans proſequi & finire tenetur appellationem extrajudicialem intra annum a die interpoſitæ appellationis vel illati gravaminis: quo non facto (impedimento juſto ceſſante) appellatio eſt deſerta.* h. d.

Idem.

SIcut appellationem judicialem, ſic & extrajudicialem intra annum a die interpoſitionis ipſius, vel a die illati gravaminis, ubi a futuro gravamine appellatur, proſequi & finire tenetur appellans. Quod ſi juſto impedimento ceſſante non fecerit, debebit ejus appellatio deſerta cenſeri.

### C A P. IV.

*Tempus ad proſequendam appellationem ab homine vel a jure præfixum, non currit appellanti compromiſſo durante, vel de partium expreſſo conſenſu; niſi periculo imminente ex mora Judex aliud decernat.*

Idem.

QUamdiu *a* appellationis proſecutio per compromiſſum, vel alias de partium expreſſo conſenſu differtur: tempus ad proſequendum eandem ab homine vel a jure præfixum, currere nolumus appellanti: Niſi forte Judex videns, ex dilatione periculum imminere, præciperet in illa procedi.

### C A P. V.

*Ante definitivam appellanti non licet proſequi cauſas, appellatione nominatim non expreſſas: Nec proceſſus primi Judicis juſtificari vel impugnari poteſt, niſi ex actis coram eo.*

Idem.

APpellanti ab interlocutoria vel a gravamine Judicis, non licet alias cauſas proſequi, quam in appellatione ſua nominatim duntaxat expreſſas: nec proceſſus primi Judicis ex novis, aut de novo probandis juſtificari poteſt, vel etiam impugnari: ſed tantum ex illis, quæ acta fuerunt vel exhibita coram ipſo.

### C A P. VI.

*Proſecutio appellationis deſerta non impedit, quin ſententia cenſeatur in rem judicatam tranſiviſſe.* h. d. Joannes Andreas.

Idem.

SI *b* appellationem per negligentiam appellantis deſertam, appellans ipſe cum appellato, aut appellatus etiam per ſe & principaliter proſequatur, non ideo minus in rem judicatam cenſebitur tranſiviſſe ſententia, a qua fuerat appellatum.

### C A P. VII.

*A peremptoria repulſa ex alio, quam propter ineptitudinem, ſecundo appellans & ſuccumbens non auditur ſuper ea in appellatione a definitiva.* h. d. Joan. Andr.

Idem.

CUm a repulſione exceptionis peremptoriæ, ſecundo appellans ſuccumbit, non eſt in cauſa appellationis poſtmodum a definitiva emiſſæ audiendus ulterius ſuper ea: Niſi tunc rite propoſita ex eo prius repulſa fuiſſet, quia proponebatur inepte.

a *Nota quod indefinite dicitur Judicibus, in omnibus igitur cujuſcunque ſpecies Judicibus vendicat ſibi locum, ut in gloſſ. 2. Pet. de Anchar.* b *Alias, tradi.*

a *De intellectu, vide Mathesilanum in authen. ſi tamen. C. de temp. appell.* b *Pro limitatione hujus Clem. vid. Abbatem in cap. ex parte. §.2. ext. de reſc. & de materia ibidem pleniſſime Fel.*

FINIS LIBRI SECUNDI.

CLE-

# CLEMENTINARUM

## LIBER TERTIUS.

### *TITULUS I.*
### DE VITA ET HONESTATE CLERICORUM.
### CAP. I.

*Punit Clericos conjugatos, & alios perſonaliter & publice carnificum & tabernariorum officium exercentes, qui per diœceſanos nominatim & tertio moniti, illud officium non dimittunt, vel dimiſſum reaſſumunt. Excitat etiam diœceſanos contra illos Clericos, qui ſeculares actus exercent.* Joan. Andr.

Clemens V. *in Concilio Vienenſi.*

( *an.* 1311. )

DIœceſanis *a* locorum diſtricte præcipimus, ut Clericos carnificum ſeu macellariorum aut tabernariorum officium publice & perſonaliter exercentes, nominatim & tertio moneant, ut ſic ab hujuſmodi officiis intra convenientem terminum monentium ipſorum arbitrio moderandum deſiſtant, & quod ipſa nullo unquam tempore reaſſumant. Qui ſi taliter moniti ab his non deſtiterint, aut ipſa ( ut præmiſſum eſt ) exercendo reſumpſerint quandocunque, conjugati omnino, non conjugati vero in rebus, & ſi omnino incedant ut Laici, in perſonis privilegium clericale, quamdiu præmiſſis inſtiterint, eo ipſo amittant. Adverſus vero alios Clericos negotiationibus vel commerciis ſecularibus, vel officiis non convenientibus Clericali propoſito publice inſiſtentes, vel arma portantes, ſic canonica ſervare ſtudeant inſtituta, quod & illi ab exceſſibus compeſcantur hujuſmodi, & ipſi de damnabili circa hæc negligentia nequeant reprehendi.

### CAP. II.

*Præmiſſo exordio, punit* primo *Clericos beneficiatos, utentes publice virgata vel partita veſte.* Secundo *Subdiaconos & Diaconos.* Tertio, *omnes Clericos. tonſuram publice cum tali veſte portantes.* Quarto, *habentes dignitatem, perſonatum, beneficium curatum & Sacerdotes & Religioſos publice portantes talem veſtem vel inſulam.* Quinto, *punit omnes prædictos, utentes tabardo notabiliter brevi, integre foderato.* Sexto, *certas caligas Clericis interdicit.* Joan. Andr.

Idem.

QUoniam *b*, qui abjectis veſtibus proprio congruentibus ordini, alias ſumere, & in publico portare rationabili cauſa ceſſante præſumit, profeſſorum illius ordinis prærogativa ſe reddit indignum: præſenti conſtitutione ſancimus, quod quicunque Clericus virgata vel partita veſte publice utetur ( niſi cauſa rationabilis ſubſit ( ſi beneficiatus extiterit, per ſex menſes a perceptione fructuum beneficiorum, quæ obtinet, ſit eo ipſo ſuſpenſus. Si vero beneficiatus non fuerit, in ſacris tamen ordinibus citra Sacerdotium conſtitutus, per idem tempus reddatur eo ipſo inhabilis ad Eccleſiaſticum beneficium obtinendum. Idem quoque cenſemus de Clericis aliis veſtem talem ſimul & tonſuram publice deferentibus clericalem. Dignitatem vero, perſonatum, ſeu beneficium aliud obtinens, cui cura immineat animarum, nec non cæteri in Sacerdotio conſtituti, ac Religioſi quilibet, quos oportet per decentiam habitus extrinſeci, morum intrinſecam honeſtatem oſtendere, ſi ( præterquam ex cauſa rationabili ) publice veſtem ferant hujuſmodi, aut inſulam ſeu pileum *a* lineum publice portent in capite, ſint eo ipſo beneficiati videlicet a perceptione fructuum beneficiorum, quæ obtinent, ſuſpenſi per annum. Cæteri vero Sacerdotes & Religioſi quilibet, per idem tempus reddantur inhabiles ad quodcunque beneficium Eccleſiaſticum obtinendum. Sed & tales & cæteri quicunque Clerici utentes epithogio ſeu tabardo foderato uſque ad oram, & ita brevi, quod veſtis inferior notabiliter videatur: epithogium ipſum ſeculares Clerici & Religioſi adminiſtrationem habentes, teneantur intra menſem dare pauperibus. Cæteri vero Religioſi adminiſtrationem non habentes, intra idem tempus illud teneantur ſuis ſuperioribus aſſignare, in pios uſus aliquos convertendum. Alioquin beneficiati ſuſpenſionis, cæteri vero inhabilitatis pœnas prædictas, per idem tempus ſe noverint incurriſſe. Huic inſuper adjicimus ſanctioni, ut Clerici, præſertim beneficiati, caligis ſcacatis, rubeis, aut viridibus publice non utantur.

### *TITULUS II.*
### DE PRÆBENDIS ET DIGNITATIBUS.
### CAP. I.

*Clauſula inſerta literis gratioſis ſuper dignitate conceſſis, per quam provideri mandatur, ne animarum cura ( ſi dignitati imminet ) negligatur, vel per quam inhibetur electionem fieri dignitatis: non facit extendi gratiam ad dignitatem curatam, vel ad quam quis per electionem aſſumitur.* h. d. Joan. Andr.

Clemens

a *Vid. Conc. Trid. ſeſſ. 22. de reform. c. 1. & Bernardinum Diaz. in pract. crim. can. c. 63.* b *Hanc conſtitutionem innovat & amplias Conc. Trid. ſeſſ. 14. de reform. c. 6.*

a *Al. pileum juvenum.*

Clemens V. *in Concilio Vienenſi*.

SI dignitatem habenti de alia provideri mandemus *a*, diſpenſantes cum eo, ut ſimul utramque valeat retinere, de animarum cura, quæ illis vel alteri earum imminet, non habita mentione, gratia hujuſmodi velut ſurreptitia nullius penitus eſt momenti: quanquam confectis ſuper ea literis ſit inſertum, quod animarum cura (ſi dignitatibus ipſis vel alteri earum immineat) nullatenus negligatur. Ad hoc ſi alicui provideri mandemus, de dignitate ad cujuſcunque vel quorumcunque collationem, proviſionem, ſeu quamvis diſpoſitionem aliam in certa Eccleſia pertinentes, quam intra menſem duxerit acceptandam: inhibentes illi vel illis, ad quorum collationem, proviſionem, ſeu electionem, dignitates in ipſa Eccleſia pertinere noſcuntur, ne interim ad collationem ipſarum, ſeu proviſionem procedant, vel quenquam eligant ad eaſdem, de dignitate, ad quam conſuevit quis per electionem aſſumi, impetranti non poterit provideri: cum in conceſſione gratiæ (ad quam non augendam, ſed exequendam debent, quæ de inhibitione ſequuntur, referri) nullam de electione fecerimus mentionem.

C A P. II.

*Literæ ſuper proviſione Clericorum non includunt hoſpitalia, & loca ſimilia, & habentia jura ſpiritualia: niſi id exprimatur*. h. d. Joan. Andr.

Idem.

PER literas a ſede Apoſtolica, vel Legatis ipſius ſuper proviſione quorumlibet Clericorum directas, de xenodochiis, leproſariis, eleemoſynariis, ſeu hoſpitalibus (etiamſi Eccleſias vel Capellas, decimas, aut alia ſpiritalia jura noſcantur habere) nulli poſſe decernimus *b* provideri: Niſi hoc in Apoſtolicis literis caveatur expreſſe.

C A P. III.

*Quo caſu vacat una dignitas per receptionem alterius, vacant etiam plures*.

Idem.

SI plures *c* obtinens dignitates aliam dignitatem aut beneficium curam animarum habens acceptet, diſpenſatione ſuper hoc legitime non obtenta: ejus poſſeſſione adepta pacifice, dignitates, quas prius habebat, ipſo facto vacare cenſemus.

Sicut ſi dignitatem unicam obtinenti alia ſimilis conferatur, ejus pacifica poſſeſſione habita, prima de jure vacaret.

C A P. IV.

*Valet proviſio facta proprio motu Papæ tacentis beneficia proviſi, quæcunque ſint, & quotcunque*. hoc d. Joan. Andr.

Idem.

SI Romanus Pontifex de beneficio alicui motu proprio provideat: de beneficiis, quæ obtinet, non habita mentione, proviſionem ſeu gratiam hujuſmodi fore validam declaramus, qualiacunque fuerint beneficia, dignitates, aut perſonatus, cum cura vel ſine cura, & in numero quantocunque *d*, quæ is habebat, cum ſibi proviſio facta fuit.

C A P. V.

*Expectans beneficium, ad collationem Epiſcopi, devolutum ad illius Capitulum, obtinere non poterit: devolutum tamen ad Epiſcopum, vel etiam ad Papam ex cujuſcunque negligentia poterit obtinere*.

Idem.

SI de beneficio ad cujuſcunque Epiſcopi collationem ſpectante alicui conferendo ſcribamus, ſibi illud conferri non poterit, cujus collatio ex negligentia ipſius Epiſcopi ad ejuſdem Capitulum devoluta exiſtit. Licet provideri ſibi poſſit de illo etiam, cujus ad ipſum Epiſcopum ex ſui Capituli vel alterius cujſcunque, ſive ad nos ex ipſius Epiſcopi & aliorum in hoc eiſdem ſuccedentium negligentia collatio fuerit devoluta.

C A P. VI.

*Adeptus in Eccleſia dignitatem habentem Præbendam annexam, perdit primam Præbendam, quam habebat in illa*. h. d. Joan. Andr.

Idem.

SI juxta noſtri formam mandati Canonicatum & Præbendam Eccleſiæ Rutinenſis adeptus, dignitatem, quam duxerit acceptandam, ibidem expectat, Archidiaconatum *a* inibi poſt vacantem, non obſtante quod certa ſit ſibi annexa Præbenda, poterit acceptare: primaque Præbenda hoc ipſo vacabit, quod ſecundum cum Archidiaconatu prædicto pacifice fuerit aſſecutus.

## TITULUS III.

## DE CONCESSIONE PRÆBENDÆ ET ECCLESIÆ NON VACANTIS.

C A P. UN

*Decretum conditionale ante conditionis eventum non afficit poteſtatem ordinarii, vel alterius collatoris: ſecus quando acceptationi beneficii tempus adjicitur cum decreto. Et qui beneficium vacans ab executore petit vel recepit, illud intelligitur acceptaſſe: quæ vacatio nota dicitur expectanti, ex quo in loco beneficii publice ſcitur*.

Clemens V. *in Conc. Vienenſi*. (*An*. 1311.)

CUM *b* ei, quem in ſcientia reputamus idoneum, ſi per inquiſitionem executoris ſibi deputati a nobis repertus fuerit eſſe vitæ laudabilis, & converſationis honeſtæ, de beneficio certi valoris alicui provideri mandamus, adjicientes, quod de beneficio minoris valoris poſſit eidem, ſi voluerit, provideri, ac extunc etiam inane decernentes & irritum, ſi ſecus a quoquam quavis auctoritate contigerit attentari: Quia decretum hujuſmodi in eventum duntaxat prædictarum conditionum ſuum ſortitur effectum: antequam extet prima conditio, beneficium prætaxati valoris, & etiam minoris, priuſquam ſuam impetrans ſuper valore hujuſmodi voluntatem declaret, conferri libere poterit per ordinarium, aut alium executorem a nobis ad providendum de tali beneficio deputatum. Secus autem fore cenſemus, quum decreto appoſito alicui provideri mandamus de beneficio, quod intra menſem a vacationis ipſius notitia duxerit acceptandum: ut appoſitio menſis ejuſdem aliquid afferat impetranti. Quin etiam beneficium, quod acceptare poterat, petendo ſibi per ſuum executorem conferri, aut recipiendo ſibi præſenti collatum: ipſum ex hoc acceptare, & collationem taliter ſibi factam valere cenſemus. Cæterum, ut tam diuturnis vacationibus, quam fraudibus & litibus occurratur, prædictæ vacationis notitiam impetrantem interpretamur habere, ex quo ipſa vacatio in loco, vel Eccleſia hujuſmodi beneficii publice nota erit. Imputet quidem ſibi ſi hoc caſu, quo de ipſius commodo agitur, id quod per ſe, vel per alium ſcire potuerit, ignoravit.

T I-

c *De mandatis de providendo vide quod noviſſime ſancivit Concil. Tridentin. ſeſſ. 24. cap. 19.* b *Nota quod hoc verbum facit novum jus, & hoc tenet Zenz.e de hoc, de jud. decernimus. Zabarel.* c *Vide Concil. Trident. ſeſſ. 7. de reform. cap. 4. & ſeſſ. 24. de reform. cap 17.* d *Al. quotocunque.*

a *Nota, quod Archidiaconatus eſt dignitas. vide Doct. in cap. de multa. de præb. Archidiaconum, in cap. 1. de conſuet. l. 6. & Abbatem, in cap. novit. de judic.* b *Nota, quod promovendus ad beneficium, debet eſſe idoneus. de quo præter Doct. hic vide Canoniſtas in cap. ſi eo tempore. de reſcr. l. 6. & in cap. ei cui de præbend. eod. l. Abb. in c. dudum. de elect. & Fel. in c. ult. de præſumpt.*

UNED

## TITULUS IV.
## DE REBUS ECCLESIÆ NON ALIENANDIS.
### CAP. I.

*Religioſus, qui concedit alicui ad vitam vel certum tempus jura, reditus vel poſſeſſiones adminiſtrationis, cui præeſt, ſuſpenſus eſt ab officio, niſi duo concurrant: nec valet conceſſio, duos caſus excipit.* h. d. Joan. Andr.

Clemens V. *a in Conc. Vienenſi.*

(*An.* 1331.)

MOnaſteriorum, & aliarum adminiſtrationum regularium diſpendiis occurrere cupientes, perpetuo prohibemus edicto *b*, ne quis Religioſus monaſterio, prioratui, Eccleſiæ, ſeu adminiſtrationi cuivis præſidens, jura, reditus, aut poſſeſſiones ejuſdem, alicui ad vitam ejus, ſeu aliud certum tempus, pecunia etiam inde recepta quovis modo concedat: niſi neceſſitas aut utilitas monaſterii, prioratus, Eccleſiæ aut adminiſtrationis hujuſmodi hoc expoſcat, Conventus ſui, aut ſi Conventum non habeat, Prælati proprii aſſenſu ad hoc nihilominus accedente. Si quis autem contra hoc fecerit *c*, pœnam ſuſpenſionis ab officio eo ipſo incurrat, nec ex conceſſione ipſius recipienti jus aliquod acquiratur. Verum præmiſſa ad locationes vel etiam redituum aut fructum venditiones, ad tempus modicum faciendas, declaramus ullatenus non extendi.

### CAP. II.

*Epiſcopus unire poteſt Eccleſiam alteri, vel loco religioſo donare, etiam non vocato rectore, vel defenſore.* hoc dic. Joan. Andr.

Idem.

SI *d* una Eccleſia alteri Eccleſiæ, ſeu dignitati alicui vel præbendæ per Epiſcopum, ſuo conſentiente Capitulo uniatur, aut religioſo loco donetur, ex eo quod rector ipſius ad hoc vocatus, vel ſi vacabat, defenſor ei ſuper hoc datus non extiterit, nequaquam id poterit impugnari. Quod ſi Epiſcopus (ſui etiam Capituli accedente conſenſu) menſæ ſuæ, vel ipſi Capitulo aliquam duxerit Eccleſiam uniendam; hoc irritum eſſe decernimus & inane; contraria quavis conſuetudine non obſtante.

## TITULUS V.
## DE RERUM PERMUTATIONE.
### CAP. UN.

*Collatio de beneficiis cauſa permutationis vacantibus facta aliis, quam permutantibus, non tenet.* h. d. Joan. Andr.

Clemens V. *in Conc. Vienenſi.*

NE conceſſione juris utentibus præſertim circa ſpiritualia illudatur, ſi qua *e* beneficia ex cauſa permutationis, ab aliquibus reſignata, aliis quam ipſis permutare volentibus conferantur, nullius hoc eſſe volumus firmitatis.

## TITULUS VII.
## DE TESTAMENTIS ET ULTIMIS VOLUNTATIBUS.
### CAP. UN.

*Ordinarius loci rationem exigit a Religioſis etiam exemptis de teſtamentorum executionibus, quas geſſerunt: & ſi circa id deliquerint, illos punit.*

Clemens V. *in Conc. Vienenſi.*

REligioſis etiam exemptis, deputatis ad executionem cujuslibet ultimæ voluntatis*, circa ipſius executionis officium (quod utique non poſſunt, niſi a ſuperiori ſuo petita ſuper hoc licentia & obtenta, ſuſcipere) volentes præſcindere materiam delinquendi: præſentis conſtitutionis auctoritate ſtatuimus, quod tales etiamſi prælationis fungantur officio, locorum ordinariis debitam reddere, ipſique ordinarii ab eiſdem abſque dolo, fraude ſeu negligentia de ſuſceptæ executionis officio teneantur exigere rationem. Illos, quos circa id deliquiſſe repererint, in aliorum exemplum pœna debita (quocunque non obſtante privilegio) puniturí.

## TITULUS VII.
## DE SEPULTURIS.
### CAP. I.

*Excommunicati ſunt etiam exempti, qui in caſibus non permiſſis defunctos ſepeliunt in cœmeteriis tempore interdicti: vel qui ſcienter ſepeliunt excommunicatos publice, nominatim interdictos, vel manifeſtos uſurarios.* Joan. Andr.

Clemens V. *in Conc. Vienenſi.*

EOS *a*, qui propriæ temeritatis audacia defunctorum corpora, non ſine contemptu clavium Eccleſiæ, in cœmeteriis interdicti tempore, in caſibus non conceſſis a jure, vel excommunicatos publice, aut nominatim interdictos, vel uſurarios manifeſtos ſcienter ſepelire præſumant: decernimus ipſo facto excommunicationis ſententiæ ſubjacere: a qua nullatenus abſolvantur, niſi prius ad arbitrium diœceſani Epiſcopi eis, quibus per præmiſſa fuerit injuria irrogata, ſatisfactionem exhibuerint competentem; Nullo eis circa præmiſſa exemptionis, vel quovis alio privilegio, ſub quacunque forma verborum conceſſo, aliqualiter ſuffragante.

### CAP. II.

*Pars, quæ titulum reſpicit, hoc intendit: Prædicatores & Minores in locis ſuis libere ſepeliunt illos, qui hoc libere elegerint. De funeralibus tamen, & quibuſcunque obventionibus & relictis, etiam de quibus alias non debetur canonica, quartam & non ultra ſolvent Eccleſiæ parochiali.* h. d. Joan. Andr.

Idem *in eodem.*

DUdum a Bonifacio Papa VIII. prædeceſſore noſtro infraſcripta edita decretali, Benedictus Papa undecimus prædeceſſor noſter aliam illius revocatoriam promulgavit: quæ quia (ut probavit effectus) nedum pacis ab auctore ipſius ſperatæ fructum non attulit, quinimo diſcordiæ, pro qua ſedanda proceſſerat, fomentum non modicum miniſtravit: nos eam omnino caſſantes, aliam a præfato Bonifacio editam, ſacro inſtante & approbante Concilio innovamus, ſubjicientes tenorem illius, qui dignoſcitur eſſe talis: Bonifacius Epiſcopus ſervus ſervorum Dei, ad perpetuam rei memoriam. Super cathedram præeminentiæ paſtoralis divina diſponente clementia conſtituti, etſi multis & arduis, quæ in amplum Romanæ curiæ alveum undique confluunt quaſi torrens, prægravemur negotiis, curis excitemur innumeris, cogitationibus plurimis diſtrahamur, circa id tamen ferventibus *b* votis intendimus, vacamus inſtantius, ac operoſæ ſtudium ſolicitudinis impertimur, ut ad divini nominis *c* gloriam, exaltationem catholicæ fidei, & profectum fidelium animarum (præciſis radicitus diſſidiorum vepribus, & litigiorum anfractibus omnino ſubductis) inter Eccleſiarum antiſtites, ad curam

a *Al. ita: Idem.* b *Propter expreſſionem hujus verbi hac conſtitutio ab omnibus ut lex generalis eſt ſervanda: ut l. 4. C. legibus. Boniſacius de Vital.* c *Al. attentaverit.* d *Circa uniones vide ſtatuta in Conc. Trident. ſeſſ. 7. de reform. c. 6. & ſeſſ. 24. de reform. cap. 13. & 15. & ſeſſ. 25. de reform. c. 9.* e *In vetuſt. cod etiam impreſſis conſtanter legitur ita: ſi beneficia ex cauſa, &c.*

a *De intellectu Vide Decium in c. ad hac. ext. de privil.* b *Alias, frequentibus.* c *Al. numinis.*

UNED

ram & regimen gregis Dominici deputatos, cæteraſque Perſonas, quas ordo clericalis includit, pacis tranquillitas vigeat, fervor charitatis exæſtuet, invaleſcat concordiæ unitas [a], animorum identitas perſeverat. Scimus enim, & ex evidentia facti colligimus, quod non niſi in pacis tempore bene colitur pacis auctor: nec ignoramus, quod diſſenſiones & ſcandala pravis actibus aditum præparant, rancores & odia ſuſcitant, & illicitis moribus auſum præbent. Ab olim ſiquidem inter Prælatos & Rectores, ſeu Sacerdotes ac Clericos parochialium Eccleſiarum, per diverſas mundi provincias conſtitutos ex una parte, & Prædicatorum & Minorum ordinum fratres ex altera (pacis æmulo, ſatore [b] zizaniæ procurante) gravis & periculoſa diſcordia extitit ſuſcitata, ſuper prædicationibus fidelium populis faciendis, eorum confeſſionibus audiendis, pœnitentiis injungendis eiſdem, & tumulandis defunctorum corporibus, qui apud fratrum ipſorum Eccleſias, ſive loca noſcuntur eligere ſepulturam. Nos autem (pii patris more laudabili) moleſte ferentes incommoda filiorum, reducentes ad exactæ conſiderationis examen, ac intra pectoris clauſtra ſolicite revolventes, quam ſit plena periculis, quam onuſta diſpendiis, quamque in divinæ majeſtatis conſpectu reddatur exoſa diſcordia ſupradicta: Et propterea intendentes paternæ ſolicitudinis ſtudio illam prorſus evellere, ac omnimode ſubmovere, nullis unquam futuris temporibus favente [c] Domino ſuſcitandam: grandi quoque deſiderio cupientes, ut hujuſmodi negotium, quod potiſſime inſidet cordi noſtro, finem ſalubrem & celerem per Apoſtolicæ ſolertiæ ſtudium conſequatur, diligenti cum fratribus noſtris deliberatione præhabita ſuper eo, ad honorem Dei & exaltationem Catholicæ fidei, quietum ſtatum partium prædictarum, ac ſalutis animarum fidelium incrementum, de [d] ipſorum fratrum conſilio, auctoritate Apoſtolica ſtatuimus & ordinamus, ut dictorum ordinum fratres in Eccleſiis & locis eorum, ac in plateis communibus [e] libere valeant clero & populo prædicare, ac proponere verbum Dei: hora illa duntaxat excepta, in qua locorum Prælati prædicare voluerint, vel coram ſe facere ſolenniter prædicari, in qua prædicare ceſſabunt, præterquam ſi aliud de Prælatorum ipſorum voluntate proceſſerit, ac licentia ſpeciali. In ſtudiis autem generalibus, ubi ſermones ad clerum ex more fieri ſolent diebus illis, quibus prædicari ſolenniter conſuevit, ad funera etiam mortuorum, & infeſtis ſpecialibus, ſive peculiaribus eorundem fratrum, poſſint iidem fratres, & liceat eis libere prædicare: niſi forte illa hora, qua ſolet ad clerum in prædictis locis Dei verbum proponi, Epiſcopus vel Prælatus ſuperior clerum ad ſe generaliter convocaret, aut ex aliqua ratione, vel cauſa urgente clerum ipſum duceret congregandum. In Eccleſiis autem parochialibus fratres illi nullatenus audeant vel debeant prædicare, vel proponere verbum Dei, niſi fratres prædicti a parochialibus Sacerdotibus invitati fuerint vel vocati, & de ipſorum beneplacito & aſſenſu, ſeu petita licentia fuerit & obtenta: niſi Epiſcopus vel Prælatus ſuperior per eoſdem fratres prædicari mandaret. Statuimus etiam & ordinamus auctoritate prædicta, ut in ſingulis civitatibus & diœceſibus, in quibus loca fratrum ipſorum conſiſtere dignoſcuntur, vel in civitatibus & diœceſibus locis ipſis vicinis, in quibus loca hujuſmodi non habentur, magiſtris [f] priores provinciales Prædicatorum, aut eorum vicarii & generales [g] & provinciales miniſtri & cuſtodes Minorum ordinum prædictorum, ad præſentiam Prælatorum eorumdem locorum ſe conferant per ſe vel per fratres, quos ad hoc idoneos fore putaverint, humiliter petituri, ut fratres, qui ad hoc electi fuerint in eorum civitatibus & diœceſibus confeſſiones ſubditorum ſuorum confiteri ſibi volentium audire libere valeant, & hujuſmodi confitentibus (prout ſecundum Deum expedire cognoverint) pœnitentias imponere ſalutares, atque eiſdem abſolutionis beneficium impendere de licentia, gratia, & beneplacito eorundem. Ac deinde præfati magiſtri, priores, provinciales & miniſtri ordinum prædictorum, eligere ſtudeant perſonas ſufficientes, idoneas, vita probatas, diſcretas, modeſtas atque peritas, ad tam ſalubre miniſterium & officium exequendum: quas ſic ab ipſis electas repræſentent, vel faciant præſentari Prælatis, ut de eorum licentiam, gratia, & beneplacito in civitatibus & diœceſibus eorundem, hujuſmodi perſonæ ſic electæ, confeſſiones confiteri ſibi volentium audiant, imponant pœnitentias ſalutares, & beneficium abſolutionis in poſterum [a] impendant, prout ſuperius eſt expreſſum: extra civitates & diœceſes, in quibus fuerint deputatæ, per quas eas volumus, & non per provincias deputari, confeſſiones nullatenus audituræ. Numerus autem perſonarum aſſumendarum ad hujuſmodi officium exercendum eſſe debet, prout [b] univerſitas cleri & populi, ac multitudo vel paucitas exigit eorundem. Et ſi iidem Prælati petitam licentiam confeſſionum hujuſmodi audiendarum conceſſerint, illam præfati magiſtri, miniſtri, & alii cum gratiarum recipiant actione, dictæque perſonæ ſic electæ commiſſum ſibi officium exequantur. Quod ſi forte jam dicti Prælati quenquam ex dictis fratribus præſentatis eiſdem ad hujuſmodi officium nollent habere, vel non ducerent admittendum: eo amoto vel ſubtracto, loco ipſius ſimiliter, eiſdem præſentandus Prælatis poſſit & debeat alius ſurrogari. Si vero iidem Prælati præfatis fratribus ad confeſſiones (ut præmittitur) audiendas electis, hujuſmodi exhibere licentiam recuſarint: nos exnunc ipſis, ut confeſſionem ſibi confiteri volentium libere liciteque audire valeant, & eiſdem pœnitentias imponere ſalutares, atque eiſdem beneficium abſolutionis impertiri, gratioſe concedimus de plenitudine Apoſtolicæ poteſtatis. Per hujuſmodi autem conceſſionem nequaquam intendimus perſonis ſeu fratribus ipſis ad id taliter deputatis, poteſtatem in hoc impendere ampliorem, quam in eo curatis vel parochialibus Sacerdotibus eſt a jure conceſſa: niſi forſan eis Eccleſiarum Prælati uberiorem in hac parte gratiam ſpecialiter ducerent faciendam. Hujuſmodi quoque ſtatuto, & ordinationibus noſtris adjicimus, ut fratres dictorum ordinum in Eccleſiis vel locis ſuis ubilibet conſtitutis, liberam (ut ſequitur) habeant ſepulturam: videlicet, quod omnes ad eam recipere valeant, qui ſepeliri elegerint in locis & Eccleſiis memoratis Verum ne parochiales Eccleſiæ & ipſarum curati, ſive rectores, qui miniſtrare habent Eccleſiaſtica ſacramenta, quibus noſcitur de jure competere, prædicare ſeu proponere verbum Dei & confeſſiones audire fidelium, debitis & neceſſariis beneficiis defraudentur, cum operariis mercedis exhibitio debeatur: auctoritate Apoſtolica conſtituimus & ordinamus eadem, ut dictorum ordinum fratres, de obventionibus omnibus tam funeralibus, quam quibuſcunque & quomodocunque relictis diſtincte vel indiſtincte [c], ad quoſcunque certos vel determinatos uſus, de quibus etiam quarta, ſive canonica portio dari, ſive exigi non conſuevit, vel non debet de jure: necnon de datis vel qua-

a *Al & animorum*, b *Al. Satureque.* c *Alias ita: auctore Domino.* d *Al. ita: de fratrum noſtrorum conſilio, &c.* e *Vide l. ſicut locus. §. fin. ff. quemad. ſervitus amitt.* f *Alias, magiſter.* g *Al. generalis miniſter.*

a *Hæ duæ dictiones, in poſterum: deſunt in antiquioribus codicibus.* b *Al. ita: prout univerſitas cleri & populi multitudo, vel paucitas exigit eorundem.* c *Vide l. tutor petitus. §. 1. ff. de caſt. pec. l. a filio. §. fin. ff. de alim. & cibar. leg. Font.*

qualitercunque donatis in morte, ſeu mortis articulo in infirmitate donantis, vel dantis, de qua deceſſerit, quomodocunque directe vel indirecte fratribus ipſis, vel aliis pro eiſdem, quartam partem ( quam auctoritate Apoſtolica taxamus, & etiam limitamus ) parochialibus Sacerdotibus, & Eccleſiarum Rectoribus, ſeu curatis largiri integre teneantur. Facturi & curaturi, quod nec alii, nec aliis, a quibus quarta hujuſmodi minime deberetur, ad ipſorum fratrum utilitatem vel commodum hujuſmodi fiant relicta, aut in eos taliter data vel donata procedant, ſeu quod in morte, vel ab infirmis hujuſmodi dandum vel donandum fratribus ipſis exiſteret, in eorundem dantium vel donantium ſanitate, ſibi dari vel donari procurent: In quibus per ipſos vitandis eorum intendimus conſcientias onerare: ut ſi ( quod abſit ) per fratres ipſos dolo vel fraude, quicquam in hac parte agi fortaſſe contigerit ( præter id, quod eos propterea dictis Sacerdotibus, Rectoribus & curatis teneri volumus ) etiam diſtricta ratio in extremi judicii examine requiratur ab eis. Ultra portionem autem hujuſmodi nihil valeant parochiales rectores, curati, & Prælati exigere ſupradicti, neque illis dicti fratres amplius impendere ſint adſtricti, neque ad id a quoquam poſſint aliqualiter coerceri. Nos etenim ( ut in cunctis æqualiter & pacifice favente Domino procedatur ) univerſa privilegia, gratias, indulgentias, verbo ſeu ſcripto, ſub quacunque forma vel expreſſione ſeu conceptione verborum, a nobis vel prædeceſſoribus noſtris Romanis Pontificibus cuicunque ordinum prædictorum conceſſa, necnon conſuetudines, conventiones, ſtatuta & pacta, in quantum ſunt præmiſſis, vel alicui præmiſſorum contraria, ea penitus revocamus, vacuamus, caſſamus & irritamus: quinimo caſſa, vacua & irrita nunciamus, & decernimus nullius prorſus exiſtere firmitatis. Cæterum univerſos Eccleſiarum Prælatos cujuſcunque præeminentiæ, ſtatus, vel dignitatis exiſtant, ac Sacerdotes Parochiales & curatos, ſive Rectores prædictos, præſentium tenore rogamus, & hortamur attente, nihilominuſque *a* eis diſtricte præcipiendo mandamus, quatenus pro divina & Apoſtolicæ ſedis reverentia, prædictos ordines & profeſſores eorum habentes affectu benevolo commendatos fratribus ipſis non ſe difficiles, graves, duros, aut aſperos, ſed potius favorabiles, propitios, ac benignos, piaque munificentia liberales ſe ſtudeant exhibere: ſic eos in prædicationis officio, & *b* propoſitionibus verbi Dei, ac in omnibus & aliis ſupradictis, tanquam cooperatores eorum idoneos, & laborum ſuorum participes prompta benignitate recipiant, ac affectuoſe admittere non omittant, ut proinde illis æternæ beatitudinis præmium augeatur, & animarum ſalutis incrementa felicia procurentur. Nec ipſos lateat, quod ſi ſecus ab eis agi fortaſſe contigerit in hac parte, Apoſtolicæ ſedis benignitas, quæ ordines & profeſſores eoſdem ubere favore proſequitur, & gerit in viſceribus charitatis, contra eos non immerito turbaretur, nec eadem æquanimiter pati poſſet, quin ſuper hoc proviſionis opportunæ remedium adhiberet: ipſoſque nihilominus cœleſtis indignatio Principis digna pro meritis rependentis, cujus obſequia fratrum ipſorum ſedulitas curioſa proſequitur, minime præteriret.

## TITULUS VIII.
## DE DECIMIS, PRIMITIIS, ET OBLATIONIBUS.

### CAP. I.

*Ponit quatuor caſus, in quibus Religioſi gravantes, vel fraudantes Eccleſias, circa decimas eis debitas, ſi requiſiti per illos, quorum intereſt, non deſiſtunt intra menſem, vel de uſurpatis vel retentis intra duos menſes non fecerint emendam, ſuſpenſi ſunt ab officiis, adminiſtrationibus, & beneficiis: & talia non habentes ſunt excommunicati. Secundus, tertius & quartus caſus ibi, Seu qui.* Joan. Andr.

Clemens V. *in Concilio Vienenſi.*

RElgioſi *a* quicunque, qui novalium aut alias decimas Eccleſiis debitas ad eos ex aliqua cauſa legitima non ſpectantes, appropriare ſibi præſumpſerint, aut exquiſitis fraudibus, ſive coloribus uſurpare: Seu, qui de animalibus familiarum & paſtorum ſuorum, vel aliorum etiam animalia ipſa eorum gregibus immiſcentium: Seu, qui de animalibus, quæ in fraudem Eccleſiarum in pluribus locis emunt, emptaque tradunt venditoribus vel aliis ab ipſis tenenda: Seu, qui de terris, quas tradunt aliis excolendas, decimam ſolvi Eccleſiis non permiſerint, aut prohibuerint: niſi poſt requiſitionem per eos, quorum intererit, ſuper hoc eis factam a præmiſſis deſtiterint intra menſem, aut ſi de iis, quæ contra præmiſſa uſurpare vel retinere præſumpſerint, intra duos menſes damnificatis Eccleſiis emendam non fecerint competentem: ſint, & tamdiu maneant ab officiis, adminiſtrationibus & beneficiis ſuis ſuſpenſi, donec deſtiterint & ſatisfecerint, ut ſuperius eſt expreſſum. Quod ſi religioſi hujuſmodi adminiſtrationes, vel beneficia non habeant, eo caſu, quo alii ſupradicti ſuſpenſionis, ipſi ſententiam excommunicationis incurrant, ante ſatisfactionem condignam nullatenus abſolvendi: privilegiis non obſtantibus quibuſcunque. Cæterum præmiſſa extendi nolumus ad animalia, quæ per religioſorum ipſorum donatos ſeu oblatos tenentur: dum tamen illi religioſis eiſdem cum effectu donaverint aut obtulerint ſe & ſua.

### CAP. II.

*Decima beneficiorum alicui conceſſa, ſibi debetur ſecundum taxationem, & de moneta currente: Nec poſſunt collectores propter hoc diſtrahere, vel occupare ornamenta divinis officiis deputata.* b. d. Joan. And.

Idem *in eodem.*

SI beneficiorum decimæ cuivis ſimpliciter concedatur ad tempus, ſecundum taxationem decimæ in illis, partibus, in quibus fiet conceſſio, conſuetam, & ad monetam currentem *b* communiter ipſa decima levari poterit & debebit. Nec per collectores *c*, levatores, ſive exactores ipſius decimæ, Eccleſiarum calices, libros, & alia ornamenta divinis officiis deputata, ex cauſa pignoris vel diſtractionis capi vel recipi volumus, nec diſtrahi, ſeu quomodolibet occupari.

## TITULUS IX.
## DE REGULARIBUS ET TRANSEUNTIBUS AD RELIGIONEM.

### CAP. I.

*Profeſſi ordinum Mendicantium, etiam licite tranſeuntes ad non Mendicantes, licet adminiſtrationes habeant, non habent vocem in capitulo, etiamſi alii de Capitulo id concedant: nec deinceps conſequi poſſunt adminiſtrationes, Prioratus, vel officia, etiam tanquam Vicarii: nec pro ſe vel aliis animarum curam gerere: & irritat contra factum. Ultimo ponit cauſam exceptum.* Joan. Andr.

Cle-

*a Al. ita: nihilominus eis diſtricte præcipiendo mandantes, &c.* b *Al. & propoſitionis.* c *In antiqu. cod. etiam impreſſis deſunt hæc tria verba: primitiis & oblationibus.*

a *Vide Conc. Trid. ſeſſ. 25. de reform. c. 12.* b *Vide Geminianum conſil. 137. & Albertum Brunum conſil. 98.* c *De poteſtate collectorum, & ſubcollectorum, & an debeat conſtare per literas, vide Rotam deciſ. 266. in novis.*

Clemens V. *in Concilio Vienenſi*.

Ut profeſſores cujuſvis paupertatis ordinis eo libentius, in qua vocati ſunt vocatione perſiſtere, tranſeunteſque ad non Mendicantium ordinem in eodem converſari quietius ſtudeant; quo in ipſis diſcordiarum & ſchiſmatum productiva ambitio reprimetur *a*. Sacro concilio approbante ſtatuimus, Mendicantes quoslibet, qui ad non Mendicantium ordines etiam auctoritate Apoſtolica tranſibunt in poſterum, quive hactenus tranſiverunt, quamvis nunc Prioratus, adminiſtrationes, vel officia, aut curam animarum, vel regimen quodcunque obtineant inibi, vocem aut locum in Capitulo non habere: etiamſi hoc ſibi ab aliis libere concedatur. Ad *b* Prioratus quoque, adminiſtrationes, aut quæcunque in antea non aſſumi officia, etiam tanquam vicarios ſeu miniſtros vel locum aliorum tenentes: quodque animarum curam & regimen nec pro ſe poſſint, nec pro aliis exercere. Quicquid autem in contrarium attentatum fuerit, ſi irritum ipſo jure, quovis privilegio non obſtante. Ad illorum autem Mendicantium ordines, quos Apoſtolica ſedes eo modo ſubſiſtere *c* voluit, ut eorum Profeſſoribus ita in illis remanere liceret *d*, quod nullum extunc admitterent ad profeſſionem eorum, quibuſque conceſſit licentiam generalem ad approbatos alios ordines tranſeundi, præſentem nolumus conſtitutionem extendi.

CAP. II.

*Pubes per annum deferens habitum novitiorum, non patenter diſtinctum ab habitu profeſſorum, intelligitur profeſſus.* Joan. Andr.

Idem.

Eos, qui deinceps in diſcretionis conſtituti ætate, novitiorum habitum in aliqua religione per annum portaverint, hoc ipſo religionem illam decernimus eſſe profeſſos: Niſi hujuſmodi habitus in colore, ſciſſura, vel forma ſe diſtinctum patenter exhibeat ab habitu profeſſorum.

## *TITULUS X.*
## DE STATU MONACHORUM VEL CANONICORUM REGULARIUM.

CAP. I.

*Præmittit exordium breve, in quo conſtitutionis cauſam ponit, & generale interdictum Monachorum nigrorum circa exquiſitum ornatum, vel notabilem exceſſum in veſtibus, cibis, potibus, equitaturis, & lectiſterniis.*

Clemens V. *in Concilio Vienenſi*.

Ne in agro Dominico, ſacra videlicet Monachorum nigrorum religione, indecorum aliquid obrepat, aut vitioſum quicquam pernicioſe *e* in ſegetem coaleſcat, ſed ut in illa potius flores honoris & honeſtatis fructus in ubertate ſuccreſcant: eis in veſtibus inordinatum omnem ſeu exquiſitum ornatum, aut cultum, necnon in cibis & potibus, equitaturis & lectiſterniis, quemvis notabilem interdicentes exceſſum.

*Specialiter providet circa veſtes habitui proximas, almutias, caputia, calceamenta, zonas, cultellos, calcariæ, ſellas, & frænos ipſorum: & ultimo, circa habitum ſuperiorem.* Joan. Andr.

§. 1. Statuimus, ut ſuperior veſtis ipſorum habitui proxima, nigri, bruni, aut albi coloris exiſtat, juxta morem apud eos ſervari ſolitum in regione, qua degunt: nec in qualitate panni regularis excedatur modeſtia, nec quæratur quod pretioſius & ſubtilius, ſed quod utilius valeat inveniri. Sit etiam veſtis ipſa rotunda per circuitum & non ſciſſa, nec longitudine nimia, aut brevitate notanda: largas etiam manicas habeat uſque ad pugnum protenſas, non conſutitias vel quomodolibet botonatas. Almutiis de panno nigro vel pellibus caputiorum loco cum caputiis habitus, quem geſtaverint, ſint contenti: juxta tamen diſpoſitionem Abbatis, ſciſſis ſuper humeros, & honeſtis caputiis uti poſſint. In veſtibus ſendatum pro foderaturis non portent. Æſtivalibus largis aut botis altis pro calceamentis utantur. Nullus zonam, cultellum, calcaria cum ornatu deferre, aut cum ſella clavorum ornatu decorata ſuperfluo, vel nimis alias ſumptuoſa, ſive cum fræno ferraturam ad ornatum habente equitare præſumat. Rurſus in locis, in quibus fuerit congregatio duodecim Monachorum aut ſupra, intra ſepta monaſterii, Abbas, Prior, aut alius præſidens portet flocum de panno, pro flocis aut cucullis in ipſo monaſterio conſueto: Monachi vero alii in monaſteriis, in quibus flocos ſoliti ſunt portare, debent etiam uti eis. In aliis autem monaſteriis & intra domos & alios Prioratus, ubi non eſt tanta congregatio Monachorum, cucullas clauſas deferant & honeſtas. Cum vero Abbates, Priores, aut alios Præſidentes & monachos alios extra monaſterium proficiſci contingit, flocum, cucullam, aut capam clauſam habeant, & ſubtus capam, ſi eam portaverint, cucullam deferant, aut ſi maluerint, ſcapulare. Cum autem ad ſerviendum in divinis officiis albis vel ſacris veſtibus induentur, aut cum occupabuntur in operibus, uti eis liceat ſcapulari. Verum ne ex diverſa acceptione, quam in diverſis regionibus hujuſmodi vocabula, flocus videlicet, & cuculla dicuntur habere, hæſitandi circa præmiſſa materia relinquatur: cucullæ nomine habitum longum & amplum, ſed manicas non habentem: nomine vero floci habitum, qui longas & amplas habet manicas, nos intelligere declaramus.

*Providet circa Monachorum confeſſionem, communionem expoſitionem regulæ, & inſtructionem novitiorum.* Joanne Andreas.

§. 2. Sane *a* ſingulis menſibus tam in monaſteriis quam extra (ſublata occaſione quacunque) ad confeſſionem ſaltem ſemel accedant omnes & ſinguli Monachi. Et in prima Dominica menſis cujuslibet in monaſteriis ſemper communicent, niſi ex cauſa forte, quam Abbati, Priori, aut Pœnitentiariis monaſteriorum non differant intimare, eorumque judicio vel abſtineant vel accedant. Regula quoque cum in Capitulo legitur, ab illo, qui præeſt ipſi Capitulo, vel alio, cui hoc ipſe injunxerit, propter juniores vulgariter exponatur. Novitiis etiam fidelis deputetur inſtructor, tam in divinis officiis, quam in obſervantia regulari.

*Providet circa venationes & aucupationes Monachorum.* Joan. Andr.

§. 3. Porro a venationibus & aucupationibus omnes ſemper abſtineant, nec eis intereſſe, aut canes, vel aves venaticos per ſe vel alios tenere præſumant, nec a familiaribus ſecum morantibus teneri permittant, niſi ſaltus, vivaria, vel garenas proprias, vel jus venandi in alienis haberent, in quibus cuniculi vel feræ aliæ forſan eſſent, quo caſu hoc eis permittitur: dum tamen intra monaſteria ſeu domos, quas inhabitant, aut eorum clauſuras, venaticos canes non teneant, nec venationi præſentiam exhibeant perſonalem.

*Punit certos prædictorum tranſgreſſores: omnes alios puniri jubens juxta diſciplinam regulæ.* Joan. And.

§. 4. Si

a *Al. reprimatur.* b *In manuſcr. vetuſto ſatis & emendato ita: Ad prioratus quoslibet, adminiſtrationes, aut quæcunque etiam annua officia non aſſumi, & tanquam vicarios, ſeu miniſtros vel loca aliorum tenentes, &c.* c *Al. ſuſtinere.* d *Al. liceat.* e *Al. pernicioſam in ſegetem.*

a *Iſte §. comprehendit canonicos regulares. ne rubrica ſit ſuperflua, contra l. ſi quando. ff. de legat. 1. & c. ſolita. de major. & obed.*

§ 4. Si quis autem præmiſſorum temerarius extiterit violator, regulari ſubjaceat diſciplinæ. Et nihilominus ſi ſotulares non corrigiatos & altos, aut caputia (ut præfertur) non fiſſa portare præſumpſerit, ſiquidem Abbas, vel Prior non habens Abbatem proprium fuerit, per annum ſe noverit a beneficiorum collatione ſuſpenſum. Si vero alius fuerit, ab adminiſtratione, ſi quam obtinet, ſit per annum ſuſpenſus. Quod ſi nullam habeat, eo ipſo per annum reddatur inhabilis ad adminiſtrationem & Eccleſiaſticum beneficium obtinendum. Si qui vero eorum venationi aut aucupationi clamoſe, vel alias cum canibus aut avibus ex propoſito inter fuerint, juxta præmiſſam perſonarum diſtinctionem, dictarum ſuſpenſionis & inhabilitatis pœnas per bienninm ipſo facto incurrant. Abbate autem vel Priore a collatione (ut præmittitur) beneficiorum ſuſpenſo, ad Priorem clauſtralem, cum conſilio & aſſenſu Conventus vel majoris partis ipſius, eorundem beneficiorum collatio devolvatur.

*Providet contra profeſſos euntes ad curias Principum, vel alias vagantes, vel intra ſepta monaſterii arma tenentes*. Joan. Andr.

§. 5. Quia vero nonnulli Monachorum ipſorum (ſicut accepimus) ſuavi jugo obſervantiæ regularis abjecto, interdum (propriis relictis monaſteriis, ſe in eis ſecure morari non poſſe fingentes, vel alio colore quæſito) per curias Principum evagando diſcurrunt: & niſi a Prælatis eorum petita penſio vel ſubventio aſſignetur eiſdem, conſpirantes in illos, eiſque proditionem vel alia gravia imponentes, & eos capi & incarcerari, ipſorumque monaſteria comburi procurant, & interdum monaſteriorum ipſorum bona, in totum vel *a* in partem non modicam occupare præſumunt, Nos eorum in hac parte reprobis auſibus obviare volentes, hoc edicto perpetuo prohibemus, ne Monachi aut regulares Canonici adminiſtrationem aliquam non habentes, ad curias Principum abſque ſpeciali Prælatorum ſuorum licentia ſe conferre præſumant. Quod, ſi ut ſuis Prælatis aut monaſteriis damnum aliquod inferant *b*, ad dictas curias ſe conferre præſumpſerint, excommunicationis ſententiam eos incurrere volumus ipſo facto. Prælatis eorum diſtricte nihilominus injungentes, ut ipſos a prædictarum curiarum acceſſu, & aliis quibuslibet vagationibus & diſcurſu diligenter compeſcere, ac ſuper hoc non parentes eiſdem, ſevere corrigere non omittant. Præfatæ quoque ſententiæ, Monachos intra ſepta monaſteriorum, ſine licentia Abbatum ſuorum arma tenentes, decernimus ſubjacere.

*Providet circa Monachorum ſolitudines*. Joan. Andr.

§. 6. Ad hæc prædeceſſorum noſtrorum veſtigiis inhærentes, perpetuo paohibemus edicto, ne Monachi ſinguli in ſingulis ſibi commiſſis adminiſtrationibus vel Prioratibus habitare præſumant: Sed ſi proventus Prioratuum ſeu adminiſtrationum hujuſmodi duobus forte non ſuppetant, iidem Prioratus ſeu adminiſtrationes, niſi per Abbates ad ſuſtentationem duorum ſufficientes reddantur, locis aliis vicinioribus, ad eorum monaſteria pertinentibus, vel ipſorum monaſteriorum officiis, aut inter ſe invicem prout erit commodius, cum conſilio & aſſenſu Abbatum, per locorum, ipſorum ordinarios uniantur: Monachis locorum, quæ aliis unientur prioribus, ad clauſtrum primitus revocandis, & Clericis ſerviturіs ibidem, de locorum ipſorum proventibus proviſione debita facienda.

*Providet de Priorum ætate, & ipſorum ſacerdotio, profeſſione, & habitatione*. Joan. Andr.

§. 7. Cæterum Prioratus conventuales alicui, niſi XXV. annum attigerit: alii vero curam animarum habentes, etſi cura ipſa per ſeculares habeat Presbyteros exerceri, cuiquam niſi XX. annum peregerit, conferri nequeant aut committi. Qui autem Prioratus iſtos vel illos habuerint, intra annum computandum a tempore collationis ſeu commiſſionis ſibi factæ de eis, & poſſeſſionis eorum adeptæ, vel intra vigeſimum quintum ætatis ſuæ annum, ſi ante annum ipſum non conventuales Prioratus eis commiſſi fuerint, aut collati, ſe faciant ad ſacerdotium promoveri. Quod ſi (ceſſante rationabili cauſa) non fecerint, eo ipſo, nulla etiam monitione præmiſſa, prædictis Prioratibus ſint privati, qui ipſis iterum ea vice nullatenus conferantur. Sane prioratus aliquis, ſive adminiſtratio committi alicui vel conferri non poſſit, niſi expreſſe profeſſus fuerit ordinem monachalem: neque Prioratus aut adminiſtrationes extra monaſteria obtinentes, permittantur in monaſteriis, ſed teneantur in ipſis Prioratibus ſeu adminiſtrationibus (quacunque non obſtante conſuetudine) reſidere: niſi ex ſtudiorum vel alia cauſa rationabili ad tempus forte ab hujuſmodi reſidentia excuſentur.

*Providet de Monachorum ordinatione & ipſorum doctrina*. Joan. Andr.

§. 8. Ad ampliationem autem cultus divini, ſtatuimus, quod Monachi quilibet ad monitionem Abbatis ſe faciant ad omnes ordines ſacros (excuſatione ceſſante legitima) promoveri. Rurſus ut ipſis Monachis proficiendi in ſcientia, via opportuna non deſit, in ſingulis ipſorum monaſteriis, quibus ad hoc ſuppetunt facultates, idoneus teneatur magiſter, qui eos in primitivis ſcientiis inſtruat diligenter.

*Confirmat & innovat decretalem ſupra eodem: Cum ad monaſterium. & cap. In ſingulis*. h. d. Joan. And.

§. 9. Præmiſſa igitur omnia, & ea nihilominus, quæ felicis recordationis Innocentius Papa quartus prædeceſſor noſter, circa ſtatum Monachorum ipſorum pro uberiori cultu obſervantiæ regularis, quoad uſum camiſiarum, abdicationem proprietatis, ſilentium, & eſum carnium, ac de eorum Capitulis de triennio in triennium celebrandis, & etiam quoad quælibet alia ſtatuit (quæ omnia innovamus & approbamus) expreſſe volumus & ſtatuimus firmiter obſervari.

## C A P. II.

*Moniales, quæ nulli ſubſunt niſi Papæ, & Canonici ſeculares, per ordinarios, & alia exempta per ſuos Prælatos debent annis ſingulis viſitari. Et ponit numerum perſonarum viſitationis intereſſe debentium*. h. d. Joan. Andr.

Idem *in eodem*.

ATtendentes *a*, quod ubi gubernaculum diſciplinæ contemnitur, reſtat, ut religio naufragetur: providendum cenſuimus eſſe præcipue, ne per contemptum hujuſmodi in his, quæ ſe Chriſto voto celebri deſponderunt, quicquam reperiatur incongruum, quod in regularis ponat honeſtatis gloria maculam, & divinam merito poſſit offendere majeſtatem. Hoc igitur ſacro approbante concilio duximus ſtatuendum, ut ſingula Monialium monaſteria per ordinarios, exempta videlicet, quæ ita ſedi Apoſt. quod nulli alii ſubjecta noſcuntur, Apoſtolica: non exempta vero, ordinaria auctoritate, ac exempta alia per alios, quibus ſubſunt, annis ſingulis debeant viſitari. Viſitatores autem hujuſmodi ſollicitudinis ſtudium diligenter impendant, ut Moniales ipſæ (quarum nonnullas dolentes audivimus in ſubſcriptis excedere) pannis ſericis, variorum foderaturis, ſandaliis, comatis & cornutis crinibus, ſcacatis & virgatis caputiolis non utantur: non choreas, non feſta ſecularium proſequantur: non die noctuve per vicos & plateas incedant, aut voluptuoſam alias vitam ducant, eaſque ſolertius retrahant ab inſolentiis quibuslibet & mundi hujus illecebris, ac inducant eaſdem ad impendendum in mona-

a *Al. ita: vel in parte non modica.* b *Vide l. quiſquis. C. ad leg. Jul. majeſt. & Joan. Andr. in c. in pœnis. de reg. jur. lib. 6.*

a *Vide Conc. Trid ſeſſ. 25. tit. de regularibus c. 9.*

UNED

monaſteriis ſuis devotum & debitum virtutum Domino famulatum. Ad quæ omnia obſervanda Moniales eaſdem (non obſtantibus exemptionibus & privilegiis quibuſcunque, quibus tamen quoad alia nolumus præjudicium generari) per illos, de quibus ſupra dictum eſt, compelli jubemus remediis opportunis. Statuimus inſuper, ut quævis ad regimen Abbatiarum aſſumptæ, in monaſteriis, in quibus Abbatiſſæ ſunt ſolitæ benedici, intra annum a ſuæ confirmationis tempore computandum *a* munus benedictionis ſuſcipiant, alioquin a jure ſuo (niſi ſubſit cauſa rationabilis) prorſus ſe noverint cecidiſſe: per illos, ad quos id pertinet, proviſione de Abbatiſſis monaſteriis ipſis canonice facienda. Illas quoque *b* mulieres, quæ vulgo dicuntur Canonicæ ſeculares, & ut ſeculares Canonici vitam ducunt, non renunciantes proprio, nec profeſſionem aliquam facientes, per locorum ordinarios, ſi exemptæ non fuerint, ſua: ſi vero exemptæ fuerint, Apoſtolica auctoritate præcipimus viſitari: Per hoc tamen non intendentes earum ſtatum, regulam, ſeu ordinem approbare. Ipſos autem viſitatores Notariis duobus, & perſonis duabus ſuæ Eccleſiæ, quatuorque viris aliis honeſtis utique & maturis præcipimus in ea, quam viſitando facient, inquiſitione fore contentos. Si qui vero viſitatores ipſos in præmiſſis impedire præſumpſerint, ſeu aliquo præmiſſorum (niſi moniti reſipiſcant) ipſo facto excommunicationis ſententiam ſe noverint incurſuros, privilegiis, ſtatutis & conſuetudinibus quibuſlibet in contrarium minime valituris.

## *TITULUS XI.*

## DE RELIGIOSIS DOMIBUS, UT EPISCOPO SINT SUBJECTÆ.

### CAP. I.

*Mulieres ſtatum Beguinarum ſectantes, & de novo aſſumentes, ac Religioſi in hoc dantes conſilium vel favorem, ipſo facto ſunt excommunicati: ſtatus tamen pœnitentialis per hoc non interdicitur*: ſecundum Paulum.

Clemens V. *in Concilio Vienenſi*.

( *an.* 1311. )

CUm de quibuſdam mulieribus, Beguinabus vulgariter nuncupatis (quæ cum nulli promittant obedientiam, nec propriis renuntient, neque profiteantur aliquam regulam approbatam, religioſæ nequaquam exiſtunt, quanquam habitum, qui Beguinarum dicitur, deferant, & adhæreant Religioſis aliquibus, ad quos ſpecialiter trahitur affectio earundem) nobis fide digna relatione inſinuatum extiterit, quod earum aliquæ, quaſi perductæ in mentis inſaniam, de ſumma Trinitate ac divina Eſſentia diſputent & prædicent, ac circa fidei articulos & Eccleſiaſtica ſacramenta opiniones catholicæ fidei contrarias introducant, & multos ſuper his decipientes ſimplices, eos in errores diverſos inducant, aliaque quamplura periculum animarum patientia *c* ſub quodam velamine ſanctitatis faciant & committant: Nos tam ex his, quam ex aliis de ipſarum opinione ſiniſtra frequenter auditis, eas merito ſuſpectas habentes, ſtatum earundem ſacro approbante Concilio perpetuo duximus prohibendum, & a Dei Eccleſia penitus abolendum: eiſdem & aliis mulieribus quibuſcunque ſub pœna excommunicationis, quam in contrarium facientes incurrere volumus ipſo facto, injungentes expreſſe, ne ſtatum hujuſmodi, dudum forte ab ipſis aſſumptum, quoquo modo ſectentur ulterius, vel ipſum aliquatenus de novo aſſumant. Prædictis vero Religioſis, per quos eædem mulieres in hujuſmodi Beguinagii ſtatu foveri, & ad ipſum ſuſcipiendum induci dicuntur, ſub ſimili excommunicationis pœna, quam eo ipſo quod ſecus egerint, ſe noverint incurſuros, diſtrictius inhibemus, ne mulieres aliquas prædictam ſtatum (ut præmittitur) dudum aſſumptum ſectantes, aut ipſum de novo forſitan aſſumentes quomodocunque admittant: ipſis ſuper eo ſectando vel aſſumendo præbentes ullo modo conſilium, auxilium, vel favorem, nullo contra præmiſſa privilegio valituro. Sane per prædicta prohibere nequaquam intendimus, quin ſi fuerint fideles aliquæ mulieres, quæ promiſſa continentia, vel etiam non promiſſa, honeſte in ſuis converſantes hoſpitiis, pœnitentiam agere voluerint, & virtutum Domino in humilitatis ſpiritu deſervire, hoc eiſdem liceat, prout *a* Dominus ipſis inſpirabit.

### CAP. II.

*Ponens conſtitutionis cauſam, ſtatuit hoſpitali reformari per Collatores ipſorum, & cogi Rectores eorum ad conſervationem locorum & ſuorum jurium, & ad hoſpitalitatem tenendam: ſtatuens per locorum ordinarios ſuppleri defectum vel negligentiam Collatorum, etiam circa exempta*. Joannes Andreas.

Idem.

QUia contingit interdum, quod xenodochiorum, leproſariarum, eleemoſynariarum, ſeu hoſpitalium Rectores, locorum ipſorum cura poſtpoſita, bona, res & jura ipſorum interdum ab occupatorum & uſurpatorum manibus excutere negligunt: quinimo ea collabi & deperdi, domos & ædificia ruinis deformari permittunt, & non attento, quod loca ipſa ad hoc fundata, & fidelium erogationibus dotata fuerunt, ut pauperes, infectique lepra reciperentur inibi, & ex proventibus ſuſtentarentur illorum, id renuunt inhumaniter facere, proventus eoſdem in uſu ſuos damnabiliter convertentes *b*: cum tamen ea, quæ ad certum uſum largitione ſunt deſtinata fidelium, ad illum debeant, non ad alium (ſalva quidem ſedis Apoſtolicæ auctoritate) converti: Nos incuriam & abuſum hujuſmodi deteſtantes, hoc ſacro Concilio approbante ſancimus, ut hi, ad quos id de jure vel ſtatuto in ipſorum fundatione locorum appoſito, aut ex conſuetudine præſcripta legitime, vel privilegio ſedis Apoſtolicæ pertinet, loca ipſa ſtudeant in prædictis omnibus ſalubriter informare, ac occupata, deperdita, & alienata indebite, in ſtatum reduci debitum faciant, & ad ipſarum miſerabilium perſonarum receptionem & ſuſtentationem debitam, juxta facultates & proventus locorum ipſorum Rectores prædictos compellere non omittant. In quo, ſi forte commiſerint negligentiam vel defectum, ordinariis locorum injungimus, ut etiamſi pia loca prædicta exemptionis privilegio munita conſiſtant, per ſeipſos vel alios impleant omnia præmiſſa & ſingula, & Rectores eoſdem utique non exemptos, propria: exemptos vero & alios privilegiatos, Apoſtolica ad id auctoritate compellant. Contradictores cujuſcunque ſtatus aut conditionis exiſtant, ac præbentes eiſdem circa præmiſſa conſilium, auxilium, vel favorem, per cenſuram Eccleſiaſticam & aliis juris remediis compeſcendo: nullam tamen per hoc exemptionibus ſeu privilegiis ipſis, quoad alia, præjudicium generando.

*Præcipit hoſpitalia in beneficium non concedi, niſi in duobus caſibus, & reprobat contrariam conſuetudinem, ſubmittens, quales eſſe debeant, quibus adminiſtratio ipſa committitur, & de ipſorum juramento, inventario & ratione reddenda, & decretum opponit*. Joan. Andr.

§. 1. Ut autem præmiſſa promptius obſerventur, nullus ex locis ipſis ſecularibus Clericis in beneficium conferatur, etiamſi de conſuetudine (quam reprobamus penitus)

a *al. numerandum.* b *Vide Archidiaconum in c. ſi quis ſuadente. 7. qu. 4.* c *al. parantia.*

a *al. ita: prout ipſis Dominus miniſtrabit.* b *Ad hunc locum vid. l. legatum. ff. de adminiſt. rerum ad civit. pert. c. recvera. de conſ. diſt 2. ver. not. c. quamvis. de pœn. lib. 6.* c *al. injuriam.*



UNED

nitus ) hoc fuerit obſervatum, niſi in illorum fundatione ſecus conſtitutum fuerit, ſeu per electionem ſit de Rectore locis hujuſmodi providendum. Sed eorum gubernatio viris providis, idoneis, & boni teſtimonii committatur, qui ſciant, velint, & valeant loca ipſa, bona eorum, ac jura utiliter regere, & eorum proventus & reditus in perſonarum uſum miſerabilium fideliter diſpenſare, & quos in uſus alios bona prædicta convertere præſumptio veriſimilis non exiſtat: in quibus ſub obteſtatione divini judicii illorum, ad quos dictorum locorum commiſſio pertinet, conſcientias oneramus. Illi etiam, quibus dictorum locorum gubernatio ſeu adminiſtratio committetur, ad inſtar tutorum & curatorum juramentum præſtare, ac de locorum ipſorum bonis inventaria *a* conficere, & ordinariis ſeu aliis, quibus ſubſunt loca hujuſmodi, vel deputandis ab eis, annis ſingulis de adminiſtratione ſua teneantur reddere rationem. Quod ſi ſecus a quoquam fuerit attentatum, collationem, proviſionem, ſeu ordinationem ipſam carere decernimus omni robore firmitatis.

*Declarat conſtitutionem non extendi ad hoſpitalia Religioſorum & militarium ordinum* h. d. —

§. 2. Præmiſſa vero ad hoſpitalia militarium ordinum, aut religioſorum etiam aliorum extendi minime volumus: quorum tamen hoſpitalium Rectoribus in ſanctæ obedientiæ virtute mandamus, ut in illis ſecundum ſuorum ordinum inſtituta & antiquas obſervantias providere pauperibus, & hoſpitalitatem debitam in illis tenere procurent: ad quod per ſuperiores eorum arcta *b* diſtrictione cogantur: ſtatutis aut conſuetudinibus quibuslibet non obſtantibus in præmiſſis.

*Conſervat antiquas conſuetudines talium locorum, circa divina officia & ſacramenta.* Joan. Andr.

§. 3. Cæterum noſtræ intentionis exiſtit, quod ſi qua ſint hoſpitalia, altare, vel altaria, & cœmeterium ab antiquo habentia, & Presbyteros celebrantes & ſacramenta Eccleſiaſtica pauperibus miniſtrantes, ſeu ſi parochiales Rectores conſueverint in illis *c* exercere præmiſſa, antiqua conſuetudo ſervetur, quoad exercenda & miniſtranda ſpiritualia ſupradicta.

## TITULUS XII.
## DE JURE PATRONATUS.
### CAP. I.

*Si præſentatis ad Eccleſias per patronos Eccleſiaſticos, in quibus ipſi non conſueverunt omnia onera ſupportare, non aſſignetur intra terminum competentem congrua portio, diœceſanus eam aſſignare debebit. Quod locum non habet, quando onera ſunt per patronos ſupportanda.* h. d. Joan. Andr.

Clemens V. *in Concilio Vienenſi.* ( *an.* 1311. )

UT conſtitutio, quæ ad Eccleſiam aliquam quemvis etiam ad exemptorum præſentationem admitti, conſuetudine non obſtante contraria, prohibet, niſi præſentato de proventibus ejuſdem Eccleſiæ, talis coram diœceſano portio fuerit aſſignata, unde jura poſſit Epiſcopalia ſolvere, & ſuſtentationem habere congruam, ſicut expedit, obſervetur, ipſam declarare, ac *d* quædam adjicere conſulta hujuſmodi ſacri Concilii approbatione providimus: Diœceſanis ſub obteſtatione divini judicii diſtrictius inhibentes, ne præſentatum aliquem per quamcunque perſonam Eccleſiaſticam jus præſentandi ad Eccleſiam aliquam habentem admittant, niſi intra certum terminum competentem per diœceſanos *e* ipſos præſentantibus præfigendum, ipſi præſentato fuerit coram eis ( ut præſcribitur *f* ) congrua de proventibus Eccleſiæ portio aſſignata. Quam ſi forſan iidem præſentantes intra terminum ipſum aſſignare neglexerint, ne factum eorum noceat præſentato, ſtatuimus, ut extunc diœceſani debeant præſentatum ( niſi aliud canonicum obſiſtat ) admittere, & in pœnam præſentantium ad diœceſanos ipſos poteſtas aſſignationis hujuſmodi devolvatur. Præcipimus autem diœceſanis eiſdem, ſub ipſius obteſtatione divini judicii, ipſorumque conſcientias oneramus, quod moderationem portionis *a* ipſius debite faciant, nec odio vel favore, vel alias in pluri vel minori circa illam ſcienter excedant. Sane in prioratuum vel aliorum, tam regularium, quàm ſecularium locorum Eccleſiis, in quibus Religioſi vel alii, ad quos eorum reditus pertinere noſcuntur, prædicta conſueverunt onera ſupportare, præmiſſa nullatenus obſerventur: ſed onera omnia, quæ Eccleſiarum ipſarum perpetuis Presbyteris, aut Vicariis incumberent, ſi dicta eis aſſignatio facta eſſet, Religioſi & alii ſupradicti plene ſubire, ac Presbyteros, ſeu Vicarios ipſos decenter tractare, necnon ſuſtentationem eis præſtare ſufficientem & congruam teneantur. Ad quæ omnia integraliter adimplenda, & nihilominus ab obſervationem debitam aſſignationis per diœceſanum in caſu alio ( ut præmittitur ) faciendæ, Religioſos prædictos, & alios quoslibet a diœceſanis eiſdem Eccleſiaſtica volumus cenſura compelli: Non obſtantibus exemptionibus aut aliis quibuslibet privilegiis, conſuetudinibus, vel ſtatutis, quæ circa præmiſſa, vel aliorum aliquod Religioſis ipſis aut aliis, in nullo volumus ſuffragari.

### CAP. II.

*In plures hæredes unius ex pluribus patronis tranſit jus patronatus per ſtirpes.* h. d. Joan. Andr.

Idem.

PLures *b* ab uno ex patronis Eccleſiæ relicti hæredes, vocem duntaxat unius habebunt in præſentatione Rectoris. Et ( ut facilius provideatur Eccleſiis ) non inconveniens reputamus, patronos ipſos inter ſe poſſe libere convenire de Rectore ab eis alternis vicibus præſentando: Quibus etiam ex eadem cauſa permittimus, ut plures ad vacantem Eccleſiam poſſint eo modo præſentare perſonas, quod una ex eis eligi per Epiſcopum valeat & admitti.

## TITULUS XIII.
## DE CENSIBUS, EXACTIONIBUS, ET PROCURATIONIBUS.
### CAP. I.

*Religioſi ſubire tenentur onera, quæ incumbebant Eccleſiis per eos ante hoc Concilium acquiſitis: niſi privilegio, exemptione vel alia juſta cauſa juventur: quæ privilegia vel exemptiones non juvant in Eccleſiis poſt Concilium acquirendis.* h. d. Joan. Andr.

Clemens V. *in Concilio Vienenſi.*

CUm ſit naturæ conſonum, illos non recuſare onera, qui rerum commoda complectuntur, hac in perpetuum valitura conſtitutione ſancimus, ut Religioſi quicunque pro monaſteriis & Eccleſiis, quæ ad eos quocunque ſint titulo devoluta, procurationes Legatorum ſedis Apoſtolicæ, ac jura Epiſcopalia, & alia præſtari pro ipſis, antequam ad eos perveniſſent, ſolita, prompte ſolvere ſtudeant: niſi forſan ſedis Apoſtolicæ privilegio, exemptione, vel alia cauſa legitima, ab his ſe valeant excuſare. Privilegia vero, ſeu exemptiones hujuſmodi ad monaſteria, ſeu Eccleſias, quæ ad eos obvenire continget, in poſterum volumus non extendi.

CAP.

a *al. Inventarium.* b *al. Eccleſiaſtica.* c *al. ita: in illis partibus &c.* d *In antiquiorib. codicibus conſtanter legitur ita: ac ei quædam &c.* e *ad Epiſcopos.* f *al. præmittitur.*

a *al. penſionis.* b *De intellectu vide Lambertin. de jure patron. art. 12. q. 1. part. 1. num. 5.*

CAP. II.

*Ponit quadam gravamina, qua Prælati inferebant exemptis, præcipue Ciſtercienſibus, & illa fieri prohibet: ſtatuens, quod Epiſcopi, qui in monaſteriis Ciſtercienſis ordinis charitative procurantur, ſint contenti cibariis, qua per illos ſibi miniſtrantur. Si vero procurantur ex debito, ipſis volentibus carnes miniſtrari, debent extra ſepta monaſterii, vel ſaltem extra portam, qua dicitur Regularis. Ipſorum etiam Eleemoſynarii fragmenta menſarum poſſunt pauperibus erogare.* h. d. Joan. Andr.

Idem.

AD *a* noſtrum (quod dolentes referimus) pervenit auditum, quod Eccleſiarum Prælati ad monaſteria Ciſtercienſis ordinis accedentes, licet ab eis charitative recipiantur, & eis curialiter neceſſaria miniſtrentur, cibis tamen regularibus non contenti, contra privilegia dicti ordinis carnes petunt, & ſi eis non miniſtrentur, auferunt violenter. Et licet in locis eiſdem fiant eleemoſynæ competenter, ipſi tamen Prælati ipſis Religioſis invitis alias eleemoſynas faciunt, etiam in aliquibus locis, in quibus procurationes non habent, de conſuetudine vel de jure. Pro equitaturis quoque ferrandis, licet ferris non egeant, & coci eorum ſui officii ratione pecuniam exigunt & extorquent: Nec compoſitiones ſuper procurationibus inter Prælatos ipſos & eos initas eis ſervant. Ipſis etiam in recipiendis procurationibus ita graves exiſtunt, quod ipſis in eorum monaſteriis & Eccleſiis procurationes recipientibus, longi temporis victum brevis hora conſumit: & dum procurationes recipiunt, canes venaticos, falcones & accipitres ſecum habent. Et niſi voluntati ſatisfiat eorum, valvæ monaſteriorum ſeu Eccleſiarum per violentiam ſæpe franguntur, & ornamenta Eccleſiæ exportantur, pluresque procurationes recipiunt una die ſedis Apoſtolicæ privilegio non ſuffulti, interdum in pecunia numerata, viſitationis etiam officio non impenſo, & occaſione dictarum procurationum iidem Prælati ab ipſis frequenter exigunt, quæ illis ſolvere non tenentur, intolerabilia eiſdem gravamina cumulantes. Sunt *b* & nonnulli qui procurationes nunciorum Apoſtolicæ ſedis, aliaque extraordinaria onera exemptis & aliis Religioſis pro majori parte imponunt, ut ſe ac Presbyteros liberent ſeculares, Religioſos ad ordinandum hujuſmodi onerum diſtributionem minime aſſumentes: In multis etiam aliis præfati Prælati, exempta monaſteria, & ipſorum Eccleſias utroque illis jure ſubjectas, gravant in procurationibus recipiendis, & oneribus inſolitis imponendis. Nos igitur ſuper his volentes de opportuno remedio providere, ſacri approbatione Concilii duximus ſtatuendum, ut ſi Epiſcopi non cauſa viſitationis, ſed charitativæ hoſpitalitatis, ad monaſteria venerint ſupradicta, victualia gratioſe recipiant, quæ charitatis gratia eis fuerint miniſtrata. Ipſis autem Epiſcopis, ad monaſteria venientibus ſupradicta, & procurationes ibidem recipientibus ſibi debitas de jure communi, conſuetudine, privilegio, vel jure alio ſpeciali, in domibus ipſorum monaſteriorum, extra tamen ſepta ipſorum exiſtentibus, ſi quæ fuerint ad hoc aptæ, alioquin intra ſepta ipſa, non tamen intra portam, quam regularem appellant, carnium pro congruentia temporis, ſi voluerint (privilegio non obſtante quocunque) cibaria miniſtrentur. Nec inconveniens reputamus, ſi fragmenta, quæ de menſis ipſorum Epiſcoporum & ſuorum familiarium colliguntur, per ipſorum Epiſcoporum Eleemoſynarios ibidem pauperibus erogentur. Ab aliis autem gravaminibus expreſſis ſuperius, Prælati diligenter *a* abſtineant, ſi Dei & Apoſtolicæ ſedis indignationem voluerint evitare.

a *Vid. c. cum Apoſtolus. extra de cenſib. & cap. 1. 2. & 3. eod. tit. lib. 6. & vid. Concil. Trid. ſeſſ. 25. de reſor. c. 3. ubi plene de materia viſitationis.* b *al. ſunt etiam, &c.*

CAP. III.

*Diœceſani, quibus hoc conſtat, illos qui exigendo a Clericis pedagia, vel guidagia excommunicati ſunt vel interdicti, publicare debent.* Joan. Andr.

Idem *in eodem*.

PRæſenti *b* conſtitutione jubemus, ut locorum diœceſani contra eos, qui ab Eccleſiis vel perſonis Eccleſiaſticis pro earum rebus propriis, quas non negotiandi cauſa deferunt, aut deferri faciunt, vel tranſmittunt, pedagia vel guidagia ſuo vel alieno nomine exigunt, vel extorquent in animarum ſuarum periculum, & eorum, a quibus ea exigunt, præjudicium & gravamen, excommunicationis & interdicti ſententias a jure prolatas, poſtquam de *c* his ipſis conſtiterit, omnino publicent, vel a ſuis ſubditis tamdiu faciant publicari, donec illi ſic exacta *d* reſtituerint, & de tranſgreſſione hujuſmodi ſatisfecerint competenter.

## TITULUS XIV.
## DE CELEBRATIONE *e* MISSARUM, ET ALIIS DIVINIS OFFICIIS.

CAP. I.

*Prælati, ad quos ſpectat correctio, & illis negligentibus, ſuperiores ipſorum debent eſſe ſoliciti, ut horis debitis in cathedralibus, regularibus, & collegiatis Eccleſiis aliis Horæ Canonicæ devote pſallantur: & quod in Eccleſiis aliis celebretur convenienter & debite diurnum officium & nocturnum, principaliter hoc intendit.* Joan. Andr.

Clemens V. *in Concilio Vienenſi*.

GRavi *f* nimirum turbatione movemur, quod ex nonnullorum Rectorum negligentia, quæ dum ſpem impunitatis permittit, multam nutrire peſtilentiam conſuevit in ſubditis, plerique Eccleſiarum miniſtri modeſtia ordinis Clericalis abjecta, dum offerre Deo ſacrificium laudis, fructum labiorum ſuorum in puritate conſcientiæ & animi devotione deberent, Horas Canonicas dicere, ſeu pſallere, tranſcurrendo, ſyncopando, extranea quidem & plerunque vana, profana & inhoneſta intermiſcendo colloquia, tarde ad chorum conveniendo, ſeu Eccleſiam ipſam abſque rationabili cauſa ante finem officii exeundo frequenter, aves interdum portando, ſeu faciendo portari, caneſque ſecum ducendo venaticos, ac quaſi nihil prætendentes de clericali militia, in corona, veſtibus & tonſura, divina etiam celebrare, aut eis intereſſe nimis indevote præſumunt. Nonnulli etiam tam Clerici, quam Laici, præſertim in feſtorum certorum vigiliis, dum in Eccleſiis deberent orationi inſiſtere, non verentur in ipſis, earumque cœmeteriis choreas facere diſſolutas, & *g* interdum canere cantilenas, ac multas inſolentias perpetrare, ex quibus Eccleſiarum & cœmeteriorum violationes, inhoneſta, variaque delicta quandoque ſequuntur, & Eccleſiaſticum plerunque perturbatur *h* officium, in divinæ majeſtatis offenſam, & aſtantium ſcandalum populorum. In multis inſuper Eccleſiis cum vaſis, veſtimentis, & cæteris ornamentis ad divinum cultum neceſſariis, indecentibus utique (penſatis earum facultatibus) deſervitur. Ne igitur tranſgreſſiones invaleſcant hujuſmodi, aliiſque veniant in exemplum, ſacri Concilii approbatione hoc fieri

a *al. ita: diligenter prorſus abſtineant.* b *Nota quod res Clericorum gaudent eodem privilegio, quo res Eccleſiarum. cap. ultim. de vit. & honeſt. Cler. c. Eccleſiarum ſervos. 12 q. 1. Anch.* c *al. de ipſis eis conſtiterit, &c.* d *al. exorta.* e *al. ita: de celebratione Miſſarum, & aliorum officiorum.* f *De materia hujus Clement. præter Doct. hic, vide Canoniſtas in cap. 1. & c. dolentes. ext. de celeb. Miſſar.* g *al. ita: etiam interdum, &c.* h *pertubant.*



UNED

fieri prohibentes, ſancimus: ut illi, ad quos id pertinet, & in eorum, ſi utique exempti non ſint, negligentiam vel defectum, locorum ordinarii: ſi vero exempti fuerint, aut alias circa hoc privilegiati, ſuperiores ipſorum (omni negligentia vel incuria penitus relegata) circa reformanda præmiſſa, & eorum ſingula corrigenda, necnon ut in Cathedralibus, Regularibus & Collegiatis Eccleſiis horis debitis devote pſallatur: In aliis vero convenienter & debite celebretur divinum *a* diurnum & nocturnum officium, ſi Dei & Apoſtolicæ ſedis indignationem evitare voluerint, ſolicitam curent diligentiam adhibere: contradictores per cenſuram Eccleſiaſticam (dummodo ad eos illam exercere pertineat) aliiſque opportunis remediis compeſcendo, facientes prout ad eos ſpectat in his & aliis, quæ ad divinum cultum, & morum reformationem pertinent, ac Eccleſiarum & cœmeteriorum reſpiciunt honeſtatem, ſacrorum ſtatuta Canonum, ad quæ ſcienda diligens curent adhibere ſtudium, irrefragabiliter obſervari.

C A P. II.

*Clerici etiam Religioſi, domeſtici commenſales Cardinalium vel Epiſcoporum, ſe poſſunt in divinis officiis coaptare.* h. d. Joan. Andr.

Idem *in eodem.*

DIgnum prorſus & congruum arbitrantes, quod Clerici tam Religioſi, quam alii Cardinalium ſacroſanctæ Romanæ Eccleſiæ, ac quorumcunque Pontificum gratiam & communionem Apoſtolicæ ſedis habentium, commenſales domeſtici ſe poſſint ipſis in divinis officiis coaptare, ut illud, quod iidem Cardinales, ſeu Pontifices dicent officium, licite dicere valeant: Nec ad dicendum aliquod aliud teneantur, ſacri approbatione Concilii indulgemus.

## *T I T U L U S XV.* DE BAPTISMO, ET EJUS EFFECTU.

C A P. UN.

*In fontibus Eccleſiarum, non in privatis domibus, debet baptiſma concedi: duo caſus excipit, & transgreſſores puniri præcipit.* Joan. Andr.

Clemens V. *in Concilio Viennenſi.*

(*an.* 1311.)

PRæſenti *b* prohibemus edicto, ne quis de cætero in aulis vel cameris, aut aliis privatis domibus, ſed duntaxat in Eccleſiis, in quibus ſunt ad hoc fontes ſpecialiter deputati, aliquos (niſi Regum vel Principum, quibus valeat in hoc caſu deferri, liberi extiterint, aut talis neceſſitas emerſerit, propter quam nequeat ad Eccleſiam abſque periculo propter hoc acceſſus haberi) audeat baptizare. Qui autem ſecus præſumpſerit, aut ſuam in hoc præſentiam exhibuerit, taliter per Epiſcopum ſuum caſtigetur, quod alii attentare ſimilia non præſumant.

## *T I T U L U S XVI.* DE RELIQUIIS ET VENERATIONE SANCTORUM.

C A P. UN.

*Feſtum corporis Chriſti celebrari debet feria quinta, poſt octavam Pentecoſtes, & certa indulgentiæ conceduntur iis, qui in feſto vel intra octavam officio vel horis intererunt.* h. d. Joan. Andr.

Clemens V. *in Concilio Vienenſi.*

SI Dominum in ſanctis ejus laudare jubemur, dignum profecto, juſtum & ſalutare nobis exiſtit, ut ſibi in ſui, quo nos quotidie ſpiritualiter reficit, memoriam corporis, laudes feſtivæ venerationis, & gratias referamus. Hac igitur conſideratione inducti, conſtitutionem a bonæ memoriæ Urbano Papa quarto prædeceſſore noſtro ſuper hoc editam, de fratrum noſtrorum conſilio diſtricte præcipimus obſervari, cujus tenor ſequitur in hæc verba: Urbanus Epiſcopus, ſervus ſervorum Dei, venerabilibus fratribus Patriarchis, Archiepiſcopis, Epiſcopis & aliis Eccleſiarum Prælatis, &c. Tranſiturus de hoc *a* mundo ad Patrem Salvator noſter Dominus Jeſus Chriſtus, cum tempus ſuæ paſſionis inſtaret, ſumpta cœna, in memoriam mortis ſuæ inſtituit ſummum & magnificum ſui corporis & ſanguinis ſacramentum, corpus in cibum, & ſanguinem in poculum tribuendo. Nam quoties hunc panem manducamus, & calicem bibimus, mortem Domini annunciamus. In inſtitutione quidem hujus ſacramenti dixit ipſe Apoſtolis: *Hoc facite in meam commemorationem*: ut præcipuum & inſigne memoriale ſui amoris eximii, quo nos dilexit, eſſet nobis hoc præcelſum & venerabile ſacramentum: memoriale, inquam, mirabile ac ſtupendum, delectabile, ſuave, tutiſſimum, ac ſuper omnia pretioſum, in quo innovata ſunt ſigna & mirabilia immutata, in quo habetur omne delectamentum, & omnis ſaporis ſuavitas, ipſaque dulcedo Domini deguſtatur, in quo utique vitæ ſuffragium conſequimur & ſalutis. Hoc eſt memoriale dulciſſimum, memoriale ſacratiſſimum, memoriale ſalvificum, in quo gratam redemptionis noſtræ recenſemus memoriam, in quo a malo retrahimur, & in bono confortamur, & ad virtutum & gratiarum proficimus incrementa, in quo profecto proficimus ipſius corporali præſentia Salvatoris. Alia namque, quorum memoriam agimus, ſpiritu menteque complectimur, ſed non propter hoc realem eorum præſentiam obtinemus: In hac vero ſacramentali Chriſti commemoratione Jeſus Chriſtus præſens ſub alia quidem forma, in propria vero ſubſtantia eſt nobiſcum. Aſcenſurus enim in cœlum dixit Apoſtolis & eorum ſequacibus *b*: *Ecce ego vobiſcum ſum omnibus diebus uſque ad conſummationem ſeculi*: benigna ipſos promiſſione confortans, quod remaneret & eſſet cum eis, etiam præſentia corporali *c*. O digna & nunquam intermittenda memoria! in qua mortem noſtram recolimus mortuam, noſtrumque interitum interiiſſe, ac lignum vivificum ligno crucis affixum, fructum nobis attuliſſe ſalutis. Hæc eſt commemoratio glorioſa, quæ fidelium animos replet gaudio ſalutari, & cum infuſione lætitiæ devotionis lachrymas ſubminiſtrat. Exultamus nimirum noſtram memorando liberationem, & recolendo paſſionem Dominicam, per quam liberati ſumus, vix lachrymas continemus. In hac itaque ſacratiſſima commemoratione adſunt nobis ſuavitatis gaudium ſimul & lachrymæ: quia & in ea congaudemus lachrymantes, & lachrymamur devote gaudentes, lætas habendo lachrymas, & lætitiam lachrymantem: nam & cor ingenti perfuſum gaudio, dulces per oculos ſtillat guttas. O divini amoris immenſitas, divinæ pietatis ſuperabundantia, divinæ affluentia largitatis! dedit enim nobis Dominus omnia, quæ ſubjecit ſub pedibus noſtris, & ſuper univerſas terræ creaturas contulit nobis dominii principatum. Ex miniſtris etiam ſpirituum ſuperiorum *d* nobilitat & ſublimat hominis dignitatem. Adminiſtratorii namque ſunt omnes in miniſterium, propter eos qui hæreditatem ſalutis capiunt, deſtinati. Et cum tam copioſa fuerit erga nos ejus munificentia, volens adhuc ipſe in nobis ſuam exuberantem charitatem præcipua

a *Al. ita: diurnum officium pariter & nocturnum.* b *Conferunt tradita per B. Thom. part. 3 q. 83. art. 3.*

a *In antiquioribus codicibus deeſt dictio*, hoc. b *Matth. ult.* c *Vide gl. in l. 1. ff. quod met. cauſ. & gl. in l. 2. C. in quibus cauſ. coto. l. 11.* d *Al. ſupernorum.*

pua liberalitate monſtrare, ſemetipſum nobis exhibuit, & tranſcendens omnem plenitudinem largitatis, omnem modum dilectionis excedens, attribuit ſe in cibum. O ſingularis & admiranda liberalitas, ubi donator venit in donum, & datum eſt idem penitus cum datore! Quam larga & prodiga largitas, cum tribuit quis ſeipſum! Dedit igitur nobis ſe in pabulum, ut quia per mortem homo corruerat, & per cibum ipſe relevaretur ad vitam: cecidit homo per cibum ligni mortiferum a, relevatus eſt homo per cibum ligni vitalis. In illo pependit eſca mortis, in iſto pependit vitæ alimentum. Illius ejus meruit læſionem, iſtius guſtus intulit ſanitatem: guſtus ſauciavit, & guſtus ſanavit. Vide quia unde vulnus eſt ortum, prodiit & medela: & unde mors ſubiit, exinde vita evenit. De illo ſiquidem guſtu dicitur b: *Quacunque die comederis, morte morieris*. De iſto vero legitur c: *Si quis comederit ex hoc pane, vivet in æternum*. Hic eſt cibus, qui plene reficit, vere nutrit, ſummeque impinguat: non corpus, ſed cor, non carnem, ſed animam, non ventrem, ſed mentem. Homini ergo, qui ſpirituali alimonia indigebat, Salvator ipſe miſericors, de nobiliori & potentiori hujus mundi alimento pro animæ refectione pia diſpoſitione providit. Decens quoque liberalitas extitit, & d conveniens operatio pietatis, ut verbum Dei æternum, quod rationabilis creaturæ cibus eſt & refectio, factum caro, ſe rationabilis creaturæ carni & corpori, homini videlicet, in edulium largiretur e: panem enim Angelorum manducavit homo, & ideo Salvator ait f: *Caro mea vere eſt cibus*. Hic panis ſumitur, ſed vere non conſumitur: manducatur, ſed non transmutatur: quia in edentem minime transformatur, ſed ſi digne recipitur, ſibi recipiens conformatur. O excellentiſſimum Sacramentum! O adorandum, venerandum, colendum, glorificandum, præcipuis magnificandum laudibus, dignis præconiis exaltandum, cunctis honorandum ſtudiis, devotis proſequendum obſequiis & ſinceris mentibus retinendum! O memoriale nobiliſſimum intimis commendandum præcordiis, firmiter animo alligandum, diligenter reſervandum in cordis utero & meditatione, ac celebratione ſedula recenſendum! Hujus memorialis continuam debemus celebrare memoriam, ut illius, cujus ipſum fore memoriale cognoſcimus, ſemper memores exiſtamus: quia cujus donum vel munus frequentius aſpicitur, hujus memoria ſtrictius retinetur. Licet igitur hoc memoriale ſacramentum in quotidianis Miſſarum ſolenniis frequentetur, conveniens g tamen arbitramur & dignum, ut de ipſo ſemel ſaltem in anno, ad confundendam ſpecialiter hæreticorum perfidiam & inſaniam, memoria ſolennior & celebrior habeatur. In die namque cœnæ Domini, quo die ipſe Chriſtus hoc inſtituit ſacramentum, univerſalis Eccleſia pro pœnitentium reconciliatione, ſacri confectione chriſmatis, adimpletione mandati, circa lotionem pedum & aliis quampluribus occupata, plene vacare non poteſt celebrationi hujus maximi ſacramenti. Hoc enim circa Sanctos, quos per anni circulum veneramur, ipſa obſervat Eccleſia, ut (quamvis in Litanis & Miſſis, ac aliis etiam ipſorum memoriam ſæpius renovemus) nihilominus tamen ipſorum natalitia certis diebus per annum ſolennius recolat, feſta propter hoc eiſdem diebus ſpecialia celebrando. Et quia in his feſtis circa ſolennitatis debitum aliquid per negligentiam, aut rei familiaris occupationem, aut alias, ex humana fragilitate omittitur: ſtatuit ipſa mater Eccleſia certam diem, in qua generaliter omnium Sanctorum commemoratio fieret, ut in hac ipſorum celebratione communi, quicquid in propriis ipſorum feſtivitatibus omiſſum exiſteret a, ſolveretur. Poriſſime igitur exequendum eſt erga hoc vivificum ſacramentum corporis & ſanguinis Jeſu Chriſti, qui eſt Sanctorum omnium b gloria & corona, ut feſtivitate ac celebritate præfulgeat ſpeciali, quatenus in eo, quod in aliis Miſſarum officiis circa ſolennitatem eſt forſitan prætermiſſum, devota diligentia ſuppleatur, & fideles (feſtivitate ipſa inſtante) intra ſe præterita memorantes, id quod in ipſis Miſſarum ſolenniis, ſecularibus forſan agendis impliciti, aut alias ex negligentia vel fragilitate humana minus plene geſſerunt, tunc attente in humilitate ſpiritus & animi puritate reſtaurent. Intelleximus autem olim, dum in minori eſſemus officio conſtituti, quod fuerat quibuſdam catholicis divinitus revelatum, feſtum hujuſmodi generaliter in Eccleſia celebrandum. Nos itaque ad corroborationem & exaltationem catholicæ fidei, digne ac rationabiliter duximus ſtatuendum, ut de tanto ſacramento, præter quotidianam memoriam, quam de ipſo facit Eccleſia, & ſolennior & ſpecialior annuatim memoria celebretur: certum ad hoc deſignantes & deſcribentes diem, videlicet feriam quintam proximam, poſt Octavam Pentecoſtes: ut in ipſa quinta feria devotæ turbæ fidelium propter hoc ad Eccleſias affectuoſe concurrant, & tam Clerici quam populi gaudentes, in cantica laudum ſurgant: tunc enim omnium corda & vota, ora & labia, hymnos perſolvant lætitiæ ſalutaris: tunc pſallat fides, ſpes tripudiet, exultet charitas, devotio plaudat, jubilet chorus, puritas jucundetur: tunc ſinguli alacri animo pronaque voluntate conveniant, ſua ſtudia laudabiliter exequendo, tanti feſti ſolennia celebrantes: & utinam ad Chriſti ſervitium ſic ejus fideles ardor inflammet, ut per hæc & alia proficientibus ipſis meritorum cumulis apud eum, qui ſeſe dedit pro eis in pretium, tribuitque ſe ipſis in pabulum, tandem poſt hujus vitæ decurſum eis ſe in præmium largiatur. Ideoque univerſitatem veſtram monemus & hortamur in Domino, & per Apoſtolica ſcripta in virtute ſanctæ obedientiæ diſtricte præcipiendo mandamus, in remiſſionem peccaminum injungentes, quatenus tam excelſum, & tam glorioſum feſtum prædicta quinta feria ſingulis annis devote ac ſolenniter celebretis, & faciatis ſtudioſe per univerſas Eccleſias civitatum veſtrarum & diœceſum celebrari: ſubditos veſtros in Dominica, dictam quintam feriam proxime præcedente, ſalutaribus monitis ſolicite per vos & per alios exhortantes, ut per veram & puram confeſſionem, eleemoſynarum largitionem, attentas & ſedulas orationes, & alia devotionis & pietatis opera taliter ſe ſtudeant præparare, quod hujus pretioſiſſimi ſacramenti mereantur fieri participes illa die, poſſintque ipſum ſuſcipere reverenter, ac ejus virtute augmentum conſequi gratiarum. Nos enim Chriſti fideles ad colendum tantum feſtum & celebrandum donis volentes ſpiritualibus animare, omnibus vere pœnitentibus & confeſſis, qui Matutinali officio feſti ejuſdem in Eccleſia, in qua idem celebrabitur, interfuerint, centum: Qui vero Miſſæ, totidem: Qui autem in primis ipſius feſti veſperis interfuerint, ſimiliter centum: Qui vero in ſecundis totidem: Illis vero, qui Primæ, Tertiæ, Sextæ, Nonæ ac Completorii officiis interfuerint, pro qualibet Horarum ipſarum, quadraginta: Illis autem, qui per octavas c illius feſti Matutinalibus, Veſpertinis, Miſſæ, ac prædictarum Horarum officiis interfuerint, centum dies ſingulis octavarum ipſarum diebus, de omnipotentis Dei miſericordia, ac beatorum Apoſtolorum ejus Petri & Pauli auctoritate confiſi, de injunctis ſibi pœnitentiis relaxamus.

TITU-

a *Alias, mortiferi*. b *Geneſ.* 2. c *Joan.* 6. d *Alias ita: & non inconveniens &c.* e *Pſalm.* 77. f *Joan.* 6. g *Vide Concilium Tridentinum ſeſſion.* 13. *de ſanctiſſimo Euchariſtiæ ſacramento*, c. 5. & 6.

a *Al. extitit.* b *Philipp.* 4. c *al. octavam.*

### *TITULUS XVII.*
### DE IMMUNITATE ECCLESIARUM.

### CAP. UN.

*Revocat & pro infectis vult haberi decretalem. Clericis. eod. tit. l. 6. cum ſuis declarationibus.* Joan. Andr.

Clemens V. *in Concilio Vienenſi.*

QUoniam ex conſtitutione Bonifacii Papæ VIII. prædeceſſoris noſtri, quæ incipit, Clericis Laicos & ex declaratione, ſeu declarationibus ex illa poſtmodum ſubſecutis, nonnulla ſcandala, magna pericula, & incommoda gravia ſunt ſecuta, & ampliora ſequi (niſi celeri remedio ſuccurratur) præſumitur a veriſimiliter in futurum: Nos de conſilio fratrum noſtrorum conſtitutionem, & declarationem, ſeu declarationes prædictas, & a quicquid ex eis ſecutum eſt vel ob eas, penitus revocamus, & eas haberi volumus pro infectis: Volentes & firmiter ſtatuentes, illud (contra quoſcunque Laicos, exigentes ſeu extorquentes ab Eccleſiis, Eccleſiaſticiſque perſonis tallias ſeu collectas, aut exactiones quaſcunque, & contra dantes ad id faciendum conſilium, auxilium vel favorem, necnon & circa præſtandas ſubventiones Laicis ab Eccleſiarum Prælatis, & aliis viris Eccleſiaſticis) inviolabiliter obſervari, quod ſuper his a prædeceſſoribus noſtris in Lateranenſi, & generali Conciliis, quæ nos ſub obteſtatione divini judicii præcipimus obſervari diſtricte, ſalubriter eſt proviſum.

a *al præſumuntur.*

a *In vetuſto codice manuſcripto ita: ac omnia & ſingula contenta in eis penitus, &c.*

## FINIS LIBRI TERTII.

# CLEMENTINARUM
# LIBER QUARTUS.

### *TITULUS UNICUS.*
### DE CONSANGUINITATE, ET AFFINITATE.

### CAP. UN.

*Scienter contrahens matrimonium in gradu conſanguinitatis vel affinitatis prohibito, vel cum Moniali, excommunicatus eſt ipſo jure: & publicari debet & vitari. Idem in profeſſo & profeſſa, vel conſtituto in ſacris.* Joan. Andr.

Clemens V. *in Concilio Vienenſi.*
(*an.* 1311. *in Gallia.*)

EOs, qui divino timore poſtpoſito, in ſuarum periculum animarum ſcienter in gradibus conſanguinitatis & affinitatis conſtitutione canonica interdictis, aut cum monialibus contrahere matrimonialiter non verentur: Necnon Religioſos & Moniales ac Clericos in ſacris ordinibus conſtitutos matrimonia contrahentes, refrænare metu pœnæ ab hujuſmodi eorum temeritatis audacia cupientes: Ipſos excommunicationis ſententiæ ipſo facto decernimus ſubjacere: præcipientes Eccleſiarum Prælatis, ut illos, quos eis conſtiterit taliter contraxiſſe excommunicatos publice tamdiu nuntient, ſeu a ſuis ſubditis faciant nunciari, donec ſuum humiliter recognoſcentes errorem ſeparentur ab invicem, & abſolutionis obtinere beneficium mereantur. Per prædicta quoque juribus, quæ ſic contrahentibus alias pœnas imponunt, in nullo volumus derogari. a

a *Vide Concil. Tridentin. ſeſſ. 14. de reform. matrim. cap. 5. & de intellectu, Beatum Antonium tractat. de excommunicatione, capit. 34. adde Covarruviam lib. 4. decretal. part. 2. cap. 3. §. 2. num. 8.*

## FINIS LIBRI QUARTI.

CLE-

UNED

# CLEMENTINARUM

# LIBER QUINTUS.

## TITULUS I.

## DE MAGISTRIS, ET NE ALIQUID EXIGATUR PRO LICENTIA DOCENDI.

### C A P. I.

*In ſtudiis Romanæ curiæ, Pariſien. Oxonien. Bononien. & Salamantino, debent eſſe Magiſtri catholici, ſcholas regentes in linguis Hebraica, Arabica, & Chaldæa, duo ſcilicet pro qualibet lingua. Et ſtatuitur per quos eis debeat de ſtipendiis & ſumptibus provideri.*

Clemens V. *in Concilio Vienenſi.*

(*an.* 1311. *in Gallia.*)

INter *a* ſolicitudines noſtris humeris incumbentes, perpeti cura revolvimus, ut errantes in viam veritatis inducere, ipſoſque lucrifacere Deo, ſua nobis cooperante gratia, valeamus: hoc eſt, quod profecto deſideranter exquirimus, ad id noſtræ mentis ſedulo deſtinamus affectum, ac circa illud diligenti ſtudio & ſtudioſa diligentia vigilamus. Non ambiguimus autem, quin ad hujuſmodi noſtrum deſiderium aſſequendum *b*, divinorum eloquiorum ſit expoſitio congrua, ipſorumque fidelis prædicatio admodum opportuna. Sed nec ignoramus, quin & hæc promi noſcantur inaniter, vacuaque redire, ſi auribus linguam loquentis ignorantium proferantur. Ideoque illius, cujus vicem in terris (licet immeriti) gerimus, imitantes exemplum, qui ituros per univerſum mundum ad evangelizandum Apoſtoros, in omni linguarum genere fore voluit eruditos, viris catholicis notitiam linguarum habentibus, quibus utuntur infideles præcipue, abundare ſanctam affectamus Eccleſiam, qui infideles ipſos ſciant & valeant ſacris inſtitutis inſtruere], Chriſticolarumque collegio per doctrinam Chriſtianæ fidei ac ſuſceptionem ſacri baptiſmatis aggregare.

Ut igitur peritia linguarum hujuſmodi poſſit habiliter per inſtructionis efficaciam obtineri: Hoc ſacro approbante Concilio ſcholas in ſubſcriptarum linguarum generibus ubicunque Romanam curiam reſidere contigerit *c*, necnon in Pariſien. & Oxonien. Bononien. & Salamantino ſtudiis providimus erigendas: Statuentes, ut *d* in quolibet locorum ipſorum teneantur viri catholici ſufficientem habentes Hebraicæ, Arabicæ, & Chaldææ linguarum notitiam: duo videlicet uniuſcujuſque linguæ periti, qui ſcholas regant inibi, & libros de linguis ipſis in Latinum fideliter transferentes, alios linguas ipſas ſolicite doceant, earumque peritiam ſtudioſa in illos inſtructione transfundant: ut inſtructi & edocti ſufficienter in linguis hujuſmodi, fructum ſperatum poſſint (Deo auctore) producere, fidem propagaturi ſalubriter in ipſos populos infideles. Quibus equidem in Romana curia legentibus *a*, per ſedem Apoſtolicam: in ſtudiis vero Pariſienſi, per Regem Franciæ: in Oxonienſi Angliæ, Scotiæ, Hiberniæ, ac VValiæ: in Bononienſi per Italiæ; in Salamantino, per Hiſpaniæ Prælatos, Monaſteria, Capitula, Conventus, collegia exempta & non exempta, & Eccleſiarum Rectores in ſtipendiis competentibus & ſumptibus volumus provideri: contributionis onere ſingulis juxta facultatum exigentiam imponendo; Privilegiis & exemptionibus quibuſcunque contrariis nequaquam obſtantibus, quibus tamen nolumus quoad alia præjudicium generari.

a *Vid. Ludovicum Gomezium in regula Cancellariæ de idiomate, ubi plene de moteria linguarum.* b *aliter, exequendum.* c *al. continget.* d *alit. ita: ut in locorum ipſorum ſtudiis, &c.*

### C A P. II.

*Is, ad quem ſpectat magiſterium vel doctoratum tribuere, prius a doctorando recipiat juramentum, quod in ſolennitate ſua non expendet ultra ſummam trium millium Turon. argenteorum. Quod ſi non fecerit, etiamſi ſit Epiſcopus, per ſex menſes a collatione magiſterii eſt ſuſpenſus.* h. d. Joan. Andr.

Idem.

CUm ſit nimis abſurdum, ut quis cum vanitate & imperitia ad honorem aſcendat peritiæ literarum, non ſine turbatione miramur illum apud Scholaſticos invaluiſſe abuſum, quod plerique eorum, qui in quavis ſcientia ad doctoratus vel magiſterii aſſumuntur honorem, cum ſua ſolenniter principia faciunt, aut ſui recipiunt inſignia doctoratus, circa cibos, veſtes, & alia ſic in expenſis excedunt, quod & ipſi tranſeunte expenſarum hujuſmodi vanitate, vacui plerunque remaneant & gravati: Et cæteri qui vel nolunt vel nequeunt ſimiles expenſas ſubire, hac occaſione frequente a receptione honoris hujuſmodi retrahuntur. Volentes igitur de opportuno ſuper his remedio providere, illis ad quos ubilibet pertinet honorem tribuere memoratum, diſtricte præcipimus, ut quoſcunque ab eis de cætero dictum recipientes honorem, juramento prius adſtringant, ne ultra tria millia Turonen. argenteorum *b* in ſolennitate, circa hujuſmodi doctoratum aut magiſterium quomodolibet adhibenda, expendant: Ipſoſque nihilominus (niſi forſan nobilis *c* conditionis extiterint) ut intra ſummam prædictam hujuſmodi moderentur expenſæ, efficaciter exhortantes, ac ſi hoc illorum congruere ſtatui viderint, juramentum exigentes ab eis, quod certos intra ſummam præfatam taxandos ab ipſis expenſarum terminos non excedant. Si quis autem Pontificali etiam *d* dignitate præfulgens, non recepto prius juramento præfato, honorem cuique tribuerit ſupradictum, a collatione magiſterii ſeu doctoratus cujuslibet, per ſex menſes ſequentes eo ipſo noverit ſe ſuſpenſum.

TITU-

a *al. regentibus.* b *al. Argenti.* c *al. notabilis.* d *Dicti* etiam, *deeſt in antiquiorib. exemplarib. & impreſſis.*

UNED

## TITULUS II.

## DE JUDÆIS, ET SARRACENIS.

### CAP. UN.

*Principes Chriſtiani compeſcere debent Sarracenos ſibi ſubjectos, ab invocatione publica nominis Machometi & a peregrinatione, quam facere ſolent ad ſepulchrum ipſius.* hoc dicit, Joannes Andreas.

Clemens V. *in Concilio Vienenſi*.

CEdit quidem in offenſam divini nominis & opprobrium fidei Chriſtianæ, quod in quibuſdam mundi partibus principibus Chriſtianis ſubjectis, in quibus interdum ſeorſum, interdum vero promiſſim cum Chriſtianis habitant Sarraceni, Sacerdotes eorum, Zabazala vulgariter nuncupati, in templis ſeu Meſquitis ſuis, ad quæ iidem Sarraceni conveniunt, ut ubidem adorent perfidum Machometum, diebus ſingulis certis horis in loco aliquo eminenti ejuſdem Machometi nomen, Chriſtianis & Sarracenis audientibus, alta voce invocant & extollunt, ac ibidem verba quædam in illius honorem publice profitentur: Ad locum iuſuper ubi olim quidam ſepultus extitit Sarracenus, quem ut ſanctum Sarraceni alii venerantur & colunt, magna Sarracenorum earundem partium & etiam aliarum confluit pubblice multitudo, ex quibus noſtræ fidei non modicum detrahitur, & grave in cordibus fidelium ſcandalum generatur. Cum autem hæc in *a* divinæ majeſtatis diſplicentia non ſint ullatenus toleranda, ſacro approbante Concilio, ipſa in terris Chriſtianorum diſtrictius fieri deinceps inhibemus: univerſis & ſingulis Principibus Catholicis, ſub quorum dominio dicti Sarraceni morantur, & fiunt prædicta, ſub obteſtatione divini judicii obnoxius *b* injungentes, quatenus ipſi tanquam veri Catholici & Chriſtianæ fidei ſeduli zelatores, opprobrium quod tam ipſis, quam cæteris Chriſticolis per præmiſſa ingeritur, debita conſideratione penſantes, ipſum (ut proinde æternæ beatitudinis præmium aſſequantur) de terris ſuis omnino auferant, & a ſuis ſubditis auferri procurent: inhibendo expreſſe, ne præfata invocatio ſeu profeſſio nominis ipſius ſacrilegi Machometi publice, aut peregrinatio prælibata ab aliquo in eorum exiſtente dominio audeat attentari de cætero, vel quomodolibet ſuſtineri. Hi vero, qui ſecus præſumpſerint, taliter ob divinam reverentiam caſtigentur ab ipſis, quod alii eorum exemplo porterriti a præſumptione ſimili arceantur.

## TITULUS XI.

## DE HÆRETICIS.

### CAP. I.

*Præmittit conſtitutionis cauſam*. Joan. Andr.

Clemens V. *in Concilio Vienenſi*.

MUltorum *c* querela ſedis Apoſtolicæ pulſavit auditum, quod nonnulli inquiſitores per ſedem eandem contra pravitatem hæreticam deputati, metas ſibi traditas excedentes, ſic interdum extendunt *d* ſuæ poteſtatis officium, ut quod in augmentum fidei per circumſpectam ejuſdem ſedis vigilantiam ſalubriter eſt proviſum (dum ſub pietatis ſpecie gravantur innoxii) cedat in fidelium detrimentum.

*Ponit conſtitutionem de officio inquiſitionis exercendo per diœceſanos & inquiſitores, primo ponens quinque, quæ poteſt alter ſine altero. Secundo tria, quæ non poteſt: & decretum apponit, ſubmittens, quomodo impeditus vel intereſſe nolens committit alii, vel conſentit.* Joan. Andr.

§ 1. Propter quod ad Dei gloriam & augmentum ejuſdem fidei, ut negotium inquiſitionis hujuſmodi eo proſperetur felicius, quo deinceps ejuſdem labis indago ſolennius, diligentius, & cautius peragetur: ipſum tam per diœceſanos Epiſcopos, quam per inquiſitores a ſede Apoſtolica deputatos (omni carnali amore, odio, vel timore, ac cujuslibet commodi temporalis affectione ſemotis) decernimus exerceri. Sic quod quilibet de prædictis ſine alio citare poſſit, & atteſtare, ſive capere, ac tutæ cuſtodiæ mancipare, ponendo etiam in compedibus vel manicis ferreis, ſi ei viſum fuerit faciendum; ſuper quo ipſius conſcientiam oneramus: nec non inquirere contra illos, de quibus pro hujuſmodi negotio, ſecundum Deum & juſtitiam videris expedire. Duro tamen tradere carceri, ſive arcto, qui magis ad pœnam, quam ad cuſtodiam videatur, vel tormentis exponere illos, aut ad ſententiam procedere contra eos, Epiſcopus ſine inquiſitore, aut inquiſitor ſine Epiſcopo diœceſano, aut ejus Officiali, vel Epiſcopali ſede vacante, Capituli ſuper hoc delegato, ſi ſui ad invicem copiam habere valeant, intra octo dierum ſpatium, poſtquam ſe invicem requiſierint, non valebit. Et ſi ſecus præſumptum fuerit, nullum ſit & irritum ipſo jure. Verum ſi Epiſcopus vel ejus Capituli ſede vacante delegatus cum inquiſitore, aut inquiſitor cum altero eorundem, propter præmiſſa nequeat, aut nolit perſonaliter convenire: poſſit Epiſcopus, vel ejus ſeu Capituli, ſede vacante, delegatus inquiſitori, & inquiſitor Epiſcopo vel ejus delegato, ſeu ſede vacante illi, qui ad hoc per Capitulum fuerit deputatus, ſuper illis committere vices ſuas, vel ſuum ſignificare per litteras conſilium & conſenſum.

*Providet circa muros vel carceres hæreticorum, ipſorum claves, cuſtodes, & cuſtodum miniſtros.* Joan. Andr.

§. 2. Sane quia circa cuſtodiam carcerum hæreticalium, qui muri in quibuſdam partibus vulgariter nuncupantur, multas fraudes dudum intelleximus perpetratas: Nos *a* volentes ſuper hoc providere, ſtatuimus, ut quilibet talis carcer vel murus, quem de cætero Epiſcopo & inquiſitori prædictis volumus fore communem, duos cuſtodes habeat principales, diſcretos, induſtrios & fideles: unum, quem volet Epiſcopus, & providebit eidem: alium, de quo voluerit inquiſitor, cui etiam providebit: & quilibet prædictorum cuſtodum ſub ſe alium bonum & fidum poterit habere miniſtrum. In quolibet etiam conclavi ejuſdem carceris ſive muri, erunt duæ claves diverſæ, quarum unam unus, aliam alius tenebit prædictorum cuſtodum, & eam cum officio miniſtrandi, quæ incarceratis fuerint miniſtranda, ſuo poterit committere vel ſubdelegare miniſtro.

*Ponit juramentum cuſtodum, miniſtrorum ſuorum, & notariorum, & aliorum officialium.* Joan. Andr.

§. 3. Porro coram Epiſcopo vel Capitulo, ſede vacante, & inquiſitore prædictis vel ſubſtitutis ab eis, cuſtodes ſupradicti, antequam ſuum officium exequantur, jurabunt ad ſancta Dei Evangelia corporaliter a ſe tacta, quod in cuſtodia immuratorum & aliorum pro crimine ſupradicto in ſua cuſtodia poſitorum & ponendorum, omnem diligentiam & ſollicitudinem, quam poterunt, fideliter adhibebunt. Et quod alicui incarcerato nihil unus in ſecreto *b* loquetur, quin hoc audiat alter cuſtos. Et quod proviſionem, quam incarcerati recipiunt ex ordinatione communi, & illud quod a parentibus & amicis, val aliis perſonis fidelibus offeretur eiſdem (niſi Epiſco-

a *Dictio*, in, *deeſt in antiquiorib. Cod. etiam impreſſis*.
b *In antiquis etiam impreſſis conſtanter legitur*, obnoxius.
c *De materia & intellectu vide Dd. in c. ut commiſſi. & c. per de hær. lib. 6.* d *al.* excedunt.

a *De materia iſtius §. vide Zanch. tract. de hæret. cap. 8. & 10. Gondiſſalvum tract. de hær. qu. 11. Sylveſt. in verb. hæreſ. 2.* b *Vid. Archidiac. in cap. Clericus. 80. diſt. & in c. ſi peccaverit, 2. qu. 1. Joan. Andr. in c. ult. de hæret.*

UNED

Epiſcopi & inquiſitoris vel ſuorum commiſſariorum ordinatio refragetur ) ipſi fideliter & abſque diminutione aliqua miniſtrabunt, nec in his fraudem aliquam adhibebunt. Et idem juramentum & coram eiſdem perſonis miniſtri cuſtodum, priuſquam ſuum exerceant officium, exhibebunt. Et quia ſæpe contingit Epiſcopos proprios habere carceres, ſibi & dictis inquiſitoribus non communes: volumus & diſtricte præcipimus, ut cuſtodes ad incarceratorum pro dicto crimine cuſtodiam per Epiſcopos, vel ſede vacante per Capitulum deputandi, & eorum miniſtri coram dictis inquiſitoribus vel ſubſtitutis ab eis præſtent ſimile juramentum. Notarii *a* quoque inquiſitionis coram Epiſcopo & inquiſitore vel ſubſtitutis ab eis jurabunt ſuum officium fideliter exercere. Et idem fiet de aliis perſonis neceſſariis ad prædictum officium exequendum.

*Punit Epiſcopus, inquiſitores, & eorum ſubſtitutos, qui faciendo vel omittendo delinquunt in officio.* h. d.

§. 4. Verum quia nimis eſt grave, ad exterminationem pravitatis prædictæ non agere, quod ipſius contagioſa enormitas agendum requirit: grave eſt quoque & damnatione digniſſimum malitioſe inſontibus eandem imponere pravitatem: Epiſcopo & inquiſitori prædictis ac aliis ad dicti executionem officii ſubſtituendis ab eis, in virtute ſanctæ obedientiæ & ſub interminatione maledictionis æternæ præcipimus, ut ſic diſcrete & prompte contra ſuſpectos vel diffamatos de hujuſmodi pravitate procedant, quod malitioſe aut fraudulenter tantam labem, ſeu quod ipſos in executione officii inquiſitionis impediat, falſo alicui non imponant. Quod ſi odii, gratiæ, vel amoris, lucri aut commodi temporalis obtentu, contra juſtitiam & conſcientiam ſuam omiſerint contra quemquam procedere, ubi fuerit procedendum ſuper hujuſmodi pravitate, aut obtentu eodem, pravitatem ipſam vel impedimentum officii ſui alicui imponendo, cum ſuper hoc præſumpſerint quoquo modo vexare ( præter alias pœnas, pro qualitate culpæ imponenda eiſdem ) Epiſcopus aut ſuperior ſuſpenſionis ab officio per triennium, alii vero excommunicationis ſententiam eo ipſo incurrant. A qua quidem excommunicationis ſententia, qui eandem incurrerint, niſi per Romanum Pontificem nequeant, præterquam in mortis articulo *b*, & tunc ſatiſfactione præmiſſa, abſolutionis beneficium obtinere: nullo in hac parte privilegio ſuffragante.

*Confirmat antiqua jura huic conſtitutioni non obvia.* Joan. Andr.

§. 5. Alias ſane, quæ circa præmiſſum inquiſitionis officium a noſtris ſunt prædeceſſoribus inſtituta ( quatenus præſenti decreto non obviant ) ſacri approbatione Concilii roborata, in ſua volumus firmitate manere.

## CAP. II.

*Primo, ponens conſtitutionis cauſam, determinat ætatem inquiſitorum. Secundo, punit inquiſitores, qui prætextu officii pecuniam illicitis modis extorquent, vel ob delictum Clericorum, Eccleſiarum bona confiſcant. Tertio, præcipit Notariis, Officialibus & ſociis, ut hoc facientes reprehendant, & ſuperioribus denuncient, ſi probare poſſunt. Quarto, prohibet inquiſitoribus abuſum armorum, & circa quantitatem vel qualitatem Officialium.* h. d. Joan. Andr.

Idem *in eodem*.

NOlentes ſplendorem ſolitum negotii fidei per actus indiſcretos & improbos quorumvis inquiſitorum hæreticæ pravitatis, quaſi tenebroſi fumi caligine obfuſcari: hoc ſacro Concilio approbante ſtatuimus, nullis exnunc, niſi qui quadrageſimum ætatis annum attigerint, officium inquiſitionis prædictæ committi inquiſitoribus: Et tam ipſorum, quam Epiſcoporum ſeu Capitulorum, ſede vacante, ſuper hoc deputatis commiſſariis quibuſcunque diſtrictius injungentes, ne prætextu officii inquiſitionis quibuſvis modis illicitis ab aliquibus pecuniam extorqueant: nec ſcienter attentent Eccleſiarum bona ob Clericorum delictum *a* prædicti occaſione officii fiſco etiam Eccleſiæ applicare. Quod ſi ſecus in his vel eorum altero fecerint, excommunicationis ſententiæ eos ſubjacere decernimus ipſo facto. A quo non poſſunt abſolvi, præterquam in mortis articulo, donec illis, a quibus extorſerint, plene ſatisfecerint de pecunia ſic extorta: Nullis privilegiis, pactis, aut remiſſionibus ſuper hoc valituris. Notarii vero & Officiales dicti officii, necnon fratres & ſocii inquiſitorum & commiſſariorum ipſorum, qui dictos inquiſitores aut commiſſarios ſecrete noverint talia commiſiſſe ( ſi indignationem Dei & Apoſtolicæ ſedis vitare voluerint, & offenſam ) ipſos graviter arguere & corrigere ſtudeant in ſecreto. Quod ſi taliter ea ſciverint, ut ea probare valeant, ſi ſit opus, hæc Prælatis inquiſitorum & commiſſariorum eorundem, ad quos id pertinebit, nunciare ſolicite debeant. Qui equidem Prælati inquiſitores & commiſſarios prædictos reos inde repertos ab officiis amovere, & amotos alias punire debite ſeu corrigere teneantur. Prælatis autem inquiſitorum id negligentibus agere, præmiſſa omnia nunciari per prædictos locorum Ordinarios volumus: quibus, ut ea in Apoſtolicæ ſedis notitiam perferant, in virtute ſanctæ obedientiæ diſtricte præcipimus & mandamus. Porro inquiſitoribus ipſis diſtrictius inhibemus, ut nec abutantur quomodolibet conceſſione portationis armorum, nec officiales niſi ſibi neceſſarios habeant, tales qui ſe conferant ad ſua cum inquiſitoribus ipſis officia exequenda.

## CAP. III.

*Damnat ſectam Beguardorum & Beguinarum Alemaniæ, & octo ipſius errores, excitans diœceſanorum & inquiſitorum officium contra illos.* h. d. Joan. Andr.

Idem *in eodem*.

AD noſtrum ( qui deſideranter in votis gerimus, ut fides catholica noſtris proſperetur temporibus, & pravitas hæretica de finibus fidelium extirpetur ) non ſine diſplicentia grandi pervenit auditum, quod ſecta quædam abominabilis, quorundam hominum malignorum, qui Beguardi, & quarundam infidelium mulierum, quæ Beguinæ vulgariter appellantur, in Regno Alemaniæ ( procurante ſatore malorum operum ) damnabiliter inſurrexerint: tenens & aſſerens doctrina ſua ſacrilega & perverſa inferius deſignatos errores. Primo videlicet, quod homo in vita præſenti tantum & talem perfectionis gradum poteſt acquirere, quod reddetur penitus impeccabilis, & amplius in gratia proficere non valebit: nam ( ut dicunt ) ſi quis ſemper poſſet proficere, poſſet aliquis Chriſto perfectior inveniri. Secundo, quod jejunare non oportet hominem, nec orare, poſtquam gradum perfectionis hujuſmodi fuerit aſſecutus: quia tunc ſenſualitas eſt ita perfecte ſpiritui & rationi ſubjecta, quod homo poteſt libere corpori concedere quicquid placet. Tertio, quod illi, qui ſunt in prædicto gradu perfectionis & ſpiritu libertatis, non ſunt humanæ ſubjecti obedientiæ, nec ad aliqua præcepta Eccleſiæ obligantur: quia ( ut aſſerunt ) ubi ſpiritus Domini, ibi libertas. Quarto, quod homo poteſt ita finalem beatitudinem, ſecundum omnem gradum perfectionis in præſenti aſſequi. ſicut

a *De juramento notariorum Hoſtienſ. & Doct. in cap. ut officium. §. ad conſcribendas. de hæ. l. 6. & in c. ſicut. ne clerici vel monachi.* b *In mortis articulo nulla eſt caſuum reſervatio, atque ideo omnes Sacerdotes quoslibet pœnitentes a quibuſvis peccatis & cenſuris abſolvere poſſunt:* ita Concil. Trident. Seſſ. 14 cap. 7. de caſuum reſervatione.

a *Delictum prælati quando noceat Eccleſiis, vide Fel. in c. ad audientiam de reſcr. & Alex. conſ 23. l. 1.*

UNED

ſicut eam in vita obtinebit beata. Quinto, quod quælibet intellectualis natura in ſeipſa naturaliter eſt beata: quodque anima non indiget lumine gloriæ, ipſam elevante ad Deum videndum, & eo beate fruendum. Sexto, quod ſe in actibus exercere virtutum, eſt hominis imperfecti, & perfecta anima licentiat a ſe virtutes. Septimo, quod mulieris oſculum (cum ad hoc natura non inclinet) eſt mortale peccatum: Actus autem carnalis (cum ad hoc natura inclinet) peccatum non eſt, maxime cum tentatur exercens. Octavo, quod in elevatione corporis JESU Chriſti non debent aſſurgere, nec eidem reverentiam exhibere: aſſerentes, quod eſſet imperfectionis eiſdem, ſi a puritate & altitudine ſuæ contemplationis tantum deſcenderent, quod circa miniſterium ſeu ſacramentum Euchariſtiæ, aut circa paſſionem humanitatis Chriſti aliqua cogitarent. Nonnulla etiam alia ſub ſimulata quadam ſanctitatis ſpecie dicunt, faciunt & committunt, quæ oculos divinæ majeſtatis offendunt, & grave in ſe continent periculum animarum.

Cum autem ex debito commiſſi nobis officii, hujuſmodi ſectam deteſtabilem & præmiſſos ipſius execrandos errores (ne propagentur ulterius, & per eos corda fidelium damnabiliter corrumpantur) extirpare ab Eccleſia catholica neceſſario habeamus: Nos ſacro approbante Concilio, ſectam ipſam cum præmiſſis erroribus damnamus & reprobamus omnino: inhibentes diſtrictius, ne quis ipſos de cætero teneat, approbet vel defendat. Eos autem qui ſecus egerint, animadverſione canonica decernimus puniendos. Porro diœceſani & illarum partium inquiſitores hæreticæ pravitatis, in quibus Beguardi & Beguinæ hujuſmodi commorantur, ſuum officium circa eos diligenter exerceant, inquirentes de vita & converſatione ipſorum, qualiterve ſentiant de articulis fidei & Eccleſiæ ſacramentis. In illos vero, quos culpabiles reperierint (niſi abjuratis ſponte prædictis erroribus pœnituerint, & ſatisfactionem exhibuerint competentem) debitam exerceant ultionem.

## TITULUS IV.

## DE HOMICIDIO VOLUNTARIO, VEL CASUALI, CAP. UN.

*Furioſus, infans, vel dormiens, hominem mutilans, vel occidens, non efficitur irregularis: nec etiam ille, qui aliter mortem vitare nequiens, ſuum invaſorem occidit, vel mutilat. h. d.*

Clemens V. *in Concilio Vienenſi.*

SI *a* furioſus, aut infans, ſeu dormiens, hominem mutilet, vel occidat, nullam ex hoc irregularitatem incurrit. Et idem de illo cenſemus, qui mortem alter vitare non valens, ſuum occidit vel mutilat invaſorem.

## TITULUS V.

## DE USURIS. CAP. UN.

*Officiales communitatum facientes, dictantes, vel ſcribentes ſtatuta ſuper uſuris ſolvendis, non repetendis, vel non reſtituendis, vel judicantes ſecundum illa, vel non delentes illa (ſi poſſunt) intra tres menſes de libris communitatum, vel illa ſervantes, excommunicati ſunt.* Joan. Andr.

Clemens V. *in Concilio Vienenſi.*

EX *b* gravi ad nos inſinuatione pervenit, quod quorundam communitates locorum in offenſam Dei & proximi, ac contra jura divina pariter & humana, uſurariam approbantes quodammodo pravitatem, per ſtatuta ſua juramento quandoque firmata, uſuras exigi & ſolvi nedum concedunt, ſed *a* ad ſolvendas eas debitores ſcienter compellunt, ac *b* juxta ipſorum continentiam ſtatutorum gravia imponendo plerunque uſuras repetentibus onera, aliiſque utendo ſuper his diverſis coloribus, & fraudibus exquiſitis, repetitionem impediunt earundem. Nos igitur pernicioſis his auſibus obviare volentes, ſacro approbante Concilio ſtatuimus, ut quicunque communitatum ipſarum Poteſtates, Capitanei, Rectores, Conſules, Judices, Conſiliarii, aut alii quivis Officiales, ſtatuta hujuſmodi de cætero facere, ſcribere, vel dictare, aut quod ſolvantur uſuræ, vel quod ſolutæ, cum repetuntur, non reſtituantur plene ac libere, ſcienter judicare præſumpſerint, ſententiam excommunicationis incurrant. Eandem etiam ſententiam incurſuri, niſi ſtatuta hujuſmodi hactenus edita, de libris communitatum ipſarum (ſi ſuper hoc poteſtatem habuerint) intra tres menſes deleverint, aut ſi ipſe ſtatuta ſive conſuetudines effectum eorum habentes quoquo modo præſumpſerint obſervare.

*Fœneratores in cauſis uſurarum edere coguntur libros rationum ſuarum.* Joan. Andr.

§ 1. Cæterum, quia feneratores ſicut plurimum contractus uſurarios occulte ineunt & doloſe, quod vix convinci poſſunt de uſuraria pravitate, ad exhibendum eum de uſuris agetur ſuarum codices rationum, cenſura ipſos decernimus Eccleſiaſtica compellendos.

*Pertinaciter aſſerens exercere uſuras non eſſe peccatum, hæreticus eſt* Joan. Andr.

§. 2. Sane ſi quis in illum errorem inciderit, ut pertinaciter affirmare præſumat, exercere uſuras non eſſe peccatum, decernimus eum velut hæreticum puniendum; locorum nihilominus Ordinariis & hæreticæ pravitatis Inquiſitoribus diſtrictius injungentes, ut contra eos, quos de errore hujuſmodi diffamatos invenerint, aut ſuſpectos, tanquam contra diffamatos, vel ſuſpectos de hæreſi, procedere non omittant.

## TITULUS VI.

## DE EXCESSIBUS PRÆLATORUM. CAP. UN.

*Providerat Greg. contra XXVII. gravamina, quæ Prælati Religioſis inferebant. eod. tit. Nimis. 1. & 2. hoc vero Concilium providet contra XXX. a quibus Prælatos ceſſare præcipit, & per ſuos ſubditos ceſſare facere, jubentes ipſorum privilegia & jura ſervari.* h. d. Joan. Andr.

Clemens V. *in Concilio Vienenſi.*

FRequens & aſſidua nos quorundam Religioſorum querela circumſtrepit, quod plerique Epiſcopi, & eorum ſuperiores, ac cæteri Eccleſiarum Prælati, ipſorum Religioſorum quietem injuſte in ſubſequentibus multipliciter inquietant. Quidam enim exemptos capiunt, & incarcerant in caſibus non conceſſis a jure. Quidam per gravium interminationem pœnarum impediunt, ne debentes exemptis decimas ſeu reditus, illos ſolvant eiſdem: Neve aliqui Miſſas eorum audiant: Molentes in Molendinis, & coquentes in furnis eorum: Servientes quoque & vaſallos, & domeſticos eorundem, vel alios qualitercunque contrahentes, & participantes cum ipſis, ſuſpendunt, interdicunt, & excommunicant abſque cauſa rationabili pro libito voluntatis; bona illorum interdum nihilominus illicite occupantes. Et appellationibus, quas prædicti exempti ob prædicta, vel alia gravamina rationabiliter interponunt quandoque, minime deferentes, appellantes occaſione appellationum hujuſmodi, interdum capiunt, aut capi faciunt, & carceri

a *Hanc Clementinam latiſſime repetivit Didacus Covarruvias: eum videto.* b *Pro materia intellectu vide D. Thom. 2. 2. qu. 78. per totam quæſtionem.*

a *Al. ſed & ſolvendum eaſdem, &c.* b *Al. aut.*

ceri mancipari. Quidam præterea capellanos in Eccleſiis pleno jure ſpectantibus ad eoſdem (licet nulla cauſa ſubſit legitima) celebrare non ſinunt, nec adminiſtrare parochianis Eccleſiaſtica ſacramenta. Nonnulli *a* etiam indebite Abbates, Monachos & Converſos exemptos, necnon & Clericos ipſis pleno jure ſubjectos, ſi eis non pareant in his etiam, in quibus non tenentur eiſdem, inconſulta facilitate ſuſpendunt, excommunicant, capiunt, & incarcerant: ac loca & Eccleſias interdicunt ipſorum in exigendo inſuper ab ipſis exemptis, ipſorumque ſubditis ſubſidia charitatis, excedunt nimium contra eos. Et inſolitas ac indebitas ipſis contra jura exactiones imponunt: Novos cenſus & indebita onera parochialibus imponunt Eccleſiis, in quibus exempti jus obtinent patronatus: Proceſſus juſte factos, ſeu ſententias juſte latas a delegatis ſedis Apoſtolicæ, vel a conſervatoribus pro exemptis publicari ſeu executioni mandati a ſuis ſubditis non permittunt. Tabellionibus publicis inhibent, ne inſtrumenta conficiant: Et judicibus, ne juſtitiam faciant, ac Juriſperitis, ne conſilium vel auxilium præbeant in cauſis, ſeu negotiis eorumdem: Præſentatos per exemptos ad ordines vel beneficia, quorum præſentatio ad eos pertinet, nolunt admittere, niſi præſentantes ponant obedientiam in ſalutatione literarum, quas pro hujuſmodi præſentatione tranſmittunt: Eccleſiis quoque vacantibus, in quibus monaſteria jus obtinent patronatus (repulſis perſonis idoneis præſentatis ad eas) perſonas inſtituunt inhabiles & indignas. Quidam etiam Eccleſias curam animarum habentes ad menſam Abbatum ſpectantes, quarum fructus quandoque Clericis ſecularibus tradunt, ſeu concedunt ad firmam, Clericis ipſis decedentibus ſuis conferunt Clericis, quamquam ipſæ propter hoc Eccleſiæ in veritate non vacent. Nonnulli quoque in Eccleſiis Monachorum jura ipſorum injuſte ſibi appropriant, & de ipſorum reditibus, ut volunt, ordinant, ita quod rectoribus earum *b* non remanet, unde valeant ſuſtentari. Quidam cum armis & erecto vexillo, molendina, & alia bona contra juſtitiam deſtruunt exemptorum, quæ etiam tanto tempore poſſederunt, quod de contrario memoria non exiſtit; Mittunque frequenter ad monaſteria ſuarum civitatum & diœceſum ſuos conſanguineos & nepotes, & interdum animalia ſua cum cuſtodibus, ut eis de bonis monaſteriorum debeat provideri: Abbates inſuper & Priores monaſteriorum frequenter compellunt, ut ſuis conſanguineis & nepotibus monaſteriorum ſuorum, ſeu Prioratuum poſſeſſiones *c* concedant in perpetuum, vel ad tempus: quas quidem conceſſiones, vel *d* penſiones, nos nullas eſſe volumus ipſo jure: Eoſdem quoque Abbates & Priores, quandoque compellunt ad præſentandum ſibi ad Eccleſias vacantes, in quibus jus obtinent patronatus, & ad monachandum interdum ſuos familiares, conſanguineos, vel nepotes. Frequanter etiam permittunt, & tacite conſentiunt, quod in ſuo dominio temporali per milites, vaſallos & ipſorum temporales Officiales monaſteriorum bona mobilia & immobilia per violentiam occupentur, in caſibus non permiſſis a jure: & aliæ variæ injuriæ perſonis Eccleſiaſticis & monaſteriorum hominibus irrogentur. Præterea interdum injuſte Abbates, Priores, ac alios beneficiatos beneficiis ſuis privant, ut ſic fructus beneficiorum illorum percipere valeant primo anno, pretextu privilegii, quod aſſeruntſe habere, quod uſque ad certum tempus fructus beneficiorum vacantium poſſint percipere primi anni; Quibus non contenti, equos, boves, theſaurum, & alia bona monaſteriorum & beneficiorum vacantium illicite occupant, quæ eſſent futuris ſucceſſoribus reſervanda. Quidam militibus, & aliis potentibus dignitatum ſuarum reditus & proventus vendunt ad tempus, ut per ipſos exempti vicini fortius opprimantur: Nonnulli etiam indebite monaſteria dirimunt. Alii domos & hoſpitalia, & alia bona monaſteriorum mobilia & immobilia frequenter occupant, & detinent occupata. Pluries quoque ſine cauſa juſta impediunt, ne exempti loca ſua valeant reparare. Quidam ſtatuta faciunt per quæ derogatur privilegiis exemptorum. Et generaliter, quamplures prælati Religioſis, præſertim exemptis & privilegiatis, in perſonis, & rebus ſuis ac juribus ſpiritualibus & temporalibus, graves inferunt contra juſtitiam & eorum privilegia injurias & jacturas. Verum quia non eſt regularium & ſæcularium Prælatorum, & ſubditorum exemptorum & non exemptorum univerſalis Eccleſia, extra quam nullus omnino ſalvatur, quorum omnium unus eſt Dominus, una fides, & unum baptiſma: decet ut omnes, qui ejuſdem ſunt corporis, unius etiam ſint voluntatis, & ſicut fratres ad invicem vinculo charitatis adſtricti. Decet igitur, ut & Prælati, & alii tam exempti, quam non exempti ſuis juribus ſint contenti, & alter in alterius injuriam non proſiliat ſeu jacturam. Univerſis itaque Prælatis Eccleſiarum præſentis ſanctionis dicto diſtricte præcipiendo mandamus, quatenus ipſi a prædictis gravaminibus omnino ceſſantes, & ceſſare ſuos ſubditos facientes, viros religioſos, exemptos, privilegiatos, & non exemptos, mendicantes & mendicantes, caritative tractent & foveant, & in ſua jura & privilegia inviolabiliter eis ſervent. Et quoniam plus ſolet timeri, quod ſpecialiter, quam quod generaliter inhibetur, eiſdem Prælatis diſtrictiſſime inhibemus, ut Abbates, Priores, & alios religioſos, ne ad ſua generalia, vel provincialia vadant Capitula, impedire quomodolibet non præſumant.

---

### *TITULUS VII.*

## DE PRIVILEGIIS ET EXCESSIBUS PRIVILEGIATORUM.

### C A P. I.

*Ponit ſex caſus, in quibus Religioſos excommunicat, & abſolutionem Papæ reſervat: & privilegiis, & exemptionibus non obſtantibus eos per Ordinarios locorum denunciari præcipit.* Joan. Andr.

Clemens V. *in Concilio Vienenſi.*

REligioſi, qui Clericis aut Laicis ſacramentum Unctionis extremæ, vel Euchariſtiæ miniſtrare, matrimoniave ſolennizare, non habita ſuper his parochialis Presbyteri licentia ſpeciali, aut qui excommunicatos a canone, præterquam in caſibus a jure expreſſis, vel per privilegia ſedis Apoſt. conceſſis eiſdem, vel a ſententiis per ſtatuta provincialia aut ſynodalia promulgatis, ſeu (ut verbis eorum utamur) a pœna & culpa abſolvere quenquam præſumpſerint: excommunicationis incurrant ſententiam ipſo facto, per ſedem Apoſtolicam duntaxat abſolvendi, quos etiam locorum Ordinarii (poſtquam de hoc eis conſtiterit) excommunicatos faciant publice nunciari, donec de abſolutione ipſorum eis fuerit facta fides, nullo Religioſis eiſdem ſuper hoc exemptionis, vel alio privilegio ſuffragante.

*Ponit ſeptem culpas Religioſorum, a quibus eos præcipit abſtinere ſub certis pœnis, quas eis imponi jubet: & quas Prælatis ipſorum imponit, ſi non ſatisfecerint.* Joan. Andr.

§. I. Quibus etiam in virtute ſanctæ obedientiæ, & ſub inter-

---

a *In vetuſto quodam manuſcr. ita: Nonnulli etiam Abbates indebite monachos & converſos etiam exemptos.* b *alias, eorum* c *alias, penſiones.* d *Hæc duo verba, vel penſiones, non habentur in antiq. cod. etiam impreſſis.*

UNED

interminatione maledictionis æternæ diſtinctius inhibemus, ne in ſermonibus ſuis Eccleſiarum Prælatis detrahant *a*: Aut etiam retrahant Laicos ab Eccleſiarum ſuarum frequentia vel acceſſu, vel indulgentias pronuncient indiſcretas: Neve cum confeſſionibus *b* teſtamentorum intererunt, a reſtitutionibus debitis, aut legatis matricibus Eccleſiis faciendis retrahant teſtatores: Nec legata, vel debita, aut male ablata incerta ſibi aut aliis ſingularibus ſui ordinis fratribus vel Conventibus in aliorum præjudicium fieri ſeu erogari procurent: Nec etiam in caſibus ſedi Apoſtolicæ, aut locorum Ordinariis reſervatis: quenquam abſolvere: Aut perſonas Eccleſiaſticas, præſertim coram Judicibus delegatis a nobis, ſuam contra eos juſtitiam proſequentes, vexare indebite, aut ad loca plura, & præſertim multum remota convenire præſumant. Si qui vero præmiſſa, vel aliquod de præmiſſis attentare præſumpſerint, per duos menſes ſubjaceant pœnis illis, quæ ſecundum eorum regulam, vel ſtatuta, pro gravibus criminibus, ſeu culpis eis conſueverunt imponi: Super quibus abſque manifeſta neceſſitate cum eis non valeat diſpenſari. Cæterum Prælati eorum, niſi de his, quæ occaſione præmiſſorum *c* exceſſuum ad eos quoquomodo pervenerint, Eccleſiis aut perſonis Eccleſiaſticis damnificatis vel læſis ſatisfactionem plenariam exhibuerit intra menſem, poſtquam ſuper hoc fuerint requiſiti, ſuſpenſionis ſententiam uſque ad ſatisfactionem debitam eo ipſo incurrant, non obſtantibus *d* præmiſſis ſtatutis, aut quibuslibet privilegiis, cujuſcunque tenoris exiſtant.

*Ponit moderationem circa duos primos caſus*. h. d. Joan. Andr.

§. 2. Sane Religioſis illis, quibus eſt ab Apoſtolica ſede conceſſum, ut familiaribus ſuis domeſticis, aut pauperibus in hoſpitalibus ſuis degentibus ſacramenta poſſint Eccleſiaſtica miniſtrare, nullum ex præmiſſis volumus quoad hoc præjudicium generari.

## CAP. II.

*Archiepiſcopi per loca exempta provinciæ ſuæ faciunt crucem ante ſe deferri, ipſi etiam & diœceſani ibi benedicunt, audiunt divina, & illa celebrant, & faciunt celebrari: per hoc tamen exemptis vel privilegiatis in aliis nullum fit præjudicium*. Joan. Andr.

Idem *in eodem*.

ARchiepiſcopo *e* per quævis loca exempta ſuæ provinciæ facienti tranſitum, aut ad ea forſan declinanti, ut crucem ante ſe libere portari faciat, benedicat populo, divina officia privatim vel publice ibidem audiat, & ea etiam in pontificalibus celebrari (quovis privilegio contrario non obſtante) ſacro approbante Concilio præſentis conſtitutionis ſerie duximus concedendum. Simili modo concedimus Epiſcopo, ut in locis eiſdem ſuæ diœceſis poſſit populo benedicere, audire divina officia, & ea etiam celebrare, & in ſua præſentia facere celebrari. Sic tamen, quod prætextu conceſſionis hujuſmodi, in locis ipſis exemptis, vel circa hoc privilegiatis, nullam aliam juriſdictionem idem Archiepiſcopus vel Epiſcopus exerceat *f*, nec perſonis exemptis vel privilegiatis moleſtiam inferat *g*, vel gravamen, nullumque *h* exemptioni vel privilegiis eorundem aliud præjudicium generetur, nec ipſis Archiepiſcopo vel Epiſcopo jus aliud quomodolibet acquiratur.

---

a *Vide omnino Concil. Lat. ſub Leon. X. Seſſ.* 11. *in decreto, in Supernæ majeſtatis præſidio*. b *al. factionibus*. c *al. prædictorum*. d *In antiqu. etiam impreſſis conſtanter legitur ita: non obſtantibus in præmiſſis ſtatutis, &c.* e *Vide notata per Doct. in cap.* 1. *ut lite pend. & in cap. antiqua, de privil.* f *alias exerceant*. g *al. inferant*. h *al. ita nullumque exemptioni eorum vel privilegiis alias præjudicium generetur*.

## TITULUS VIII.
## DE POENIS.
## CAP. I.

*Percutiens Epiſcopum, capiens, & banniens, vel hoc mandans, vel ratificans, ſocius, conſiliarius, fautor, & defenſor, cum ſuis poſteris, civitas in hoc delinquens, & ejus Officiales, pœnis variis per Concilium puniuntur*. Joan. Andr.

Clemens V. *in Concilio Vienenſi*. (*An.* 1311.)

SI quis *a* ſuadente diabolo in hoc ſacrilegii genus proruperit, quod quemvis Pontificem injurioſe vel temere percuſſerit, aut ceperit, ſeu banniverit, vel hæc mandaverit fieri, aut facta ab aliis rata habuerit, vel ſocius in his fuerit facientis, aut conſilium in his dederit, aut favorem, ſeu ſcienter defenſaverit eundem: in illis caſibus de prædictis, in quibus excommunicationem per jam editos canones non ſubiret, ſit hujus noſtræ conſtitutionis auctoritate (non obſtante quacunque conſuetudine, quam reputamus approbante ſacro Concilio potius corruptelam) anathematis mucrone percuſſus, a quo nequeat, niſi per ſummum Pontificem (præterquam in articulo mortis) abſolvi. A feudis inſuper, locationibus, officiis, & beneficiis ſpiritualibus ſive temporalibus, quæ ab Eccleſia, cui ſic offenſus præeſt Epiſcopus, obtinet, cadat hoc ipſo, ac ad eandem Eccleſiam libere revertatur. Ipſius filii per maſculinam deſcendentes lineam uſque ad generationem ſecundam (omni ſpe diſpenſationis adempta) reddantur ipſo facto inhabiles Eccleſiaſtica beneficia, in civitate & diœceſi, in quibus idem Epiſcopus præſidet, obtinenda. Terra quoque ipſius (dum tamen ultra unam diœceſim non contineat) uſque ad condignam ſatisfactionem ejuſdem: Necnon *b* locus aut loca, in quibus captus Epiſcopus detinebitur, quamdiu detentio ipſa in eiſdem duraverit, Eccleſiaſtico ſubjaceat interdicto. Quod ſi terra ejuſdem duas diœceſes, vel ultra contineat, diœceſis domicilii principalis ipſius *c*, & illa etiam, in qua fuerit delictum commiſſum, ſi ſua ſit, & duæ aliæ, quæ ſub ipſo ſint eidem loco magis vicinæ, interdicto ſubjaceant ſupradicto. Et quia eo major erit ipſius confuſio, quo ſua fuerit culpa patentior, quouſque dignam *d* ſatisfactionem præſtiterit. Per omnes illius loci, in quo commiſſum eſt facinus, necnon civitatum, & diœceſum vicinarum Eccleſias, quibuslibet diebus Dominicis & feſtivis, pulſatis campanis, & candelis accenſis excommunicatus publice nuncietur. Et cum abſolvendus fuerit, ſufficienter & idonee caveat, quod inferendæ pœnæ parebit, & auxiliante Domino pœnitentiam paraget injungendam. Civitas autem, quæ præmiſſa, vel eorum aliquod in Epiſcopum ſuum commiſerit, interdicto (donec ſatisfecerit) ſubjaceat memorato. Poteſtas vero, Conſiliarii, Ballivus, Scabini, Advocati, Conſules, Rectores & Officiales ipſius, quocunque nomine cenſeantur, in præmiſſis culpabiles exiſtentes, ſimiliter excommunicationis ſententiæ, a qua (niſi ut præmittitur) non valeant abſolutionis obtinere beneficium, ſint ſubjecti. Quæ *e* omnia tanto magis in Epiſcoporum interfectoribus ſunt ſervanda, quanto in eos ſeverior quam in præfatos pœna debet exurgere, & gravioris indignationis aculeus deſævire.

*Excuſat rigorem, dicens, quod graviores pœnæ deberent imponi*. Joan. Andr.

§. 1. Nec ſuper hæc quiſquam miretur, quod præmiſſa perpetrantibus pœnas non infermus graviores: licet enim (quod dicere pudet) hæc, proh dolor! frequenter occurrant, mul-

---

a *De intellectu hujus Clement. vide Joannem Lupum in tract. de libert. Eccleſ. part.* 2. *quæſt.* 1. b *al. ita: necnon locus aut loca alia, in quibus, &c.* c *al. ita: & illa etiam terra in qua, &c.* d *al. condignam*. e *al. ita: quæ etiam tanto magis, &c.*

UNED

multiſque graſſantibus opus eſſet exemplo, & ex dignitate offenſi pœnam metiri deceat offendentis: Epiſcopi enim dicuntur ſanctiſſimi, Chriſti Legati exiſtunt, ſpirituales ſunt patres, noſtrique fratres & Coepiſcopi, columnæ comprobantur Eccleſiæ: quare gravem oporteret eſſe pœnam culpæ violantis dignitate tantæ præeminentiæ adæquandam. Volumus tamen ad præſens in pœnarum exaggeratione temperare rigorem: ad pœnas alias proceſſuri, ſi protervitatem delinquentium hoc expoſcere videamus.

*Repetit jus antiquum de abſolutis in mortis articulo, qui ſanati reincidunt, ſi non ſatisfaciant.* Joan. Andr.

§. 2. Sane ſi quis in aliquo caſuum prædictorum fuerit ab excommunicationis ſententia in mortis articulo abſolutus, niſi poſtquam priſtinæ reſtitutus fuerit ſanitati, quam cito commode poterit, conſpectui Romani Pontificis ſe præſentare curaverit, ejus mandatum *a* humiliter recepturus, prout juſtitia ſuadebit: in eandem excommunicationis ſententiam reincidat ipſo facto. Quamvis enim ſuper hoc ſatis plene in jure alibi ſit proviſum, ne tamen aliquis in hoc ex ignorantia juris ſe fatagat excuſare, hoc expreſſe præmiſſis duximus annectendum.

## C A P. II.

*Procurantes capi viros Eccleſiaſticos, ut renuncient beneficiis, vel ut citati non vadant ad curiam, præter pœnam excommunicationis, quam per canones antiquos incurrunt, ſi ſint Prælati, a perceptione fructuum per triennium ſunt ſuſpenſi, inferiores vero beneficiis ſunt privati. Eandem poenam incurrunt ipſi citati, qui ſe capi procurant. Reſignatio etiam ſic facta non tenet: etiamſi per Prælatos recepta fuerit, vel ratificata.* h. d. Joan. Andr.

Idem

MUltorum ad nos gravis querela deduxit, quod nonnulli obtinentes temporale dominium viros ſæpe Eccleſiaſticos capere, captoſque donec ſua reſignent beneficia, aut ne citati ad Apoſtolicam ſedem ab homine, vel a jure, venire ad ipſam valeant, auſu detinere ſacrilego non verentur, citatos eoſdem in exitu eorum diſtrictuum *b* ut plurimum capientes. Conſiderantes igitur, quantum ex his tam noſtro, & Apoſtolicæ ſedis honori, quam perſonarum Eccleſiaſticarum quieto & proſpero ſtatui non ſine damnanda exempli pernicie derogetur: ſacro approbante Concilio ſtatuimus, ut præter ſententiam canonis, quam facientes, & fieri procurantes præmiſſa incurrere dignoſcuntur, procurantes ipſi perſonæ Eccleſiaſticæ exiſtentes, a perceptione fructuum Eccleſiarum ſuarum, ſi fuerint Prælati, triennio ſint ſuſpenſi. Quod ſi inferiores extiterint, eoipſo obtentis beneficiis ſint privati: Illis pœnam incurſuris eandem, qui ne citati (ut præmittitur) ad ſedem Apoſtolicam veniant, ſed ut ſe ſub obtentu hujuſmodi a veniendo excuſent, a poteſtate ſeculari ſe capi (ut interdum contigiſſe audivimus) procurarint. Sane reſignationes beneficiorum modo ſupradicto extortas (licet a reſignantium ipſorum Prælatis receptæ, aut ratæ habitæ fuerint) nullius omnino decernimus *c* eſſe firmitatis: Locorum Ordinariis injungentes, ut poſtquam eis conſtiterit aliquos ſibi ſubjectos pœnam & ſententiam incurriſſe præmiſſas, ipſas publicare non differant, executionique debitæ (prout ad eos pertinuerit) demandare.

## C A P. III.

*Excommunicat Religioſos mendicantes tranſgreſſores conſtitutionis Bonifacii de exceſſ. prælat. cap. unic. l. 6. Item omnes Religioſos, qui in ſermonibus, vel alibi proferunt aliqua, ut retrahant a ſolutione decimarum, quarum ſolutionem certis diebus & in confeſſionibus ſuadere tenentur ſub certis poenis, quas incurrunt: Niſi ſint tales, quorum monaſteriis, vel Eccleſiis competit percipere decimas.* Joan. Andr.

Idem.

CUpientes eos, quos ad obſervantiam jurium virtutum præmia non inducunt, tam adjectarum exaggeratione pœnarum, quam adjiciendarum de novo formidine, a temerariis auſibus refrænare, tranſgreſſores conſtitutionis, quæ Religioſis mendicantibus domos ad habitandum vel loca quæcunque de novo recipere, recepta hucuſque mutare, vel ea transferre in alios cujuſvis alienationis titulo interdicit. Illos *a* etiam Religioſos, qui aliqua, ut audientes a decimarum Eccleſiis debitarum ſolutione retrahant, in ſermonibus ſuis, vel alibi proferre præſumunt, excommunicationis ſubjacere ſententiæ decernimus ipſo facto.

Et quia niſi fiat quod bonum eſt, a malo abſtinere non ſufficit, Religioſis omnibus injungimus ſub obteſtatione divini judicii, & interminatione maledictionis æternæ, ut quoties populo prædicabunt in prima Dominica, quarta & ultima Quadrageſimæ, & in feſtis Aſcenſionis Dominicæ, Pentecoſtes, Nativitatis beati Joannis Baptiſtæ, Aſſumptionis & Nativitatis beatiſſimæ virginis Mariæ matris Dei audientes expreſſe ſtudeant informare, ſi ab Eccleſiarum rectoribus, vel vicariis, aut loca tenentibus eorundem requiſiti fuerint: Necnon & his, quorum confeſſiones audient, conſcientiam facere, quod decimas ſolvere non omittant. Quod ſi forte in prædicationibus hoc ipſum ſupradictis diebus ſuadere ſcienter omiſerint, per ſuperiores eorum graviter arguantur. Quibus etiam ſuperioribus in virtute ſanctæ obedientiæ diſtricte præcipimus, ut contra taliter omittentes ſtatuta pœnalia faciant, ſecundum quæ ſic acriter puniant tranſgreſſores, quod pœna eorum ſit cæteris in exemplum: Conſtitutione bonæ memoriæ Gregorii Papæ decimi *b* prædeceſſoris noſtri circa hæc edita in ſuo nihilominus robore duratura. Qui vero ſcienter poſtpoſuerint confitentibus conſcientiam facere de ſolvendis hujuſmodi decimis, ab officio prædicationis tamdiu maneant ipſo facto ſuſpenſi, donec confitentibus (ſi hoc ipſum ſibi dicendi commode facultatem habuerint) conſcientiam fecerint: Exinde excommunicationis incurſuri ſententiam ipſo facto, ſi prædicare præſumpſerint, prædicta negligentia (ut præmittitur) non purgata. Ad *c* Religioſos tamen monaſteriorum, vel Rectores Eccleſiarum decimas percipientium nolumus hoc extendi.

*Excommunicat violatores Decret. de ſepult. lib. 6. & abſolutiones Papæ reſervat.* h. d. Joan. Andr.

Sane temerarios violatores conſtitutionis illius, quæ Religioſis & Clericis ſecularibus prohibet, ne aliquos ad vovendum, jurandum, vel fide interpoſita, ſeu alias promittendum inducant, ut ſepulturam apud eorum Eccleſias eligant, vel jam electam ulterius non immutent, ſimilem ſententiam (pœna in dicta conſtitutione contenta in ſuo perdurante robore) incurrere volumus ipſo facto, ab alio, quam a ſede Apoſtolica (præterquam in mortis articulo) nullatenus abſolvendos: nullis privilegiis aut ſtatutis, cujuſcunque tenoris exiſtant, ſuper his valituris.

T I.

a *Al. mandata.* b *Al. ita: ſuorum diſtrictuum, &c.* c *Vide c. Abbas, quod met. cauſ. & l. qui in carcerem. ff. quod metus cauſ. Font.*

a *Vide Concil. Trident. ſeſſ. 25. de reform. cap. 12.* b *In manuſcr. codice, legitur noni.* c *In antiquioribus codic. etiam impreſſis conſtanter legitur ita: ad religioſos tamen monaſteriorum vel Eccleſiarum decimas percipientium, &c.*

## *TITULUS IX.*
## DE POENITENTIIS ET REMISSIONIBUS.
### CAP. I.

*Damnatis ad mortem hoc petentibus, pœnitentia concedi debet: nec valet contraria conſuetudo. Secundo, locorum Ordinarios ad hoc exequendum excitat: ibi, Locorum.* h. d. Joan. Andr.

Clemens V. *in Concilio Vienenſi.* (*an.* 1311)

CUm *a* ſecundum ſtatuta canonica ultimo deputandis ſupplicio, negari (ſi petant) non debeat pœnitentiæ ſacramentum, abuſum damnabilem in quibuſdam partibus contra hoc introductum aboleri omnino volentes, juſtitiarios omnes & dominos temporales, ut ab hujuſmodi deſiſtant abuſu, hortamur in Domino, & obſecramus per viſcera miſericordiæ Jeſu Chriſti: Locorum Ordinariis nihilominus injungentes, ut eos ad hoc cum primum commode poterunt, diligenter monere, & (ſi neceſſe fuerit) Eccleſiaſtica cenſura compellere non omittant.

### CAP. II.

*Repetit Concilium generale, de quæſtoribus non admittendis, ſine literis Apoſtolicis vel diœceſanorum. Et addit per diœceſanos literas Apoſtolicas prius examinari.* h. d. Joan. Andr.

Idem.

ABuſionibus *b*, quas nonnulli eleemoſynarum quæſtores in ſuis proponunt prædicationibus, ut ſimplices decipiant, & aurum ſubtili vel fallaci potius ingenio extorqueant ab eiſdem, cum in animarum cedat *c* periculum, & ſcandalum plurimorum, viam (prout eſt nobis poſſibile) præcludere cupientes, juxta ſtatuta *d* Concilii generalis duximus prohibendum diſtricte, ne Quæſtores aliqui (niſi Apoſtolicas vel diœceſani Epiſcopi literas exhibuerint) quomodolibet admittantur, nec permittantur (cum ſolum ipſis competat indulgentias ſibi conceſſas inſinuare populo, & charitativa poſtulare ſubſidia ſuppliciter ab eodem) ullatenus ipſi populo prædicare, nec aliud exponere, quam quod in literis continebitur ſupradictis. Literas quoque Apoſtolicas diœceſani Epiſcopi (ne quid fraudis committi valeat per eaſdem) antequam admittant, Quæſtores ipſos examinent diligenter.

*Ponit octo reprehenſibiles actus Quæſtorum, quos fieri prohibet: & contraria privilegia revocat.* Joan. Andr.

§. 1. Ad hæc cum aliqui ex hujuſmodi Quæſtoribus, ſicut ad noſtram audientiam eſt perlatum, non ſine multa temeritatis audacia, & deceptione multiplici animarum, indulgentias populo motu ſuo proprio de facto concedant, ſuper votis diſpenſent, a perjuriis, homicidiis, & peccatis aliis ſibi confitentes abſolvant, male ablata, incerta (data ſibi aliqua pecuniæ quantitate) remittant, tertiam *e*, aut quartam partem de pœnitentiis injunctis relaxent, animas tres, vel plures parentum vel amicorum illorum, qui eleemoſynas eis conferunt, de purgatorio (ut aſſerunt mendaciter extrahant, & ad gaudia paradiſi perducant, benefactoribus locorum, quorum Quæſtores exiſtunt, remiſſionem plenariam peccatorum indulgeant, & aliqui ex ipſis eos a pœna, & a culpa (ut eorum verbis utamur) abſolvant.

Nos abuſus hujuſmodi, per quos cenſura vileſcit Eccleſiaſtica, & clavium Eccleſiæ auctoritas ducitur in contemptum, omnimode aboleri volentes, ea per quoſcunque Quæſtores fieri vel attentari de cætero diſtrictius inhibemus: Omnia & ſingula privilegia, ſi quæ ſuper præmiſſis, vel eorum aliquo, ſint aliquibus locis, ordinibus vel perſonis Quæſtorum hujuſmodi quomodocunque *a* conceſſa (ne ipſorum prætextu ſit eis materia talia ulterius præſumendi) auctoritate Apoſtolica, quantum ad præmiſſa, penitus revocantes.

*Delinquentes Quæſtores per Epiſcopos puniri præcipit, non obſtantibus privilegiis.* h. d. Joan. Andr.

§. 2. Quæſtores autem, qui deinceps in præmiſſis vel aliquo præmiſſorum deliquerint, vel alias etiam quibuſcunque ſuis privilegiis abuſi fuerint, ſic per locorum Epiſcopos puniri volumus (nullo prorſus eiſdem Quæſtoribus in hac parte privilegio ſuffragante) quod a ſuis temerariis auſibus, qui ubique (ut communis habet aſſertio) nimium excreverunt, pœnæ formidine propenſius compeſcantur.

---

## *TITULUS X.*
## DE SENTENTIA EXCOMMUNICATIONIS, SUSPENSIONIS ET INTERDICTI.
### CAP. I.

*Religioſi etiam exempti violantes interdictum poſitum per ſedem Apoſtolicam vel Ordinarium loci, vel generalem ceſſationem divinorum, factam per provinciale Concilium, vel eum, qui hoc poſſit, ſervatam per cathedralem, vel matricem Eccleſiam loci, excommunicati ſunt ipſo facto: Non obſtantibus privilegiis, conventionibus, conſuetudinibus & ſtatutis: & reſpicit pendentia.* h. d. Joan. Andr.

Clemens V. *in Concilio Vienenſi.*

EX *b* frequentibus Prælatorum querelis accepimus, & nos ipſi experientia certa probavimus, in minoribus conſtituti, quod plerunque Religioſi nunc patenter excuſationibus fucatis & frivolis innitentes, nunc latenter Eccleſiarum ſuarum januis perforatis, aut in eis factis feneſtris, ſeu modis aliis exquiſitis, non abſque damno cathedralium, & perochialium Eccleſiarum & ſcandalo plurimorum, dirumpendo nervum Eccleſiaſticæ diſciplinæ, civitatum, terrarum, & aliorum locorum generalia interdicta præſumptione damnabili violare præſumunt. Nos igitur in ſancta Dei Eccleſia, cui (diſponente Domino) præſidemus, quæ quidem unica eſt, & unum Deum prædicat atque colit, unam fidem firmiter & ſimpliciter confitetur, uniformitatem (quantum commode poſſumus) conſervare volentes: circa interdictorum obſervantiam prædictorum auctoritate ſedis Apoſtolicæ, vel a locorum Ordinariis poſitorum, de fratrum noſtrorum conſilio diſtricte præcipiendo mandamus, quatenus Religioſi quicunque, tam exempti quam non exempti, cujuſcunque ordinis & conditionis exiſtant, cum cathedralem vel matricem, ſeu parochialem *c* loci Eccleſiam illa viderint, aut ſciverint obſervare (non obſtantibus quibuſcunque appellationibus, antea etiam ad eandem ſedem, vel alium, ſeu alios interjectis, & aliis objectibus quibuſcunque) abſque dolo & fraude, cum moderatione tamen decretalis: Alma, inviolabiliter *d* conſervent. Alioquin non ſervantes, excommunicationis ſententiæ hoc ipſo volumus ſubjacere. Quod etiam in interdictis, & in ceſſationibus a divinis indictis per provincialium Conciliorum ſtatuta, vel ipſorum auctoritate, cum majus ſit provinciale Concilium, quam ſingularis Prælati Provinciæ, ac judicium integrum, quod plurimorum ſententiis comprobatur, volumus obſervari. In ceſſationibus vero generalibus a divinis, civitatum, terrarum & aliorum locorum, quas aliquando ex conſuetu-

---

a *Vide notata per doct. in c. 2. ext. de furtis.* b *Quæſtorum nomen & uſum omnino abolevit Conc. Trident. ſeſſ. 21. de reform. c. 9.* c *al. cedunt.* d *ſtatutum.* e *al. ita: tertiam aut quartam partem aliis de pœnitentiis, & c.*

a *Al. quoquomodo.* b *Not. ex verbo frequentibus, quod jura adaptantur ad ea, quæ frequenter emergunt de hoc, & deſponſ. impub. literas Zabarel.* c *Hæc duo verba, ſeu parochialem, deſunt in antiquioribus exempl. etiam impreſſis.* d *Al. ita: inviolabiliter ea ſervent.*

UNED

ſuetudine, vel alias Capitula, Collegia, vel Conventus ſecularium, aut regularium Eccleſiarum ſibi vendicant (quia ipſos unico lumine ad repellendas injurias eis factas privare nolumus, nec debemus) idem intelligimus obſervandum. Ipſi vero ſint diligenter attenti, ut ſtatuta Romanorum Pontificum prædeceſſorum noſtrorum ſuper his edita, diligenter obſervent. Porro hanc *a* ſanctionem ad pendentia trahimus: non obſtantibus privilegiis, conventionibus, ſtatutis, & conſuetudinibus quibuslibet, quæ contra præmiſſa, ſeu aliquod præmiſſorum Religioſis ipſis in nullo volumus ſuffragari.

C A P. II.

*Domini temporales, qui cogunt aliquos in loco interdicto celebrare divina, vel qui per præcones faciunt tunc ad illa audienda populum evocari, vel prohibent, ne publice excommunicati vel interdicti, ſuper hoc per illos, qui Miſſas celebrant, moniti Eccleſias exeant, & ipſi nominatim moniti, qui non exeunt, excommunicati ſunt, & per Papam abſolvendi*, h. d. Joan. Andr.

Idem.

GRavis ad nos Prælatorum querela perduxit, quod nobiles *b* quidam, & Domini temporales (terris eorum Eccleſiaſtico ſuppoſitis interdicto) nedum in locorum ſuorum capellis, ſed & in collegiatis & aliis inſignium locorum Eccleſiis, Miſſas & alia divina officia publice & ſolenniter faciunt celebrari: ad officia eadem celebranda, nunc hos, nunc illos vocantes, & interdum (quod eſt determs) compellentes: hiſque non contenti exceſſibus per campanarum non ſolum pulſationem, ſed & voce præconis populos etiam interdictos, ut (interdicti non obſtante ſententia) ad audiendas Miſſas hujuſmodi veniant, faciunt evocari. Nonnulli quoque ipſorum ſuis plerunque ſubjectis, ne (licet axcommunicationis vel interdict ſententia publice ſint innodati) de Eccleſiis, dum in ipſis Miſſarum celebrantur ſolennia, inſtantibus etiam celebrantibus exeant, præcipere non verentur: Ex quo frequenter contingit, quod non ſine Dei offenſa, clerique ac populi ſcandalo ipſa Miſſarum ſolennia remaneant inexpleta. Ne igitur exceſſus ſic graves excedentium impunitate trahantur ab aliis in exemplum, præſumptores præfatos, qui in locis interdicto ſuppoſitis quenquam de cætero divina celebrare officia, quomodolibet cogere: aut qui modo prædicto, ad officia eadem audienda aliquos, excommunicationis præſertim vel interdicti ligatos ſententia, evocare: ſeu, qui ne excommunicati publice, aut interdicti, de Eccleſiis, dum in ipſis miſſarum aguntur ſolennia, a celebrantibus, moniti ut exeant, prohibere *c*: Necnon excommunicatos publice & interdictos, qui in ipſis Eccleſiis nominatim a celebrantius, ut exeant moniti, remanere præſumpſerint, excommunicationis ſententia (a qua per ſedem duntaxat Apoſtolicam poſſint abſolvi) ſacro approbante Concilio innodamus.

C A P. III.

*Fratres Minores ſi tempore interdicti recipiunt in ſuis Eccleſiis ad divina fratres & ſorores tertii Ordinis, excommunicati ſunt, nec privilegia juvant*. h. d. Joan. Andr.

Idem.

CUm ex eo, quod Religioſi viri fratres Minores in ſuis recipiunt Eccleſiis ad audienda divina officia tempore interdicti, fratres & ſorores de ordine tertio (quem B. Franciſcus inſtituit) exiſtentes, qui Continentes, ſeu de pœnitentia nuncupantur, ſcandalum aliorum, qui ab his excluduntur, mentibus generetur, cenſura vileſcat Eccleſiaſtica & minoris auctoritatis interdicti ſententia reputetur: Eiſdem fratribus Minoribus diſtrictius inhibemus, ne de cætero aliquem, vel aliquos prædictorum (etiamſi ſuper hoc, hi vel illi, privilegiis quibuſcunque muniti extiterint, quæ ipſis in nullo prorſus quoad hoc volumus ſuffragari) ad divina in ſuis Eccleſiis tempore interdicti quoquomodo admittant. Quod ſi fecerint, eo ipſo excommunicationis ſententiæ ſe noverint ſubjacere, a qua per alium quam per Romanum Pontificem, vel ſatisfactione præmiſſa, per locorum Epiſcopos (quos auctoritate Apoſtolica fungi volumus in hac parte) abſolutionis beneficium nequeant obtinere.

a *Al. ita: porro hanc etiam ſanctionem, &c.* b *Nobiles qui dicantur & cur ita vocentur, late docet Tiraquell. tract. de Nobilitate, c. 2.* c *In manuſcript. ita: prohibere, vel etiam impedire; necnon, &c.*

C A P. IV.

*Si Papa etiam ſcienter excommunicato participat, illum per hoc non abſolvit, niſi exprimat hoc ſe velle. Et ſi ſcienter ſub titulo dignitatis aliquem nominet vel honores, per hoc illum in dignitate non approbat*. Joan. Andr.

Idem.

SI ſummus Pontifex ſcienter etiam excommunicato participet literis, verbo vel oſculo ſeu alio quovis modo, ipſum per hoc abſolvere nulla ratione cenſetur, niſi ſe velle forſitan exprimat illum ex hoc pro abſoluto haberi. Similiter quoque, ſi quem ſub titulo cujuslibet dignitatis, ex certa etiam ſcientia, verbo, conſtitutione, vel literis nominet *a*, honoret, ſeu quovis alio modo tractet: per hoc in dignitate illa ipſum approbare non intelligitur, aut quicquam ei tribuere novi juris.

## *TITULUS XI.*

## DE VERBORUM SIGNIFICATIONE.

C A P. I.

*Declaratur in aliquibus cap. Exiit. eod. tit. lib. 6. præſertim, an Fratres Minores teneantur ad obſervationem eorum omnium, quæ in regula ſub verbis imperativi modi ponuntur: deinde multa inſeruntur, ad quæ Fratres ipſi obligantur. Et conſequenter eorum novem exceſſibus prolixe diſcuſſis, de electione miniſtri ipſorum luculentiſſime tractatur.*

Clemens V. *in Concilio Vienenſi.*

EXivi *b* de paradiſo, dixi, rigabo hortum plantationum, ait, ille cœleſtis agricola, qui vere fons ſapientiæ, verbum Dei a Patre, in Patre manens, genitum ab æterno noviſſime diebus iſtis (fabricante Sancto Spiritu) in utero virginis caro factum, exivit homo ad opus arduum redemptionis humani generis peragendum: exemplar *c* ſe dando cœleſtis vitæ, præbens hominibus ſemetipſum. Verum quia plerumque mortalis vitæ ſolicitudinibus preſſus homo, mentis aſpectum ab exemplaris hujuſmodi intuitu *d* divertebat, verus noſter Salomon in ſolio militantis Eccleſiæ hortum voluntatis inter cæteros quendam fecit, a procelloſis mundi fluctibus elongatum, in quo quietius ac ſecurius vacaretur contemplandis, ſervandiſque hujuſmodi operibus exemplaris, in hunc mundum introivit ipſe, ut rigaret ipſum fœcundis aquis ſpiritualis gratiæ & doctrinæ. Hic hortus ſiquidem eſt fratrum Minorum ſancta religio, quæ muris regularis obſervantiæ firmiter undique circumcluſa, intra ſe ſolo contenta Deo, adornatur abunde novellis plantationibus filiorum. Ad hunc veniens dilectus Dei filius mortificantis pœnitentiæ myrrham metit cum aromatibus, quæ ſuavitate mira univerſis odorem attrahentis ſanctimoniæ circumfundunt. Hæc eſt illa cœleſtis vitæ forma & regula, quam deſcripſit ille confeſſor Chriſti eximius ſanctus Franciſcus, ac ſervandam a ſuis filiis verbo docuit, pariter & exemplo. Quia vero dictæ ſanctæ regulæ profeſſores ac æmu-

a *V. de Felin. rubr. prœmii Gregoriani, & in c. cum vigeſimum. de offic. delegat.* b *Eccleſiaſt. 24.* c *al. ita: exemplar. ſequendo cæleſtis, &c.* d *al. contuitu.*

æmulatores devoti, ut & alumni & veri filii tanti patris affectabant, ſicut & ferventer affectant, ad purum, & ad plenum præmiſſam regulam firmiter obſervare: attendentes quædam, quæ dubium poterant aſſerre ſenſum, in ipſius regulæ ſerie contineri, pro ipſorum declaratione habenda recurrerunt prudenter olim ad apicem Apoſtolicæ dignitatis *a*, ut certificati per ipſam, cujus pedibus etiam per ipſam regulam ſunt ſubjecti, poſſent Domino (pulſis cunctis dubiis) cum plena charitate conſcientiæ deſervire. Horum autem piis ac juſtis ſupplicationibus, plures prædeceſſores noſtri Romani Pontif. ſucceſſive (ſicut dignum erat) applicantes aures & animum, declaraverunt ea, quæ dubia videbantur: ediderunt nonnulla, & aliqua conceſſerunt, ſicut expedire videbant fratrum conſcientiis, ac puræ obſervantiæ ſtatus. Verum, quia plerunque ubi culpa non eſt, eam timere ſolent conſcientiæ timoratæ, quæ in via Dei quodcunque devium expaveſcunt, non ſunt ad plenum ex dictis declarationibus dictorum omnium fratrum conſcientiæ quietatæ, quin circa aliqua ad regulam, ipſorumque ſtatum pertinentia, dubitationum in ipſis fluctus aliqui generentur & oriantur, ſicut ad aures noſtras pluries, & de quam pluribus in publicis & privatis conſiſtoriis eſt perlatum. Quapropter per ipſos fratres nobis extitit humiliter ſupplicatum, quatenus prædictis dubiis quæ occurrerunt, & quæ poſſunt occurrere in futurum, adhibere opportuna declarationis remedia de benignitate ſedis Apoſtolicæ curaremus.

Nos igitur (cujus animus ab ætate tenera pia devotione efferbuit ad hujuſmodi profeſſores regulæ, & ad ordinem ipſum totum: nunc autem ex communi cura paſtoralis regiminis, quam immeriti ſuſtinemus ad ipſos favendos, dulcius & attentius gratioſis favoribus proſequendos, tanto provocamur ardentius, quanto frequentius intenta mente revolvimus fructus uberes, quos ex eorum exemplari vita, & ſalutari doctrina, toti univerſali Eccleſiæ continue cernimus provenire) tam pia ſupplicantium intentione commoti, ad peragendum diligenter quod petitur, ſtudia noſtra duximus convertenda, ipſaque dubia, per plures Archiepiſcopos & Epiſcopos, & in Theologia magiſtros, & alios literatos, providos & diſcretos examinari fecimus diligenter. Cum igitur *b* in primis ex eo, quod in dictæ regulæ principio habetur: Regula & vita fratrum Minorum hæc eſt, ſcilicet Domini noſtri Jeſu Chriſti ſanctum Evangelium obſervare, in obedientia vivendo ſine proprio & in caſtitate. *Item infra*. Finito vero anno probationis *c* recipiantur ad obedientiam, promittentes vitam iſtam ſemper & regulam obſervare. *Item circa finem regulæ*. Paupertatem & humilitatem, & ſanctum Evangelium Domini noſtri Jeſu Chriſti, quod firmiter promiſimus, obſervemus: Fuit hæſitatum, an fratres ejuſdem ordinis ad omnia, tam præcepta quam conſilia Evangelii, ex profeſſione ſuæ regulæ teneantur. Quibuſdam dicentibus, quod ad omnia, aliis autem aſſerentibus, quod ad ſola illa tria conſilia, videlicet vivere in obedientia, in caſtitate, & ſine proprio, ad ea quæ ſub verbis obligatoriis ponuntur in regula obligantur. Nos circa hunc articulum prædeceſſorum noſtrorum veſtigiis inhærentes, ipſumque articulum, quoad aliquid clarius proſequentes, dictæ hæſitationi duximus reſpondendum, quod cum votum determinatum *d* cujuſlibet habeat cadere ſub certo, vovens regulam non poteſt dici teneri ex vi voti hujuſmodi ad ea conſilia Evangelica, quæ in regula non ponuntur. Et quidem B. Franciſci conditoris regulæ, hæc probatur fuiſſe intentio, ex hoc quod quædam Evangelica conſilia in regula poſuit, aliis prætermiſſis. Si enim per illud verbum, Regula & vita fratrum Minorum hæc eſt, &c. intendiſſet eos ad omnia conſilia Evangelica obligare, ſuperflue & nugatorie quædam eorum (ſuppreſſis cæteris) in regula expreſſiſſet. Cum autem natura termini reſtrictivi hoc habeat, quod ſic excludit ab ipſo extranea, quod cuncta ad ipſum pertinentia concludit: Declaramus & dicimus, quod dicti fratres non ſolum ad illa tria vota nude & abſolute accepta, ex profeſſione ſuæ regulæ obligantur, ſed etiam tenentur ad ea omnia implenda, quæ ſunt pertinentia ad hæc tria prædicta, quæ regula ipſa ponit. Nam ſi ad hæc tria prædicta tantum præciſe & nude promittentes ſe ſervare regulam & vivendo in obedientia, caſtitate, & ſine proprio, & non etiam ad omnia contenta in regula, quæ hæc tria modificant, arctarentur, pro nihilo & vane proferrentur hæc verba; Promitto ſemper hanc regulam obſervare: ex quo ex his verbis nulla obligatio naſceretur. Nec tamen putandum eſt, quod B. Franciſcus profeſſores hujus regulæ, quantum ad omnia contenta in regula, modificantia tria vota, ſeu ad alia in ipſa expreſſa, intenderit æqualiter eſſe obligatos: quin potius aperte diſcrevit, quod quoad quædam ipſorum ex vi verbi tranſgreſſio eſt mortalis, & quoad quædam alia non: Cum ad quædam ipſorum verbum apponat præcepti, vel æquipollentis eidem, & quoad aliqua verbis aliis ſit contentus. Item quia præter ea, quæ expreſſe verbo præcepti, ac exhortationis, ſeu monitionis ponuntur in regula, nonnulla verbo imperativi modi negative vel affirmative appoſito inſeruntur, hactenus extitit dubitatum, an tenerentur ad iſta, ut ad habentia vim præcepti. Et quia (ut intelleximus) non minuitur hoc dubium, ſed augetur ex eo, quod felicis recordationis Nicolaus Papa tertius *a* prædeceſſor noſter noſcitur declaraſſe, quod fratres ipſi ex profeſſione ſuæ regulæ ſunt adſtricti ad ea conſilia Evangelica, quæ in ipſa regula præceptorie vel inhibitorie, ſeu ſub verbis æquipollentibus exprimuntur: & nihilominus ad eorum omnium obſervantiam, quæ ipſis in eadem regula ſub verbis obligatoriis indicuntur: ſupplicaverunt prædicti fratres, ut ad ipſorum conſcientias ſervandas *b* declarare, quæ horum cenſeri debeant præceptis æquipollentia ac obligatoria, dignaremur. Nos itaque, qui in ſinceris horum conſcientiis delectamur, attendentes, quod in his, quæ animæ ſalutem reſpiciunt, ad vitandos graves remorſus conſcientiæ, pars ſecurior eſt tenenda *c*: dicimus, quod licet fratres non ad omnium, quæ ſub verbis imperativi modi ponuntur in regula, ſicut ad præceptorum, ſeu præceptis æquipollentium obſervantiam teneantur: Expedit tamen ipſis fratribus ad obſervandam puritatem regulæ & rigorem, quod ad ea ſicut ad æquipollentia præceptis ſe noverint obligatos, quæ hic inferius annotantur. Ut autem hæc, quæ videri poſſunt æquipollentia præceptis ex vi verbi, vel ſaltem ratione materiæ, de qua agitur, ſeu ex utroque ſub compendio habeantur, declaramus, quod illud, quod ponitur in regula, de non habendo plures tunicas, quam unam cum caputio, & aliam ſine caputio: Item, de non portandis calceamentis, & de non equitando extra caſum neceſſitatis: Item, quod fratres vilibus induantur. Item, quod jejunare a feſto

omnium

a *Cap. exiit §. penult. eod. tit. lib. 6. Font.* b *Vide Conc. Trid. ſeſſ. 25. tit. de regularibus & monialibus. c. 1.* c *Vide Conc. Trid. ſeſſ. 25. tit. de regularibus & monialibus. c. 15.* d *Vide B. Thom. 2. 2. qu. 88. art. 1. 2. & 3.*

a *In antiquis Codicib. etiam impreſſis conſtanter legitur, ita: Nicolaus Papa IV & decretalis exiit. de qua loquitur iſte textus habetur eod. tit. lib. 6. etiam tribuitur Nicolao IV. in antiquioribus & emendatioribus exemplaribus, ſicut in hac editione obſervatum eſt.* b *al. ſerenandas, id eſt, clarificandas, ſive ad ſerenitatem & tranquillitatem deducendas.* c *ad hæc vide c. conſilium. & gl. de obſerv. jejun. c. juvenis. de ſponſal. c. in lectum. 24. qu. 2.*

UNED

omnium Sanctorum uſque ad Natale Domini, & in ſextis feriis teneantur: Item, quod Clerici faciant divinum officium, ſecundum ordinem ſanctæ Romanæ Eccleſiæ: Item, quod miniſtri & cuſtodes pro neceſſitatibus infirmorum, & fratribus induendis ſolicitam curam gerant: Item, quod ſi quis fratrum in infirmitatem ceciderit, alii fratres debent ei ſervire: Item, quod fratres non prædicent in Epiſcopatu alicujus Epiſcopi, cum ab eo illis fuerit contradictum: Item, quod nullus audeat penitus populo prædicare, niſi a generali miniſtro, vel aliis, quibus ſecundum declarationem prædictam id competit, fuerit examinatus approbatus, & ad hoc inſtitutus: Item, quod fratres qui cognoſcerent ſe non poſſe præmiſſam regulam ſpecialiter obſervare, debeant & poſſint ad ſuos miniſtros recurrere: Item, quod omnia quæ ponuntur in regula ad formam habitus, tam novitiorum, quam etiam profeſſorum, necnon ad receptionis modum ac profeſſionem ſpectantia, niſi recipientibus, quoad habitum novitiorum (ſicut dicit regula) ſecundum Deum aliter videatur. Hæc, inquam, omnia ſunt a fratribus tanquam obligatoria obſervanda. Item ordo communiter ſenſit, tenet & tenuit ab antiquo, quod ubicunque ponitur in regula hoc vocabulum, *teneantur*: obtinet vim præcepti, & obſervari debet a fratribus ſicut tale. Cæterum quia Chriſti confeſſor prædictos, agendorum ac ſervandorum circa recipiendos ad ordinem, miniſtris & fratribus modum præbens, dixit in regula, quod caveant fratres & eorum miniſtri, ne ſint ſolliciti de rebus ſuis temporalibus, ut libere faciant de eis, quicquid ipſis a Domino fuerit inſpiratum: licentiam tamen habeant ipſi miniſtri mittendi eos ad aliquos Deum timentes, ſi conſilium requiratur, quorum conſilio ſua bona pauperibus erogentur. Dubitaverunt & dubitant multi fratrum, *an liceat ipſis* de bonis ingredientium quicquam recipere ſi donetur, & ſi ad dandum perſonis & Conventibus poſſint eos inducere ſine culpa: ſi etiam ad diſponendum de diſtributione rerum talium debeant ipſi miniſtri ſeu fratres dare conſilium, ubi ad conſulendum alii, quam ex ipſis, ad quos ingreſſuri mittantur, poſſint idonei inveniri. Nos autem conſiderantes attente intendiſſe ſanctum Franciſcum ſuæ regulæ profeſſores, quos fundaverat in maxima paupertate, ab affectu temporalium rerum ipſorum ingredientium per dicta verba ſpecialiter & totaliter elongare, ut quantum eſt ex parte fratrum ipſorum, receptio ad ordinem ſancta & puriſſima appareret, & ne aliquo modo oculum viderentur habere ad bona eorum temporalia, ſed ad ipſos tantum divino ſervitio mancipandos: dicimus a de cætero debere tam miniſtros, quam fratres cæteros a dictis inductionibus ad ſibi dandum, & ſuaſionibus, necnon & dandis circa diſtributionem conſiliis abſtinere: cum per hoc ad timentes Deum ſtatus alterius mitti debeant, non ad fratres, ut vere cunctis pateant eſſe tam ſalubris inſtituti paterni ſtudioſi, zelatores ſeduli & perfecti. Cum vero facere de rebus ſuis, quod Dominus inſpirabit, ipſamet regula ingredientibus liberum velit eſſe: non videtur, quin liceat eis recipere, conſideratis ſcilicet eorum neceſſitatibus, & moderaminibus declarationis jam dictæ, ſi quod de bonis ſuis intrans, ſicut & cæteris pauperibus per modum eleemoſynæ libere velit dare. Cavere tamen in acceptione oblatorum talium decet fratres, ne ex receptorum quantitate notabili præſumi poſſit ſiniſter oculus contra ipſos. Præterea cum dicatur in regula, quod illi, qui jam promiſerunt obedientiam, habeant unam tunicam cum caputio, & aliam ſine caputio, qui habere voluerint: Item, quod fratres omnes veſtimentis vilibus induantur: Noſque prædicta verba declaravimus æquipollere præceptis, volentes hæc determinari plenius, dicimus, quantum ad numerum tunicarum, quod pluribus uti non licet: niſi in neceſſitatibus, quæ haberi poſſunt ex regula, ſecundum quod hunc paſſum memoratus prædeceſſor noſter plenius declaravit: Vilitatem autem veſtium, tam habitus, quam interiorum tunicarum, illam intelligi debere dicimus, quæ ſecundum conſuetudinem, vel conditionem patriæ debeat, quantum ad colorem panni, & pretium vilitatis merito reputari: non enim quoad regiones omnes poteſt determinatus unus modus in talibus aſſignari. Hujuſmodi etiam vilitatis judicium miniſtris & cuſtodibus, ſeu Guardianis duximus committendum, eorum ſuper hoc conſcientias onerantes: ita tamen, quod ſervent in veſtibus vilitatem. Quorum etiam miniſtrorum, cuſtodum, & Guardianorum judicio eodem modo relinquimus, pro qua neceſſitate poſſint ipſi fratres calceamenta portare. Deinde, cum duobus temporibus annotatis in regula, ſcilicet a feſto omnium Sanctorum, uſque ad Nativitatem Domini, & maxime Quadrageſimæ, in quibus jejunare tenentur, inſeratur in eadem regula: Aliis autem temporibus non teneantur, niſi ſexta feria jejunare: & ex hoc voluerunt aliqui dicere, quod dicti ordinis fratres non tenentur, niſi ex condecentia, ad alia jejunia, quam ad iſta: declaramus debere intelligi, eos non teneri ad jejunium aliis temporibus, præterquam in jejuniis ab Eccleſia conſtitutis: non eſt enim veriſimile, quod vel inſtitutor regulæ, vel etiam confirmator, abſolvere ipſos intenderit a ſervandis illis jejuniis, ad quæ de communi ſtatuto Eccleſiæ obligantur cæteri Chriſtiani. Porro cum dictus ſanctus, volens fratres ſuos ſuper omnia a denariis, ſeu pecunia eſſe totaliter alienos, præcepit firmiter fratribus univerſis, ut nullo modo denarios vel pecuniam recipiant, per ſe vel per interpoſitam perſonam, iſtumque articulum declarans idem prædeceſſor noſter, caſus & modos poſuerit, quibus ſervatis a fratribus non poſſint dici, nec debent per ſe vel per alium pecuniæ receptatores contra regulam, vel ſui ordinis puritatem: dicimus fratres teneri cavere ſummopere, quod pro aliis cauſis, & ſub modis aliis, quam ponat dicti prædeceſſoris noſtri declaratio, ad dantes pecunias ſive deputatos nuncios non recurrant: ne (ſi ſecus ab ipſis attentatum fuerit) tranſgreſſores præcepti & regulæ merito poſſint dici. Nam ubi aliquid alieni generaliter prohibetur, quod expreſſe non conceditur, intelligitur denegatum. Quocirca quæſtus omnis pecuniæ, ac oblationum pecuniarum receptio in Eccleſia, vel alibi, cippi vel trunci ordinati ad offerentium ſeu donantium pecunias reponendas, necnon & quicunque recurſus alius ad pecunias, ſeu habentes ipſas, qui per declarationem prædictam non conceditur, hæc, inquam, omnia ſunt eis ſimpliciter interdicta. Cum etiam recurſus ad amicos ſpeciales expreſſe tantum in duobus caſibus, ſecundum regulam concedatur, videlicet, pro neceſſitatibus infirmorum, & fratribus induendis: idque pie & rationabiliter, conſiderata neceſſitate vitæ, ad alias neceſſitates fratrum pro tempore occurrentes, ceſſantibus eleemoſynis, ſeu etiam ingruentes, ſæpedictus prædeceſſor noſter duxerit extendendum: Attendant fratres præfati, quod pro nullis cauſis aliis, quam prædictis vel ſimilibus in via vel alibi recurrere licet eis ad amicos hujuſmodi: ſive ſint dantes pecunias, ſeu deputati per ipſos, ſive nuntii, vel depoſitarii, ſeu alio quovis nomine appellentur, etiam conceſſi per eandem declarationem modi circa pecuniam integre ſervarentur. Denique cum idem confeſſor ſumme affectaverit ſuæ regulæ profeſſores totaliter eſſe abſtractos ab affectu & deſiderio terrenorum, & ſpecialiter a pecunia & ejus uſu totaliter expertes, ſicut probat prohibitio de recipienda pecunia, in regula ſæpius repetita; curare fratres vigilanter neceſſe eſt, quod cum

a *Alias ita: dicimus omnino debere tam miniſtros, &c.*

ex cauſis prædictis & modis ad habentes pecunias deputatas pro ipſorum neceſſitatibus recurrere oportebit ad tenentes ipſas, quicunque hi fuerint, principales vel nuntii, in omnibus ſic ſe gerant, quod ſe cunctis oſtendant in dictis pecuniis (ſicut nec habent) penitus nil habere. Quapropter præcipere, quod & qualiter pecunia expandatur, computumque exigere, de expenſa, eam quomodocunque repetere ſive deponere, aut deponi facere, capſulam pecuniæ, vel ejus clavem deferre: hos actus & conſimiles ſibi fratres illicitos eſſe ſciant. Prædicta enim facere ad ſolos dominos pertinet, qui dederunt, & eos, quos ipſi deputaverunt ad hoc ipſum. Proinde cum vir ſanctus, paupertatis præmiſſæ in regula modum exprimens, dixerit in eadem: Fratres nihil ſibi approprient, nec domum, nec locum, nec aliquam rem: ſed tanquam peregrini & advenæ in hoc ſeculo in paupertate & humilitate Domino famulantes, vadant pro eleemoſyna confidenter: Sicque declaratum extitit per nonnullos prædeceſſores noſtros Romanos Pontifices, hanc expropriationem intelligi debere tam in ſpeciali, quam etiam in communi, propter quod & rerum omnium conceſſarum, oblatarum, & donatarum fratribus (quas & quarum uſum, facti ſcilicet, ordini vel *a* ipſis fratribus licet habere) proprietatem & dominium in ſe & Romanam Eccleſiam receperunt, dimiſſo ipſis fratribus in eis tantummodo uſu facti ſimplicis: Ad noſtrum fuerunt deducta examen, quæ in ordine fieri dicebantur, & videbantur prædicto voto & puritati ordinis repugnare: videlicet, ut ea proſequamur ex ipſis, quæ remedio credimus indigere, quod ſe inſtitui hæredes non ſolum ſuſtinent, ſed procurant. Item, quod reditus annuos recipiunt interdum in tam notabili quantitate, quod Conventus habentes totaliter inde vivunt. Item, quod cum ipſorum negotia, etiam pro rebus temporalibus in curiis agitantur, aſſiſtunt advocatis & procuratoribus, & ad inſtigandum eoſdem ſe ibidem perſonaliter repræſentant. Item, quod executiones ultimarum ſuſcipiunt voluntatum, & gerunt, ſeque intromittunt quandoque de uſurarum vel male ablatorum diſpoſitionibus ſeu reſtitutionibus faciendis. Item, quod alicubi non ſolum exceſſivos hortos, ſed etiam vineas magnas habent: de quibus tam de oleribus, quam de vino multum colligitur ad vendendum. Item, quod temporibus meſſium vel vindemiarum ſic copioſe granum & vinum, mendicando, vel aliunde emendo, colliguntur a fratribus, & in cellariis & granariis reconduntur, quod per anni reſiduum abſque eorum mendicatione poſſunt tranſigere vitam ſuam. Item, quod Eccleſias vel alia ædificia faciunt, vel procurant fieri in quantitate & curioſitate figuræ & formæ, ac ſumptuoſitate notabiliter exceſſiva, ſic quod non videntur habitacula pauperum, ſed magnatum. Paramenta etiam Eccleſiaſtica in pleriſque locis tam multa habent, & tam notabiliter pretioſa, quod excedunt in his magnas Eccleſias cathedrales. Equos inſuper, & arma eis oblata in funeralibus recipiunt indiſtincte. Tamen communitas fratrum, & ſpecialiter Rectores ipſius ordinis aſſerebant, quod prædicta, ſeu plura ex ipſis in ordine non fiebant, quod & ſi qui reperiuntur rei in talibus, rigide puniuntur, necnon contra talia, ne fiant, ſunt facta pluries ab antiquo ſtatuta in ordine multum ſtricta. Cupientes igitur nos ipſorum fratrum providere conſcientiis, & cuncta dubia (quantum poſſibile nobis eſt) de ipſorum pectoribus removere, ad prædicta modo qui ſequitur reſpondemus. Cum enim ad veritatem vitæ pertineat, ut id, quod exterius agitur, interiorem mentis diſpoſitionem & habitum repræſentet: neceſſe habent fratres, qui ſe expropriatione tanta a temporalibus abſtraxerunt, ab omni eo, quod dictæ expropriationi eſſet, vel poſſet videri contrarium, abſtinere. Quia igitur in ſucceſſionibus tranſit non ſolum uſus rei, ſed & dominium ſuo tempore in hæredes: Fratres autem præfati nihil ſibi in ſpeciali acquirere, vel eorum ordini poſſunt, etiam in communi: Declarando dicimus, quod ſucceſſionum hujuſmodi, quæ etiam ex ſui natura indifferenter ad pecuniam, & etiam ad alia mobilia & immobilia ſe extendunt (conſiderata ſui puritate voti) nullatenus ſunt capaces. Nec licet eis valorem hæreditatum talium, vel tantam earum partem, quod præſumi poſſet hoc in fraudem fieri, quaſi ſub modo & forma legati ſibi dimitti facere, vel ſic dimiſſa recipere, quin potius iſta ſic fieri ab ipſis ſimpliciter prohibemus. Cumque annui reditus inter immobilia cenſeantur a jure, ac hujuſmodi reditus obtinere paupertati & mendicitati repugnet: nulla dubitatio eſt, quod prædictis fratribus reditus quoſcunque, ſicut & poſſeſſiones, vel eorum *a* etiam uſum (cum eis non reperiatur conceſſus) recipere vel habere (conditione conſiderata ipſorum) non licet. Amplius cum non ſolum quod malum eſſe dignoſcitur, ſed & omne, quod ſpeciem habet mali, ſit a viris perfectis ſpecialiter evitandum: ex talibus autem aſſiſtentiis in curiis & inſtigationibus, cum de rebus agitur in ipſorum commoda convertendis, creduntur veriſimiliter ex his, quæ foris patent (de quibus habent homines foris judicare) in ipſis rebus fratres *b* aſſiſtentes aliquid quærere tanquam ſuum: nullo modo debent hujuſmodi voti & regulæ profeſſores ſe talibus curiis & litigioſis actibus immiſcere, ut & teſtimonium habeant ab his, qui foris ſunt, & puritati ſatisfaciant voti ſui, ac evitetur per hoc ſcandalum proximorum. Verum etiam cum dicti ordinis fratres, non ſolum a receptione, proprietate, dominio, ſive uſu ipſius pecuniæ, verum etiam a contrectatione qualibet ipſius, & ab ea ſint penitus alieni, quemadmodum ſæpedictus prædeceſſor noſter in declaratione hujuſmodi regulæ plane dixit: Cumque dicti ordinis profeſſores pro nulla re temporali poſſint in judicio experiri, prædictis fratribus non licet, nec competit, quin potius (conſiderata ſui puritate ſtatus) debent ſibi ſcire interdictum, quod hujuſmodi executionibus & diſpoſitionibus ſe exponant: cum hæc ſæpius abſque litigio & contrectatione vel adminiſtratione pecuniæ nequeant expediri. Veruntamen in his exequendis dari conſilium ipſorum ſtatui non obſiſtit, cum ex hoc ipſis circa bona temporalia nulla juriſdictio, ſive actio in judicio, ſive diſpenſatio tribuatur. Licet vero non ſolum ſit licitum, ſed & multum conveniens rationi, quod fratres, qui in laboribus ſpiritualibus orationis & ſtudii ſedulo occupantur, hortos & areas habeant competentes ad recollectionem & recreationem ſui, & interdum ad ſeipſos poſt labores hujuſmodi corporaliter deducendos, necnon ad habenda neceſſaria hortalitia pro ſeipſis: habere tamen hortos aliquos, ut colantur, ac olera ac talia hortalitia pretio diſtrahantur, necnon & vineas, repugnat ſuæ regulæ ordinis puritati, ſecundum quod dictus prædeceſſor declaravit, ac etiam ordinavit; quod ſi talia ad uſus proxime dictos, ut puta agrum vel vineam ad colendum, & conſimilia, fratribus legarentur, per omnem modum fratres a receptione talium abſtinerent: cum etiam præmiſſa habere, ut pretium fructuum ſuis temporibus habeatur *c*, ad naturam & formam proventuum appropinquet. Rurſus cum prædictus ſanctus tam in exemplis vitæ, quam verbis regulæ oſtenderit ſe velle, quod fratres ſui & filii, divinæ providentiæ innitentes, ſuos in Deum jacerent cogitatus, qui volucres cœli poſuit, quæ non congregant in horrea, nec ſeminant, nec metunt: nec eſt veriſimile voluiſſe ipſum eos habere granaria,

*a* *Al. ita: vel ipſis.*

*a* *Al. earum.* *b* *al. ita: fratres & aſſiſtentes, &c.* *c* *alias, habeant.*

naria, vel cellaria, ubi quotidianis mendicationibus deberent ſperare poſſe tranſigere vitam ſuam. Et idcirco non ex timore levi relaxare *a* ſe debent ad congregationes & conſervationes *b* hujuſmodi faciendas, ſed tunc tantum, cum eſſet multum credibile ex jam expertis, quod non poſſent vitæ neceſſaria aliter invenire. Hoc autem miniſtrorum & cuſtodum ſimul & ſeparatim in ſuis adminiſtrationibus & Cuſtodiis (cum Guardiani & duorum de conventu loci diſcretorum Sacerdotum, & antiquorum in ordine fratrum conſilio & aſſenſu) duximus judicio relinquendum, eorum ſuper hoc ſpecialiter conſcientias onerantes. Hinc eſt etiam, quod cum vir ſanctus fratres ſuos in paupertate ſumma ac humilitate fundare voluerit, quoad affectum pariter & effectum, ſicut fere regula tota clamat, convenit ipſis, quod nullo modo deinceps fieri faciant, vel fieri ſuſtineant Eccleſias, vel alia quæcunque ædificia, quæ (conſiderato fratrum inhabitantium numero) exceſſiva in multitudine & magnitudine debeant reputari; Ideoque volumus, quod ubique in ſuo ordine deinceps temperatis & humilibus ædificiis ſint contenti, ne huic tantæ paupertati promiſſæ, quod patet oculis, contrarium foris clamet. Quamvis etiam paramenta & vaſa Eccleſiaſtica ad honorem divini nominis ordinentur, propter quem omnia fecit ipſe Deus: tamen qui abſconditorum eſt cognitor, ad animum ſibi miniſtrantium reſpicit principaliter, non ad manum: nec per illas ſibi vult ſerviri, quæ ſuorum ſervitorum conditioni & ſtatui diſſonarent: propter quod ſufficere debent eis vaſa & paramenta Eccleſiaſtica decentia, in numero & in magnitudine ſufficentia competenter. Superfluitas autem, aut nimia pretioſitas, vel quæcunque curioſitas in his, ſeu aliis quibuſcunque non poteſt ipſorum profeſſioni, vel ſtatui convenire: cum enim hæc ſapiant theſaurizationem, ſeu copiam, paupertati tantæ, quoad humanum judicium, derogant manifeſte. Quapropter præmiſſa ſervari a fratribus volumus, & mandamus. Circa equorum vero & armorum oblationes illud decernimus in omnibus & per omnia obſervandum *c*, quod per declarationem prædictam in pecuniariis noſcitur eleemoſynis definitum. Ex præmiſſis autem ſuccrevit non parum ſcrupuloſa quæſtio inter fratres: videlicet, Utrum ex ſuæ profeſſione regulæ obligentur ad arctum & tenuem, ſive pauperem uſum rerum? Quibuſdam ex ipſis credentibus & dicentibus, quod ſicut quoad dominium rerum habent ex voto abdicationem arctiſſimam, ita ipſis quoad uſum arctitudo maxima & exilitas eſt indicta. Aliis in contrarium aſſerentibus, quod ex profeſſione ſua ad nullum uſum pauperem, qui non exprimatur in regula, obligantur: licet teneantur ad uſum moderatum temperantiæ, ſicut & magis ex condecenti, quam cæteri Chriſtiani. Volentes itaque conſcientiarum prædictorum fratrum providere quieti, & his altercationibus finem dare: declarando dicimus, quod fratres Minores ex profeſſione ſuæ regulæ ſpecialiter obligantur ad arctos uſus, ſeu pauperes, qui in ipſorum regula continentur, & eo obligationis modo, ſub quo continet ſeu ponit regula dictos uſus. Dicere autem, ſicut aliqui aſſerere perhibentur, quod hæreticum ſit tenere, uſum pauperem includi vel non includi ſub voto Evangelicæ paupertatis, præſumptuoſum & temerarium judicamus. Demum, quia ex eo, quod dicta regula, per quos & ubi fieri debeat Miniſtri Generalis electio, tradens, nullam fecit de miniſtrorum Provincialium electione vel inſtitutione penitus mentionem, oriri ſuper hoc poterat dubitatio inter fratres: Nos volentes poſſe ipſos clare ac ſecure procedere in omnibus factis ſuis, declaramus, ſtatuimus etiam & ordinamus in hac conſtitutione in perpetuum valitura, ut cum alicui Provinciæ de miniſtro fuerit providendum, ipſius miniſtri electio *a* penes Capitulum provinciale reſideat, quam idem Capitulum die ſequenti, qua fuerit congregatum, facere teneatur. Ipſius autem electionis confirmatio ad Miniſtrum pertineat Generalem. Et ſi quidem ad electionem hujuſmodi per formam ſcrutinii procedatur, & (votis in diverſa diviſis) electiones plures in diſcordia celebrari contingat: illa, quæ a majori parte Capituli numero (nulla zeli vel meriti collatione aut conſideratione habita) fuerit celebrata, exceptione ſeu contradictione quacunque alterius partis non obſtante, per dictum Generalem Miniſtrum de conſilio diſcretorum de ordine (prius tamen ex officio, prout ſpectat ad ipſum, diligenti examinatione præmiſſa) confirmetur, vel etiam infirmetur, prout eis ſecundum Deum viſum fuerit expedire. Et ſi fuerit infirmata, ad Capitulum provinciale electio hujuſmodi revertatur. Cæterum ſi Capitulum memoratum die prædicta miniſtrum eligere prætermittat, extunc miniſtri Provincialis proviſio ad Generalem miniſtrum libere devolvatur. Verum ſi Miniſtro prædicto & Capitulo generalibus ex certa, manifeſta, ac rationabili cauſa videretur aliquando in Provinciis ultramarinis Hyberniæ, ſeu Græciæ, ſeu Romæ, in quibus hactenus alius providendi modus dicitur ex cauſa certa & rationabili fuiſſe ſervatus, expedire, miniſtrum Provincialem per miniſtrum Generalem, cum proborum ordinis conſilio potius, quam per Capituli prædicti electionem præfici in provinciis Hyberniæ, etiam ultramarinis irrefragabiliter: in Romana vero, vel Græcia, quando Miniſter dictæ Provinciæ moreretur, vel abſolveretur citra mare: illa vice ſervetur abſque dolo, partialitate & fraude (ſuper quo eorum conſcientias oneramus) quod ſuper hoc dictus miniſter cum dictorum proborum conſilio duxerit ordinandum. In deſtitutione vero dictorum miniſtrorum Provincialium ſervari volumus, quod ſuper hoc hactenus de ipſo ordine extiterit obſervatum. Cæterum ſi contingeret eoſdem miniſtro Generali carere, per vicarium ordinis fiat ſuper hoc, quod faciendum fuerit per eundem miniſtrum, uſquequo proviſum fuerit de Generali Miniſtro. Porro, ſi quid de hujuſmodi miniſtro Provinciali ſecus attentari forte contigerit, illud ipſo facto ſit irritum & inane. Nulli igitur omnium hominum liceat hanc paginam noſtrarum declarationum, dictorum, commiſſionis, reſponſionis, prohibitionis, ordinationis, mandati, conſtitutionum, judicationum, & voluntatum infringere, vel ei auſu temerario contraire. Si quis autem, &c.

## CAP. II.

*Determinat & declarat, quid ſignificent hæc verba inſerta iis judicialibus commiſſionibus, quæ fiunt a Principe vel a jure: ſcilicet, quod procedatur ſimpliciter & de plano, & ſine ſtrepitu & figura judicii.* Joan. Andr.

Idem *Clemen*: b *V.*

SÆpe contingit, quod cauſas committimus, & in earum aliquibus ſimpliciter & de plano, ac ſine ſtrepitu & figura judicii procedi mandamus, de quorum ſignificatione verborum a multis contenditur, & qualiter procedi debeat, dubitatur. Nos autem dubitationem hujuſmodi (quantum nobis eſt poſſibile) decidere cupientes, hac in perpetuum valitura conſtitutione ſancimus, ut Judex, cui taliter cauſam committimus, neceſſario libellum non exigat, litis conteſtationem non poſtulet, in tempore etiam feriarum ob neceſſitates hominum indultarum a jure procedere valeat, amputet dilationum materiam, litem quanto poterit faciat breviorem, exceptiones, appellatioues dilatorias, & fruſtra-

a *Al. laxare*. b *Al. obſervationes*. c *Al. ſervandum*.

a *De modo electionis facienda vide noviſſime ſancita in Conc. Trid. ſeſſ. 25. de regularib. & monialibus, c. 6.* b *Hæc duo verba,* Clemens V. *abſunt a vetuſt. codic.*

ſtratorias repellendo, partium, Advocatorum, & Procuratorum contentiones & jurgia, teſtiumque ſuperfluam multitudinem refrænando. Non ſic tamen Judex litem abbreviet, quin probationes neceſſariæ, & defenſiones legitimæ admittantur. Citationem vero, ac præſtationem juramenti de calumnia vel malitia, ſive de veritate dicenda, ne veritas occultetur, per commiſſionem hujuſmodi intelligimus non excludi. Verum quia juxta petitionis formam pronunciatio ſequi debet, pro parte agentis, & etiam rei, ſi quid petere voluerit, eſt in ipſo litis exordio petitio facienda, ſive ſcriptis, ſive verbo: actis tamen continuo (ut ſuper quibus poſitiones & articuli formari debeant, poſſit haberi plenior certitudo, & ut fiat definitio clarior) inſerenda. Et quia poſitiones ad faciliorem expeditionem litium, propter partium confeſſiones, & articulos ad clariorem probationem uſus longævus in cauſis admiſit: Nos uſum hujuſmodi obſervari volentes, ſtatuimus, ut Judex ſic deputatus a nobis (niſi aliud de partium voluntate procedat) ad dandum ſimul utroſque terminum dare poſſit, & ad exhibendum omnia acta & munimenta, quibus partes uti volunt in cauſa poſt dationem articulorum diem certum, quandocunque ſibi videbitur, valeat aſſignare: eo ſalvo, quod ubi remiſſionem fieri contingeret, pro teſtibus producendis poſſint etiam inſtrumenta produci, aſſignatione hujuſmodi non obſtante. Interrogabit etiam partes, ſive ad earum inſtantiam, ſive ex officio, ubicunque hoc æquitas ſuadebit. Sententiam vero diffinitivam (citatis ad id licet non peremptorie partibus) in ſcriptis, & (prout magis ſibi placuerit) ſtans vel ſedens proferat: etiam (ſi ei videbitur) concluſione non facta, prout a ex petitione & probatione, & aliis actitatis in cauſa fuerit faciendum. Quæ omnia etiam in illis caſibus, in quibus per aliam conſtitutionem noſtram, vel alias procedi poteſt, ſimpliciter & de plano, ac ſine ſtrepitu & figura judicii, volumus obſervari. Si tamen in præmiſſis caſibus ſolennis ordo judiciarius in toto vel in parte non contradicentibus partibus obſervetur, non erit proceſſus propter hoc irritus, nec etiam irritandus. Data Avenion. XIII. Calend. Decembr. Pontificatus noſtri An. 2.

a *In antiquioribus etiam impreſſis conſtanter legitur ita, prout ex petitione & probatis & aliis, &c.*

*Clementinæ Conſtitutiones accurate caſtigatæ, cum ſummariis admodum familiaribus finiuntur.*

# EXTRAVAGANTES

*SEU*

## CONSTITUTIONES VIGINTI

*A*

# JOANNE PAPA XXII.

## EDITÆ.

### *TITULUS I.*

### DE ELECTIONE ET ELECTI POTESTATE.

#### CAP. I.

*(Anno 1316. in Gallia).*

*Electi, qui pro ſuorum electionum negotio ad curiam venire tenentur, etiam ſede vacante, non tenentur de neceſſitate in ipſa curia moram trahere: & licet alibi morentur, nullum eis præjudicium generatur.* facit Clement. Ne Romani. §. fin. eod tit.

AD onus Apoſtolicæ ſervitutis ſuperna diſpoſitione vocati, ambiguitates, ex quibus poſſent Eccleſiis damnoſa provenire diſpendia, tollere cupientes, de poteſtatis plenitudine, ac fratrum noſtrorum conſilio ordinamus, quod quibuſcunque electis, qui ad ſedem Apoſtolicam venire vel mittere tenebantur, ac ipſorum electionum inſtructoribus, qui in veniendo ad ſedem ipſam, & ſe præſentando ipſa ſede vacante vel non vacante ſervaverunt tempora a canonibus inſtituta (dummodo præſentaliter adſint in civitate Lugdun. vel fuerint Avenioneſe in Calendis Octobris) ubicunque ſede vacante moram traxerint, nullum ipſis, ſeu eorum juri præjudicium ex mora interim facta ubilibet generetur: ſed eorum jura circa electiones hujuſmodi hoc non obſtante perinde ſerventur illæſa, ac ſi apud ſedem Apoſtolicam moram traxiſſent. Non obſtantibus prædeceſſorum noſtrorum conſtitutionibus quibuſcunque: quibus tamen quoad alia nullum volumus præjudicium generari. Nulli ergo, &c. noſtræ ordinationis infringere, &c. Datum Lugduni VIII. Idus Semptembr. Anno 1.

#### CAP. II.

*(An. 1317. in Gallia).*

*Beneficio vacante, cujus fructus ad certum tempus debentur alicui annalia habenti, vel alii, qualiter debeant fructus ipſis dividi inter ipſum annalia habentem, & beneficiatum. & diviſione facta, cujus ſit electio, hac declarat conſtitutio. Et potuiſſet poni ſub tit. de reſcript. vel Ne ſed. vacant. vel in Eccl. benefic. vel de verborum ſignific.*

Suſce-

Suſcepti regiminis nos cura ſolicitat, ut quæ in Eccleſiis non abſque diſpendio miniſtrorum, & cultus detrimento divini ſervari viderimus, per appoſitionem congrui moderaminis in melius reformemus. Cum itaque in nonnullis Eccleſiis obſervetur, & a longis retro temporibus fuerit obſervatum, quod fructus primi vel ſecundi, aut alterius cujuſcunque ſequentis anni beneficiorum vacantium in eiſdem defuncto, vel fabricæ, aut Eccleſiis, vel perſonis habentibus annalia, de conſuetudine, privilegio vel ſtatuto applicantur in totum; ita quod illi, qui hujuſmodi beneficia canonice obtinent, & ad quos alias de jure fructus ipſi ſpectare deberent, nihil inde percipiunt: unde illud inconveniens ſequitur, quod commode nequeunt ad impendendum ſervitium debitum reſidere in Eccleſiis, in quibus beneficiati exiſtunt. Nos *a* de illo ſuper his remedio providere volentes, per quod hi & illi in fructuum prædictorum perceptione participent, & Eccleſiæ debitis ſervitiis non fraudentur: Præſenti decreto ſtatuimus de fratrum noſtrorum conſilio, quod illi, qui fructus prædictos ſibi *b* hactenus integre vendicabant, ex privilegio, conſuetudine vel ſtatuto, nihil exinde ultra ſummam, pro qua unumquodque beneficiorum ipſorum conſuevit in ſolutione decimæ taxari, prætextu cujuſvis privilegii, conſuetudinis, vel ſtatuti quovis modo percipiant, ſed ipſius ſummæ perceptione duntaxat ſint omnino contenti: totali reſiduo prædicta obtinentibus beneficia remanſuro: niſi forſan illi, qui fructus eoſdem ſoliti fuerant (ut præfertur) cum integritate percipere, pro ſe mallent ipſum habere reſiduum, & obtinentibus ipſa beneficia ſummam dimittere memoratam: quo caſu percipiendi, quod maluerint, illis relinquimus optionem: ſic, quod intra decem dies, poſtquam ſciverint beneficia ipſa vacare, iis quibus annalia *c* ipſa debentur ex privilegio, conſuetudine, vel ſtatuto, vel ipſorum annalium *d* collectores, quam partem habere voluerint, an ſcilicet decimæ taxationem, vel illa dimiſſa reſiduum, nulla ſubhaſtatione præmiſſa eligere teneantur. Quam electionem, ſi intra dictos decem dies non fecerint (ut dictum eſt) extunc ad eum, cujus eſt beneficium, hujus optio vel electio tranſeat ipſo jure. Et hoc in Eccleſiis & partibus illis, in quibus beneficia majora, & alia quæ ad ſolutionem decimæ ſunt taxata, volumus obſervari. In illis vero Eccleſiis & partibus, in quibus decimarum taxatio non eſt facta, ſervetur quod fructus & obventiones beneficii tunc vacantis, quod *e* decimam ſolvere conſuevit, per medium dividantur: quorum medietatem habeat is, cui annalium *f* per alterum de prædictis modis perceptio eſt conceſſa. Reliquam vero medietatem percipiat ille, cui beneficium eſt conceſſum, pro ſuſtentatione ſua, & aliis Eccleſiæ oneribus ſupportandis. Quod ſi alter de prædictis præfata medietate noluerit eſſe contentus altero contentari volente, pars nolentis tranſeat ad volentem *g*: & volens fructus & obventiones illius beneficii percipiet univerſos, eidem beneficio congrue faciens deſerviri, ac ejus ſupportans onera conſueta. Et ſi quicquam aliquis prædictorum ultra præmiſſa perceperit, illudque his, ad quos pertinebit, intra menſem non reſtituerit cum effectu: eo ipſo ſi Epiſcopus vel ſuperior Prælatus fuerit, a pontificalibus & ingreſſu Eccleſiæ ſit ſuſpenſus: ſi autem capitulum, univerſitas, vel collegium, interdicto ſe noverint (donec prædicta cum integritate reſtituerint) ſubjacere. Si vero aliqua ſingularis perſona Eccleſiaſtica vel mundana id fecerit, excommunicationis incurrat ſententiam ipſo facto, a qua ſine reſtitutione præmiſſa, præterquam in mortis articulo, minime abſolvatur: Non obſtantibus quibuſcunque privilegiis vel indulgentiis, aut contrariis conſuetudinibus & ſtatutis, juramento *a*, confirmatione ſedis Apoſtolicæ, aut alia quacunque firmitate vallatis, quæ omnia, quoad hoc, auctoritate Apoſtolica revocamus, & nullius deinceps eſſe volumus firmitatis. Nulli ergo, &c. noſtræ conſtitutionis, revocationis, caſſationis, irritationis & voluntatis, &c.

## TITULUS II.
## DE MAJORITATE ET OBEDIENTIA

### CAP. UN.

*(Anno 1317. Avenioni.)*

*Quia multi aſſumebant dominium, & ſe creari faciebant poteſtates & Capitaneos in comitatu Sabinæ, & aliis locis hic nominatis, qui ſunt de patrimonio Eccleſiæ Romanæ: inhibetur, ne tales de cætero aſſumantur, neque illis tanquam talibus obediatur: & quod nullus hujuſmodi præeminentiam ſibi audeat adſcribere ſine ſpeciali licentia ſedis Apoſtolicæ. Et ſi ſint aliquæ civitates, quæ habeant jus eligendi tales Capitaneos per ſedem Apoſtolicam confirmandos, vetat Papa, quod ante confirmationem debitam nulla eis tanquam talibus præſtetur obedientia.*

Eccleſiæ Romanæ ſuorumque fidelium diſpendia diſſimulare non poſſumus, quin poſtquam nobis cognita fuerint, adverſus ea opportunis remediis occurramus. Attendentes igitur gravia nocumenta, quæ nonnullis civitatibus, terris, caſtris, intra patrimonium beati Petri, in Tuſcia, Comitatum Sabinæ, & terram Arnolphorum conſtitutis, eidem Eccleſiæ Romanæ ſubjectis, & perſonis ſingularibus eorundem, ex diverſorum tam nobilium, quam etiam aliorum uſurpato regimine provenerunt, & volentes ſuper hoc in poſterum eorum diſpendiis præcavere: Omnibus & ſingulis comitatibus, ſeu univerſitatibus, & ſingulis perſonis civitatum, terrarum, caſtrorum, & locorum intra patrimonium, comitatum & terram prædictos conſtitutis, in quibus videlicet nobis, ſeu quibuſvis officialibus noſtris, jus *b* competit deputandi vel inſtituendi aut eligendi ſeu ponendi Poteſtates, Capitaneos, Dominos vel Rectores aut Officiales quoslibet alios, ne ipſæ Poteſtatem, Capitaneum, Dominum, Rectorem vel defenſorem, ſeu quemcunque alium officialem, quocunque nomine cenſeatur, in civitatibus, caſtris, terris & locis prædictis, aut eorum aliquo eligere, aſſumere, vocare vel recipere, retinere aut jam electo vel aſſumpto, vocato ſeu recepto, tanquam Poteſtati ſeu Capitaneo, Rectori ſeu defenſori vel officiali obedire quoquo modo præſumant: neve taliter electus, aſſumptus, receptus ſeu vocatus, hujuſmodi poteſtariæ, capitaneatus, dominii, vel rectoriæ, ſeu defenſoriæ, aut quodcunque aliud cujuſvis nominis officium recipere, acceptare, aſſumere, vel gerere (niſi de noſtra & Apoſtolicæ ſedis licentia ſpeciali) quomodolibet audeat, ſed aſſumptum omnino dimittat. Ubi vero ad communitates ſeu univerſitates, & ſingulares perſonas civitatum, terrarum, caſtrorum, & locorum prædictorum, vel eorum aliquem jus competit eligendi Poteſtatem, Capitaneum, Dominum, vel Rectorem, ſeu Officialem quemlibet alium, qui per nos ſeu quoſvis Officiales noſtros debeat aut conſueverit confirmari, ne ante debitam confirmationem obtentam ipſæ, vel earum aliquæ ſic electo, tanquam Poteſtati ſeu Capitaneo, Rectori vel defenſori ſeu officiali in quibuſvis obediant, neve taliter electus quouſque confirmationem habuerit (ut præfertur) hujuſmodi poteſtariæ, capitaneatus, dominii vel rectoriæ, ſeu defenſoriæ, aut cujus-

a *Vide l. fundo C. de omni agro deſer. lib. 1.* b *al. ibi. cal. annualia.* d *al. annualium.* e *al. quos.* f *al. annualium.* g *Vide l. ſi totam. ff. de acquir. her. l. hac ſcriptura. §. fin. ff. de cond. & demon. Font.*

a *Vide c. cum non deceat. de elect. lib. 6. in verbo, pacta Clem. dudum. de ſepul.* b *Vide c. Conſtantinus. 26. diſt. & 23. qu. 8. convenior. de Cleric. conjug. c. ex parte in authen. quomodo oper. Epiſc. col. 1. in princ.*

UNED

cujuſvis alterius nominis officio ſe immiſcere, vel illud gerere aut exercere quovis modo præſumat, auctoritate Apoſtolica diſtrictius inhibemus. Decernentes extunc irritum & inane, quicquid contra hujuſmodi inhibitionis tenorem contigerit attentari. Nulli ergo &c. noſtræ inhibitionis & conſtitutionis infringere. Datum Aven. 4. Nonas Auguſti, Anno 2.

---

## *TITULUS III.*

## DE PRÆBENDIS ET DIGNITATIBUS.

### CAP. UN.

*( Anno 1317 Avenioni. )*

*Tempore hujus cap. obtinentes plures dignitates, perſonatus, vel beneficia curam animarum habentia ex diſpenſatione, virtute illius non poterunt retinere, niſi unum: & reliqua tenebuntur reſignare verbaliter & realiter coram Ordinario ſub teſtimonio publico intra menſem a tempore notitiæ hujus cap. niſi fuiſſent Cardinales, aut Regum filii. Illi autem, qui plura talia ſine diſpenſatione obtinebant, poterunt ultimum retinere, reliquis forma præſcripta & ſub eodem tempore reſignatis. Qui vero deinceps tale habuerit beneficium, ſi cum illo ſecundum ſimile receperit, quamprimum illius poſſeſſionem habuerit, vel per eum ſteterit quo minus habeat, primum quo eſt ipſo jure privatus, modo prædicto reſignare tenetur: alias utrumque perdit, & inhabilis fit ad ſacros ordines ſuſcipiendos, & ad quodcunque beneficium habendum. Tandem, qui dicantur Ordinarii, quantum ad præmiſſa, & quæ ſint beneficia curam animarum habentia, hic manifeſtatur.* h. d. hæc extravagans, quæ eſt notabilis, & multum practicabilis, & gravius obligat, quam cap. de multa. eod. tit. in antiq. ut patet ad oculum.

EXecrabilis quorundam tam religioſorum, quam ſecularium ambitio, quæ ſemper plus ambiens eo magis fit inſatiabilis, quo ſibi amplius indulgetur, & improbitas importuna petentium a nobis & prædeceſſoribus noſtris Romanis Pontificibus, non tam obtinuiſſe, quam extorſiſſe plerunque noſcuntur, quod unus interdum etiam ad unum beneficium Eccleſiaſticum minus idoneus, in diverſis Eccleſiis, nedum vicinis, ſed etiam ab invicem longe diſtantibus, imo nonnunquam in diverſorum regnorum partibus ſituatis, duas aut tres, aut plures dignitates, perſonatus, officia ſeu prioratus, aut diverſa Eccleſiaſtica beneficia curam animarum habentia poſſit diſpenſative ( cum alias non liceret de jure communi ) recipere, & ſimul licite retinere. Unde inter cætera inconvenientia, ſubſcripta ſequuntur, quod videlicet interdum unus, qui unicum, quamvis modicum vix officium implere, ſufficeret, plurimorum ſibi vendicet ſtipendia, quæ multis literatis viris vitæ puritate ac teſtimonio bonæ famæ pollentibus, qui mendicant, poſſent abunde ſufficere, æqua diſtributione collata, habentibus ipſa paratur vagandi materia, divinus cultus minuitur, hoſpitalitas in ipſis beneficiis debita non ſervatur. Et dum non ſunt ſui in unaquaque regione rectores, Eccleſiarum detrahitur commodis & honori, quæ carentes defenſorum auxilio in juribus ſuis, & libertatibus multipliciter collabuntur, & ruinis patent ædificia nobilia, quæ magnificentia extruxerat deceſſorum, & ( quod amarius eſt dolendum ) animarum cura negligitur, & vitiorum ſentibus fomentum periculoſe præbetur. Nos itaque tot malis tantiſque diſcriminibus occurrere cupientes, omnes & ſingulas diſpenſationes ſuper receptione aut retentione plurium dignitatum, perſonatuum, officiorum, prioratuum aut beneficiorum, quibus cura animarum ſit annexa, ſub quacunque forma, vel expreſſione verborum a nobis, vel prædictis prædeceſſoribus cuicunque perſonæ conceſſas ( Cardinalibus tamen ſanctæ Romanæ Eccleſiæ, qui circa nos univerſali Eccleſiæ ſerviendo, ſingularum Eccleſiarum commoditatibus ſe impendunt, ac Regum filiis, qui propter ſublimitatem eorum ac generis claritatem ſunt potioris prærogativa gratiæ attollendi, duntaxat exceptis ) deliberatione ſuper hoc cum fratribus noſtris habita diligenti, de ipſorum conſilio, & ex certa ſcientia noſtra, in forma ſubſcripta duximus taliter moderandas, quod per moderamen noſtrum effrænatam circa eaſdem perſonas talium beneficiorum multitudinem refrenemus: ipſique impetrantes fructu diſpenſationum hujuſmodi totaliter non fruſtrentur *a*. Statuimus itaque, & de fratrum ipſorum conſilio ordinamus, quod obtinentes nunc ex diſpenſatione legitima pluralitatem hujuſmodi dignitatum, perſonatuum, officiorum aut prioratuum ſeu beneficiorum, quæ alias abſque diſpenſatione obtinere nequibant, unum tantum ex dignitatibus, perſonatibus, officiis, prioratibus, Eccleſiis vel beneficiis hujuſmodi, quibus cura imminet animarum, cum dignitate, perſonatu, vel officio, prioratu, Eccleſia, vel beneficio ſine cura, quod habere maluerit, prætextu diſpenſationis ſufficientis circa id eiſdem indultæ, poſſint licite retinere. Quæ tamen teneantur eligere intra menſem numerandum a tempore notitiæ conſtitutionis iſtius: cæteris beneficiis cum cura vel ſine cura, quæ ipſius diſpenſationis prætextu tenebant, & quæ aliter non poterant de jure abſque diſpenſatione licite retinere, quæ nos extunc vacare decernimus, coram Ordinario ſub teſtimonio publico intra idem tempus verbaliter & realiter cum effectu dimiſſis: abſque eo quod ad illa nunquam ſine nova collatione ab eo qui facere poterit facienda redire, aut eorum adminiſtrationi ſe immiſcere præſumant. Alioquin tam his, quam aliis omnibus beneficiis, quæ virtute hujuſmodi noſtri moderaminis retinere poterant ( ut præfertur ) ſint ipſo jure privati, & prorſus inhabiles ad ſimilia beneficia obtinenda. Per hoc autem iis, qui dignitates, perſonatus, officia, vel alia beneficia, curam animarum habentia ex diſpenſatione, quæ jus *b* tribuat, juxta noſtram moderationem præſcriptam obtinent, & alia ſimilia beneficia noſtrarum, vel alias eorundem prædeceſſorum auctoritate literarum expectant, cum quibus eſt, ut illa, cum vacaverint, recipere, & una cum obtentis retinere licite valeant, diſpenſatum, nolumus derogari, quin ea cum vacabunt intra dicti temporis ſpatium poſſunt eligere, & dimiſſis aliis recipere in forma præſcripta, ac licite retinere: pœnas ſimiles incurſuri, ſi huic noſtræ contraire præſumpſerint ſanctioni. Porro, quia quorundam oculos ſic avaræ cupiditatis vitium excæcavit, quod plurima talia beneficia ſimul abſque diſpenſatione canonica retinere præſumunt: Nos de illis præſenti decreto ſtatuimus, ut omnia & ſingula beneficia ſic detenta, illo tantum retento, quod ultimo receperunt, dummodo in eo ex collatione canonica competat jus eiſdem, intra tempus ( ut præſcribitur ) limitatum, verbo & facto ac ſine fraude coram Ordinario ſub teſtimonio ſimiliter publico dimittere teneantur. Quod ſi non fecerint, etiam illo ſint ipſo jure privati, in quo jus eis alias competebat, & inhabiles penitus ad quæcunque obtinenda Eccleſiaſtica beneficia cenſeantur. Qui vero deinceps receperint dignitatem, vel perſonatum, ſeu officium aut aliud beneficium animarum curam habens annexam, ſi antea ſimile beneficium obtinebant, illud ( quo ipſo jure, poſtquam ſecundi poſſeſſionem habuerint, vel per eos omni dolo & fraude ceſſantibus, quo minus habeant, ſteterit, privati noſcuntur ) abſque moræ diſpendio in Ordinariorum manibus dimittere debeant pari modo: Alioquin extunc ſint ipſo jure ſecundo privati, & nedum ad ſacros ſuſcipiendos ordines, quin etiam

---

a *Al. fraudentur.* b *Not. text. pro ſtatuto faciente mentionem de beneficiis, quæ jure obtinentur: nam in tali veniunt beneficia diſpenſati ve retenta, per text. hic. Fant.*

etiam ad habendum quodcunque beneficium Eccleſiaſticum inhabiles reputentur. Quæ omnia & ſingula beneficia vacatura (ut præmittitur) vel dimiſſa, noſtræ & ſedis Apoſtolicæ diſpoſitioni de ipſorum fratrum conſilio reſervamus: Inhibentes, ne quis præter Romanum Pontificem, quacunque ſit ſuper hoc auctoritate munitus, de hujuſmodi beneficiis diſponere, vel circa illa per viam permutationis, vel alias innovare quoquo modo præſumat. Nos enim, ſi ſecus actum ſeu attentatum fuerit, irritum decernimus & inane. Cæterum ordinarios intelligimus in caſibus ſupraſcriptis Epiſcopos, in quorum civitatibus vel diœceſibus conſiſtunt beneficia, ſeu aliquod eorum, quæ debent ſecundum præmiſſa dimitti, aut ipſi, qui ea debent dimittere, commorantur, vel Eccleſiis cathedralibus vacantibus, Capitula eorundem: & hi de beneficiis tam dimiſſis, quam (ut præmittitur) perditis, nos, vel Apoſtolicam ſedem certificare ſtudeant, quamprimum commode poterunt indilate, ut de illis ſalubriter diſponere valeamus. Quantum autem ad modificationem attinet ante factam, illa duntaxat, & non alia beneficia Eccleſiaſtica, quocunque nomine nuncupentur, curam animarum habere cenſemus, quæ parochias habent, in quibus eſt animarum cura, non per vicarios perpetuos, ſed per Rectores aut miniſtros beneficiorum ipſorum, vel illorum temporales vicarios exercenda: necnon & illa, quorum miniſtris ratione beneficiorum hujuſmodi competit viſitare, inquirere, procurationes recipere, ſuſpendere, excommunicare, ſeu ab excommunicationis & ſuſpenſionis ſententiis abſolvere de conſuetudine vel de jure: juribus aliis de animarum cura loquentibus in ſuo robore, quoad cætera, permanſuris. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam noſtrarum moderationis, ſtatutorum, conſtitutionum, reſervationis, inhibitionis, & voluntatum infringere, vel ei auſu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præſumpſerit, indignationem omnipotentis Dei, ac beatorum Petri & Pauli Apoſtolorum ejus ſe noverit incurſurum. Datum Avenione 13. Cal. Decembr. Anno 2.

## *TITULUS IV.*
## DE CONCESSIONE PRÆBENDÆ, ET ECCLESIÆ NON VACANTIS.

### CAP. I.

*Executores gratiarum, & Judices cauſarum a ſede Apoſtolica deputati in diœceſibus jam diviſis procedere poſſunt, ſicut ante diviſionem poterant. Et congrue ponitur ſub hoc titulo, cum loquatur de executoribus, de quibus frequens mentio habetur in tit. de conceſſ. præbend. lib. 6. patet in cap. Executor. cap. Si Capitulo. & cap. Si ſoli. Et potuiſſet ſituari ſub tit. de reſcript. vel de off. deleg. vel de Paroch.*

SEdes a Apoſtolica in ſuis actibus veritatem proſequens, lucem amans, libenter evitat nodoſæ ambiguitatis involucrum, illamque ſibi ſemper in ſuis ordinationibus reſervare cautelam intendit, ut de illis ita proveniat commodum, quod aliis non immineat detrimentum.

Sane pridem ad divini cultus augmentum, & ad ſalutem populi, quem in nonnullis civitatibus ac diœceſibus ſic multiplicavit Altiſſimus, quod in earum ſingulis ſingulorum vulnus nequibat (ut eum decet) unicus paſtor inſpicere, aut alias partes boni paſtoris implere, ſalubriter intendentes, in ipſis diœceſibus (quarum nonnullas in duas, & aliquas in plures diœceſes duximus dividendas) certas civitates & Eccleſias ereximus cathedrales, quarum ſingulis proprias, diſtinctas, & limitatas diœceſes juſſimus aſſignari. Verum quia plures ante ordinationem ſeu diviſionem noſtram hujuſmodi tam a nobis, quam a prædeceſſoribus noſtris Romanis Pontificibus, Apoſtolicas obtinuerunt literas ſuper beneficiis Eccleſiaſticis in ipſis tunc integris diœceſibus vacaturis, quarum nonnullæ reſtant adhuc executioni mandandæ: Nos amovere volentes cujuſvis dubitationis ſcrupulum, qui circa executionem gratiarum ſuper hujuſmodi beneficiis conceſſarum poſſet forſan incidere, & provide conſiderantes attentius, quod per ordinationem ſeu diviſionem noſtram prædictam jus ad rem expectantibus dicta beneficia antea competens ex ratione mutari non debet, quin adeo efficax in diviſis diœceſibus maneat, ſicut prius erat: auctoritate præſentium declaramus, quod omnes & ſingulæ gratiæ ſuper beneficiis vacaturis ante diviſionem hujuſmodi in ipſis quondam integris diœceſibus a nobis, vel prædictis prædeceſſoribus perſonis quibuſcunque conceſſæ, tam in ipſis nunc diviſis, quam in aliis diœceſibus deciſis ab illis, eiſdem modo & forma poſſint ſuo ordine a per executores inde datos, & alios, ad quos id pertinebit, ad debitam executionem adduci, quibus ante diviſiones ſæpefatas poterant & debebant. Idem etiam declaramus, quoad literas Apoſtolicas juſtitiam continentes: ut videlicet Judices dati per illas in cauſis quarumlibet perſonarum, quæ nunc de hujuſmodi diœceſibus diviſis exiſtunt, poſſint juxta earum tenorem provide procedere, ac ſi dictæ diœceſes, de quibus mentio in literis eiſdem habetur, integræ remanſiſſent. Nulli, &c.

### CAP. II.

*Nullus impediat Capitula, Archidiaconos, & alias perſonas in juribus, quæ ſibi competebant in Eccleſiis integris, quin illa jura percipiant poſt diviſionem ipſarum, ſicut ante ſoliti erant percipere: quoniam in beneficiis diviſis habet quis eadem jura, quæ habebat in integris: Et hoc cap. ſub hoc tit. fuit poſitum, quoniam declarat præcedens, ut clare patet. Concord. cap. quia monaſterium. de relig. dom. in antiquis.*

AD Apoſtolatus noſtri pervenit auditum, quod aliquarum Eccleſiarum per nos ab aliis Eccleſiis ex certis cauſis, quæ ad hoc noſtrum animum induxerunt, auctoritate Apoſtolica diviſarum, Prælati & ſubditi Capitulis, Archidiaconis, & aliis perſonis Eccleſiarum, a quibus ſupradictæ Eccleſiæ ſunt diviſæ, multipliciter injuriari præſumunt, non permittentes eos uti juriſdictionibus & juribus ſuis, ſicut ante diviſionem hujuſmodi utebantur. Quia igitur intentionis noſtræ non extitit, nec exiſtit, per diviſionem Epiſcopatuum Eccleſiarum, a quibus diviſiones factæ ſunt, Capitulis, Archidiaconis, vel aliis perſonis velle aliquatenus derogare, niſi quatenus in diviſionum hujuſmodi literis Apoſtolicis continetur expreſſe: Nos præſentis auctoritate ſtatuti univerſis Prælatis, Capitulis, & aliis quibuſcunque perſonis Eccleſiaſticis Eccleſiarum deciſarum, & in cathedrales Eccleſias per nos auctoritate Apoſtolica erectarum, præcipimus & mandamus, ne Capitula, Archidiaconos, & alios perſonatus, vel dignitates, officia ſeu beneficia in prædictis primariis Eccleſiis obtinentes, quo minus viſitationes exerceant, procurationes recipiant, juriſdictiones, & jura Archidiaconalia, & alia bona obtineant in prædictis deciſis diœceſibus, ſicut ante diviſionem hujuſmodi obtinebant, niſi quantum in diviſionem hujuſmodi literis Apoſtolicis caveatur expreſſe, impediant quoquo modo, quouſque per ſedem Apoſtolicam aliud fuerit ordinatum. Si enim aliqui contra præſens præceptum agere vel facere præſumpſerint, nos præſumptores tales digna curabimus animadver-

a *Hæc extravagans habetur inter communes ſub tit. de officio deleg. cum gloſſ. Guilielmi de Monte Lauduno.*

a *Ad hæc vide gloſſ. in tit. de defenſ. civit. §. quæ igitur. c. 3. Vide Claud. Cantiunculam in loco ab ordine. Imol. Nicol. Ever.*

madverſione punire. Nulli, &c. noſtrorum præcepti, & mandati infringere, &c. Datum Avenione 5. Cal. Octobris, Anno 5.

---

## *TITULUS V.*
## NE SEDE VACANTE ALIQUID INNOVETUR.
### CAP. UN.

(*An.* 1316. *Avenioni.*)

*Vacante ſede imperiali, cum juriſdictio ad Papam devolvatur, ſub pœna excommunicationis hic prohibetur, quod nullus tunc nomen Vicarii, Imperatoris, vel alterius cujuſcunque officii retineat, aſſumat, vel reſumat, nulluſque ei obediat, vel auxilium præbeat: alias excommunicatio in perſonas, & interdictum in terras (niſi intra duos menſes reſipuerint) profertur. Tandem modus hujus proceſſus publicandi exprimitur.* h. d.

SI fratrum & Coepiſcoporum noſtrorum, & aliorum quorumlibet jura illibata ſervari, & ab omni ſore diſpendio diminutionis extranea cupimus, & ad illud libenter noſtræ ſolicitudinis ſtudium adhibemus: multo fortius equidem pro noſtris & Romanæ Eccleſiæ ſponſæ noſtræ juribus & honoribus conſervandis ex injuncto nobis officii debito Apoſtolicæ proviſionis partes tenemur impendere, ne temporibus noſtris uſurpationis injuriam ſubeant, aut detrimentum cujuſvis derogationis incurrant. Sane in noſtram & fratrum noſtrorum deductum eſt (fama divulgante) notitiam, quod licet de jure ſit liquidum, & ab olim ſuerit inconcuſſe ſervatum, quod vacante Imperio, ſicut & nunc per obitum quondam Henrici Romanorum Imperatoris vacaſſe dignoſcitur, cum in illo ad ſecularem Judicem nequeat haberi recurſus, ad ſummum Pontificem, cui in perſona beati Petri terreni ſimul & cœleſtis Imperii jura Deus ipſe commiſit, Imperii prædicti juriſdictio, regimen & diſpoſitio devolvuntur, & ea ipſe (durante ipſius vacatione Imperii) per ſe, vel alium, ſeu alios exercuiſſe noſcitur in Imperio memorato: nonnulli tamen in Italiæ partibus poteſtatis & dignitatis faſtigium illicite ambientes, in noſtrum & Romanæ ſanctæ matris Eccleſiæ (quantum in eis eſt) præjudicium evidens, ac diminutionem honoris & juris, vicariatus ſeu alterius cujuſcunque nomen officii, quod ipſo Imperatore vivente ex ipſius commiſſione gerebant in certis terris, territoriis ſive locis, poſt deceſſum ipſius, abſque noſtra vel Apoſtolicæ ſedis petita vel obtenta licentia, retinere ſibi, & nonnulli etiam de novo aſſumere, quod non geſſerant, aut geſtum antea, poſteaque dimiſſum reſumere temerariis auſibus præſumpſerunt, quo vel quibus adhuc non verentur abuti, & ſub ejus vel eorum colore multa facere & feciſſe noſcuntur, quæ in noſtram, & Eccleſiæ prædictæ injuriam aperte redundant, non abhorrentes per id variis involvi criminibus, nec divinæ majeſtatis formidantes offenſam. Quia igitur error, cui non reſiſtitur, approbari videtur, & latum pandit dalinquentibus ſinum, qui eorum perverſis conatibus non reſiſtit: Nos volentes noſtris & Eccleſiæ ſponſæ noſtræ juribus & honoribus in hac parte proſpicere, & malis ac ſcandalis, quæ ex retentione, aſſumptione, ſeu reſumptione hujuſmodi orta ſunt hactenus, & quæ periculoſe poſſent in antea ſuboriri, celeriter obviare, necnon periculis animarum hujuſmodi retinentium, aſſumentium ſeu reſumentium nomina, & eis abutentium (ut præfertur) ſalubriter occurrere cupientes, præſentium auctoritate monemus, ſub excommunicationis pœna, omnes & ſingulos cujuſcunque ſtatus, præeminentiæ, dignitatis, aut conditionis exiſtant, etiamſi Patriarchali, vel quavis alia ſuperiori ſive Epiſcopali, vel Regia, ſeu alia quacunque præfulgeant dignitate, qui poſt vacationem Imperii abſque noſtra, vel ſedis prædictæ licentia hujuſmodi Vicarii ſeu cujuſvis alterius officii nomen ubilibet retinuerunt, aſſumpſerunt, ſeu reſumpſerunt & retinent, & qui aſſument, vel reſument forſaſſis in poſterum, & ſub talis donationis pallio abuſi ſunt, & abutuntur, vel etiam abutentur poteſtate, vel juriſdictione quacunque, ſeu ejus exercitio publice vel occulte, quatenus de cætero etiam a denominatione hujuſmodi, ſeu cujuſcunque aſſumptione, reſumptione ac retentione prædictis, necnon uſu, poteſtate, & exercitio ſupradictis prorſus abſtineant, & omnino deſiſtant. Inhibentes inſuper ſub pœna prædicta omnibus & ſingulis Patriarchis, Prælatis, & etiam aliis ſuperioribus ac Regibus, civitatibus, comitatibus, univerſitatibus, Capitaneis, Poteſtatibus, Rectoribus, Comitibus, Vicecomitibus, Baronibus, & aliis omnibus cujuſcunque ſint dignitatis, conditionis aut ſtatus, ne prædictum hujuſmodi nomen, ſeu aliud quolibet in eodem Imperio retinentes (ut præfertur) aut aſſumentes, vel eorum aliqui ſub denominatione, vel titulo hujuſmodi nominum, ſeu procuratores, commiſſarios, judices, aut vices eorum gerentes, quocunque colore quæſito, recipiant vel admittant, nec ut vicariis ſeu vicario aut officialibus Imperii pareant vel intendant, aut pareri vel intendi faciant, vel permittant, nec in his eis vel ei quomodolibet præſtent auxilium, conſilium, vel favorem. Alioquin in omnes & ſingulos Patriarchas, Prælatos, & ſuperiores & inferiores, Reges & cæteros, denominationem prædictam (ut præmiſſum eſt) retinentes, aſſumentes, ſeu reſumentes, ac illius prætextu exercentes quæcunque officia, poteſtates ſeu juriſdictiones, & recipientes eos, ut vicarios, vel officiales Imperii, aut commiſſarios eorum, ut talium, & in parentes ſeu obedientes eis, ut talibus, aut præſtantes in hoc ſibi conſilium, auxilium, vel favorem, niſi intra duorum menſium ſpatium, a die datæ præſentium numerandum, penitus reſipuerint, vel ſe licentia ſedis Apoſtolicæ ſuper hoc oſtenderint communitos, excommunicationis in ſingulas perſonas, & in terras & loca ipſorum, & quaslibet communitates, univerſitates, civitates, aut villas, interdicti ſententias de fratrum noſtrorum conſilio publice promulgamus. Contra eos nihilominus ſpiritualiter & temporaliter gravius proceſſuri, prout inobedientia eorum exegerit, qualitas facti ſuaſerit, & viderimus expedire. Et ut quibuslibet parendi talibus tollatur occaſio, omnes & ſingulos, qui hujuſmodi vicariatus nomen retinentibus, aſſumentibus ſeu reſumentibus, juramento fidelitatis tenentur adſtricti, a juramento hujuſmodi, quantum ad hoc, de poteſtatis plenitudine abſolventes, auctoritate Apoſtolica firmiter inhibemus eiſdem, ne talibus, ut Vicariis vel Officialibus Imperii, aliquatenus pareant vel intendant. Et inſuper omnes pactiones, obligationes, confœderationes, & colligationes a quibuſcunque ſuper hoc quomodolibet initas, juramento vel quacunque firmitate vallatas, omnino diſſolvimus, viribus vacuamus, irritamus, & quatenus de facto proceſſerint, revocamus: Ac hujuſmodi, & qualibet alia juramenta quibuslibet ſuper his præſtita, per quæ poſſet in prædictis noſtris & Eccleſiæ noſtræ prædictæ juribus derogari, præſertim cum juramentum vinculum iniquitatis eſſe non debeat, relaxamus. Cæterum ut hujuſmodi proceſſus verius ad communem omnium notitiam deducatur, chartas ſeu membranas proceſſum continentes eundem, in Eccleſia Avenionenſi appendi vel affigi oſtiis ſeu ſuperliminaribus faciemus, quæ proceſſum ipſum ſuo quaſi ſonoro præconio & patenti judicio publicabunt: Ita quod omnes & ſinguli, quos proceſſus ipſe contingit, & contingere poteſt, nullam poſtea poſſint excuſationem prætendere, quod ad eos talis proceſſus non pervenerit, vel quod ignoraverint eundem: cum non ſit veriſimile remanere quoad ipſos incognitum vel occultum, quod tam patenter omnibus publicatur. Datum Avenione in domo Epiſcopali, pridie Cal. April. Anno 1.

*TITU-*

UNED

## TITULUS VI.
## DE VOTO ET VOTI REDEMPTIONE.
### CAP. UN.

*Votum per ſuſceptionem ſacri ordinis ſolennizatum, licet impediat matrimonium ſequens, non tamen præcedens: etiamſi nondum eſſet per carnis copulam conſummatum. Et durante matrimonio, etiam nondum conſummato, nullus præſumat accipere aliquem de ſacris ordinibus: quod ſi fecerit, diſſoluto etiam matrimonio, nec in illo miniſtrare, nec ad ſuperiores aſcendere poterit, niſi aliquam de religionibus approbatis ingrediatur, & ejus regulam expreſſe, vel tacite profiteatur. Eſt autem talis conjugatus ſi ordinatus per diœceſanum monendus, ut religionem ingrediatur, ſi matrimonium nondum eſt conſummatum: quod ſi renuerit, & uxor inſtiterit, compellitur per excommunicationem ad matrimonii conſummationem.* hoc dicit. Et eſt caſus notabilis, & qui ſatis efferri non poſſet.

ANtiquæ concertationi finem cupientes imponere, ac animarum periculis inde provenientibus ſalubriter providere, de fratrum noſtrorum conſilio præſenti declaramus edicto, quod licet votum ſolennizatum per ſacri ſuſceptionem ordinis, quantum ad impediendum matrimonium contrahendum, ac ad dirimendum, ſi poſt contractum fuerit ſecundum ſtatuta canonum ſit efficax reputandum: ad diſſolvendum tamen prius contractum, etiamſi per carnis copulam non fuerit conſummatum, cum nec jure divino, nec per ſacros reperiamus canones hoc ſtatutum, invalidum eſt cenſendum: auctoritate Apoſtolica diſtrictius inhibentes, ne quiſquam durante matrimonio, nondum etiam conſummato, aliquem de ſacris ordinibus præſumat ſuſcipere, niſi prout ſacris canonibus noverit convenire. Quod ſi ſecus a quoquam forſitan attentatum fuerit, ordinamus, quod nec matrimonio ſoluto in ſic ſuſcepto ordine miniſtrare, nec ad ſuperiores ordines provehi, nec ad aliquod beneficium vel officium Eccleſiaſticum valeat promoveri: Niſi aliquam de religionibus approbatis (quarum profeſſio ad caſtitatis cuſtodiam, & abdicationem temporalium, & ſui ſuperioris obedientiam ſuos profeſſores adſtringat) ipſum canonice contigerit ingredi, ac ejus regulam expreſſe vel tacite profiteri: quo caſu diœceſanus ſuper præmiſſis & ſingulis præmiſſorum cum eo diſpenſare valeat, niſi ſit aliud canonicum, quod obſiſtat. Ad ingreſſum hujuſmodi ſic ordinatum, ſi matrimonium conſummatum non fuerit, per diœceſanum inſtanter moneri præcipimus, & induci: quod ſi forſan renuerit adimplere, ipſum, ſi ſponſa ejus inſtiterit, per cenſuram Eccleſiaſticam compellendum decernimus contractum matrimonium conſummari. Nulli, &c. noſtrarum declarationis, inhibitionis, ordinationis, præcepti & conſtitutionis infringere. Datum Avenione Calend. Decembr. Anno ſeptimo.

## TITULUS VII.
## DE RELIGIOSIS DOMIBUS.
### CAP. UN.

*Secta & religio Fratricellorum, ſive Beguinorum, qui ſe dicebant de tertio ordine beati Franciſci, caſſatur, quoniam inter cæteros errores Eccleſiaſtica ſacramenta deſpiciebant: Et ſub pœna excommunicationis omnibus injungitur, ut nulli de cætero talem ritum aſſumant, & ne Epiſcopi ipſum concedere præſumant. Vide cap. fin. eod. tit. in antiq. cap. 1. eod. tit. l. 6.*

SAncta a Romana atque univerſalis Eccleſia, cui auctore Domino, licet immeriti, præſidemus, ſicut religioſa & pia vota benigno favore proſequitur, ſic ſuperſtitioſos conatus inſolentium hominum a deteſtatur, videlicet ne ſub ovina pelle gregem Dominicum truculentia lupi rapacis invadat, ſub pietatis imagine virus hæreticæ pravitatis obrepat, & ſub prætextu converſationis angelicæ, incautis mentibus ſpiritus malignus illadat: cujus rei gratia ſacris canonibus eſt interdictum, ne aliquis novum ordinem aut religionem inveniat, vel habitum novæ religionis aſſumat: ſed quicunque ad religionem venire voluerit, ingrediatur unam de religionibus approbatis. Nonnulli tamen profanæ multitudinis viri, qui vulgariter Fraticelli, ſeu fratres de paupere vita, Bizochi ſive Beguini, vel aliis nominibus nuncupantur in partibus Italiæ, necnon in Inſula Sicilienſi, Comitatu Provinciæ Narbon. & Tholoſanen. civitatibus, & diœceſibus, & Provinciis, aliiſque diverſis ciſmarinis & ultramarinis partibus, contra dictos canones habitum novæ religionis aſſumere, congregationes & conventiculas facere, & ſuperiores ſibi ipſis eligere, quos miniſtros, ſeu cuſtodes, vel guardianos, aut nominibus aliis appellant: plurimos ad eorum ſectam recipere, & loca de novo conſtruere, ſeu conſtructa recipere, in quibus habitant in communi, publice mendicare (quaſi eorum ſecta foret una de religionibus per ſedem Apoſtolicam approbatis) temeritate damnabili præſumpſerunt, & præſumunt etiam inceſſanter. Et ut ipſorum error, veritas, & impietas religio reputetur, plurimi eorum regulam ſeu ordinem fratrum Minorum, quem ſanctus Franciſcus inſtituit, ſe profiteri ad literam conſervare confingunt: quanquam in obedientia Generalis, vel Provincialium miniſtrorum ipſius ordinis non morentur: prætendentes ſe a ſanctæ memoriæ Cœleſtino Papa quinto prædeceſſore noſtro hujus ſtatus ſeu vitæ privilegium habuiſſe: quod tamen etſi oſtenderent, non valeret, cum bonæ memoriæ Bonifacius Papa octavus prædeceſſor noſter, ex certis cauſis rationabilibus omnia ab ipſo Cœleſtino prædeceſſore noſtro conceſſa, quæ per ipſum Bonifacium non contingeret approbari, viribus penitus vacuaverit, dictumque vitæ privilegium non inveniatur per eundem Bonifacium approbatum. Quidam autem eorum dictum habitum, & vivendi ritum a quibuſdam Epiſcopis ſeu eorum ſuperioribus, vel aliis Eccleſiarum Prælatis habuiſſe profitentur, quos nec ei concedere licuit contra formam Concilii generalis. Nonnulli etiam ex ipſis aſſerentes ſe eſſe de tertio ordine beati Franciſci, Pœnitentium vocato, prædictum ſtatum & ritum eorum ſub velamine talis nominis ſatagunt palliare: cum tamen in regula ipſius tertii ordinis talis vivendi ritus nullatenus ſit conceſſus. Et quia in errorum barathrum faciliter ruunt, qui conceptus proprios Patrum definitionibus anteponunt, ipſorum quam plurimi (ſicut fide digna relatione percepimus) a veritate catholicæ fidei deviantes Eccleſiaſtica ſacramenta deſpiciunt, ac errores alios ſtudent multipliciter ſeminare. Cum itaque talium damnanda temeritas in ejuſdem fidei detrimentum, fidelium ſcandalum, præfati Minorum & aliorum ordinum opprobrium, & etiam ſuarum & aliorum animarum perniciem redundare noſcatur: ſectam, ritum, & ſtatum hujuſmodi, non obſtantibus præmiſſis eorum excuſationibus, quas frivolas reputamus, & quicquid per eos communiter vel diviſim ſub religionis, Conventus, collegii ſeu congregationis nomine vel colore attentatum extitit, vel exiſtit, de fratrum ipſorum conſilio, auctoritate Apoſtolica nullius fuiſſe & eſſe decernimus firmitatis: & quatenus de facto proceſſerunt, de conſilio, & auctoritate præmiſſis revocamus omnino, ac perpetuæ prohibitioni ſubjicimus, & ab Eccleſia Dei penitus abolemus. Eiſdem perſonis & aliis quibuſcunque ſub

a *De Beguinorum ſecta & erroribus, vide Guidonem Carmelitam in ſumma de hæreſibus, tit. de hæreſibus Beguinorum, & Nicolaum Eymericum in directorio inquiſitorum part. 2. q. 15.*

a *Vide l. qui ſub conditione. ff. de cond. inſtit, l. non erit §. divus. ff. de jurejur.*

UNED

ſub pœna excommunicationis, quam eas (ſi ſecus fecerint) incurrere volumus ipſo facto, injungentes expreſſe, ne ſtatum ſive ſectam & ritum hujuſmodi ab ipſis aſſumptum ſectentur ulterius, vel ipſum de novo aſſumere quoquo modo præſumant. Epiſcopos quoque & eorum ſuperiores & etiam alios Prælatos quoſcunque, qui prædictis perſonis vel aliis ritum vivendi & habitum ſupradictos, præter ſpecialem Apoſtolicæ ſedis auctoritatem deinceps conceſſerint, prædictæ excommunicationis pœnæ ipſo jure decernimus ſubjacere: dignum eſt enim, ut adulterinas plantationes, quas non Pater cœleſtis, ſed humanæ temeritatis audacia plantet, Apoſtolici culminis cenſura divellat: nec patiatur in agro Dominico perverſæ congregationis vepres excreſcere, cui proprium eſt (divina opitulante gratia) virtutes ſerere, ac vitia radicitus extirpare. Nulli ergo, &c. Datum Avenion. 3. Cal. Januar. Anno 2.

## TITULUS VIII.
## DE JUDÆIS ET SARRACENIS.
### CAP. UN.
*(An. 1316. Avenioni.)*

*Ut Petrus filius Regis Caſtellæ pio ductus propoſito facilius Agarenos infideles a regno Granatæ expelleret, lata fuit excommunicationis ſententia in omnes prohibita portantes ipſis infidelibus & Sarracenis præfati regni Granatæ. Concor. c. Ita quorundam & c. Ad liberandam. eod. tit. in antiq.*

COpioſus in miſericordia Dominus, qui de ſua abundantia pietatis corda fidelium ad ſuæ majeſtatis obſequia devotionis ardore ſuccendit, præcordiis dilecti filii nobilis viri Petri Infantis nati claræ memoriæ Sanchii Regis Caſtellæ, adeo copioſe gratiam cœleſtis inſpirationis infudit, quod ſibi delectabile reputat propriam exponere in ipſorum proſecutione perſonam. Pio quidem nobilis ipſe ductus propoſito, tanquam ſtrenuus athleta Domini, negotium impugnationis perfidorum Agarenorum, a quibus regnum Granatæ in Dei contumeliam detinetur, tutorio nomine, chariſſimi in Chriſto filii noſtri Alphonſi Caſtellæ Regis illuſtris, qui ſub teneritudine puerilis ætatis adhuc dignoſcitur conſtitutus, aſſumpſit, ſub ſpe cœleſtis auxilii ferventer & viriliter proſequendum. Cum igitur omnia cupiamus obſtacula removere, per quæ dicti negotii proſecutio poſſet quomodolibet impediri, univerſis & ſingulis cujuſcunque conditionis, præeminentiæ vel ſtatus exiſtant, diſtrictius inhibemus, ne arma, equos, ferrum, ligamina, victualia & alia quæcunque prohibita per Romanos Pontifices prædeceſſores noſtros ad terras Ægypti deferri, & Sarracenos dicti regni Granatæ intra triennium incipiendum a Cal. Aprilis proxime ſecuturi, quomodolibet deferre præſumant. Nos enim omnes & ſingulos, qui ad dictum regnum arma, equos, ferrum, ligamina & victualia ſupradicta & quæcunque prohibita, contra tenorem hujus noſtræ prohibitionis deferre præſumpſerint, illis pœnis & ſententiis, quas deferentes hujuſmodi prohibita in Alexandriam vel ad Ægypti partes incurrunt, decernimus ſubjacere. Et nihilominus omnes & ſingulos, qui Sarracenis Granatæ præſtabunt (dicti negotii proſecutione durante) auxilium, conſilium vel favorem, aut proſecutionem dicti negotii directe vel indirecte, ſecrete vel publice impedire vel turbare forte præſumpſerint, excommunicationis ſententiam incurrere volumus ipſo facto. Nulli ergo noſtræ inhibitionis, conſtitutionis & voluntatis, &c. Dat. Avenione 5. Cal. Mart. Anno primo.

## TITULUS IX.
## DE TORNEAMENTIS.
### CAP. UN.

*Conſtitutio Clementis in quibuſdam regnis torneamenta inhibens ſub pœnis excommunicationis & interdicti, hic revocatur: & illi, qui hujus occaſione ſententias incurrerant, abſolvuntur.*

QUia in futurorum eventibus ſic humani fallitur incertitudo judicii, ut quod conjectura probabili exnunc interdum attenta conſideratio utile pollicetur, reperiri damnoſum quandocunque contingat: nonnunquam quod conſulte ſtatuitur, ex ſanioris inſpectione judicii conſultius revocatur. Sane felicis recordationis Clemens Papa V. prædeceſſor noſter, attente conſiderans, generale paſſagium in Concilio Viennenſi pro terræ ſanctæ ſubſidio ſa ubriter ordinatum, per torneamenta, & haſtiludia, ſive juxtas non leviter impediri: tum quia frequenter ſic ipſum paſſagii negotium proſecutores exinaniunt, quod ad ejus executionem efficiuntur impotentes, tum quia interdum quamplures a crucis aſſumptione retrahunt, dum ab illis abſtinere (aliis ea exercentibus) erubeſcunt: torneamenta ipſa & haſtiludia, ſive juxtas in regnis Franciæ, Angliæ, & Alemaniæ, & aliis nonnullis Provinciis, in quibus ea conſuevere frequentius a exerceri, ſpecialiter interdixit: in facientium ea, vel ad id eis præſtantium opem, conſilium, vel conſenſum, & illorum etiam in quorum locis vel diſtrictibus fierent, non prohibentium hoc, cum poſſent, & illorum procedentes ad illa in domibus ſuis recipientium, vel commercium quomodolibet exercentium cum eiſdem, in perſonas excommunicationis, & in terras interdicti ſententias promulgando, abſolutione ab excommunicatione hujuſmodi, præterquam in mortis articulo, ſedi Apoſtolicæ reſervata: Verum quoniam (ut intelleximus) per ſententiam hujuſmodi periculum animabus ingeritur, & pro eo maxime negotio dicti paſſagii derogatur: quia nonnulli militari cingulo abſtinent, & quia vacare militiæ metu præſertim ipſius ſententiæ non præſumunt, propter quod idoneos & voluntarios ad terræ prædictæ ſubſidium in regnis eiſdem contingit pauciores ſolito reperiri. Nos ad dilectorum filiorum nobis viri Philippi claræ memoriæ regentis Franciæ, & Navarræ Regis, & aliorum de domo regia, necnon quamplurimum magnatum & nobilium, tam in regno Franciæ, quam aliunde, conſiderantium præmiſſa diſcrimina repetitæ ſupplicationis inſtantiam, ſententias excommunicationis & interdicti præfatas, præmiſſorum ſupplicationibus inclinati, & ducti conſiderationibus antedictis, & ex cauſis etiam rationabilibus aliis, in favorem ſæpefati negotii, de fratrum noſtrorum conſilio revocamus: eos, qui propter exercitium torneamentorum ſeu haſtiludiorum ipſorum hujuſmodi ſententias incurrerunt, abſolventes ab illis, & cum eis qui ſic ligati, vel in locis propterea interdictis divina celebrarunt officia, ſuper irregularitate inde contracta auctoritate Apoſtolica diſpenſantes. Datum Lugdun. 16. Cal. Octobr. Anno 1.

## TITULUS X.
## DE CRIMINE FALSI.
### CAP. UN.

*Falſificantes monetam Regis Franciæ, & aliorum locorum circumvicinorum, aliquo de quatuor modis hic prolixe declaratis, ipſo facto excommunicationem incurrunt: a qua abſolvi non poſſunt, niſi a Papa, præterquam in mortis articulo. De falſificantibus ſigillum ipſius Regis Franciæ, habes cap. Ad audientiam. eod. tit. in antiquis.*

PRodiens quaſi ex adipe iniquitatis multorum ſceleratorum funeſta cupiditas, eos in perniciem præcipitare conatur, dum ſequi miſerabilem ejus ingluviem, ſatietatis neſcientem moderamina, non vereа-

a *Vide gl. in l. tale pactum. §. fin. ff. de pactis. l. ſcire oportet. §. fin. ff. de exc. tut. gl. in verbo præſidentes reputata ſingul. Clem. 1. de reſcr. & l. 1. C. de raptor. virg. & Bald. in c. 1. §. ſi quis ruſticus. de paten. Font.*

UNED

rentur: ipſi etenim turpium lucrorum ſe fœcibus immergentes, ambitioſis nexibus involvuntur: Dei timorem damnabili cæcitate poſtponunt, & quaſi ambulantes in tenebris non vitant excidia perſonarum. Nuper ſiquidem ad noſtri Apoſtolatus auditum multorum relatio fide digna perduxit, quod nonnulli nullam habentes auctoritatem juris, vel conſuetudinem, ſeu privilegium faciendi, monetam falſam oſtendunt & fabricant in regno Franciæ, & locis circumvicinis.

Alii vero monetam falſam ſub vera ſigno chariſſimi in Chriſto filii noſtri Caroli Regis Francorum & Navarræ illuſtris ſtudioſe depravant, & ex hoc cadit a ſuo recto pondere. Quamplures etiam in locis circumvicinis, quibus de jure, aut conſuetudine, ſeu privilegio jus competit fabricandi monetam, ſignum proprium monetæ regiæ monetæ ſuæ, quam fabricant, imprimere ſeu inſculpere moliuntur, ejuſdem quantitatis & jucunditatis, literarum figuræ, quam habet moneta regia, monetæ ſuæ, quam fabricant, quantum poſſunt ſimilius, ſpeciem, & formam inſculpunt, conſtituunt, & imponunt: & quamvis moneta prædicta eorum ad uſurpatam ſimilitudinem perducta deficiat a juſto pondere argenti, & ſolito in regia moneta, & more, & conſuetudine obſervato: ſimplices tamen & populares perſonæ, non habentes inter monetas tantæ ſimilitudinis peritiam diſcernendi, falluntur quotidie ea occaſione in uſu monetarum, recipientes monetas falſo aſſimilatas pro veris. Sunt & alii, qui ſcienter falſas monetas extra regnum prædictum emunt, & poſt intra regnum ipſum eas portant, vendunt & expendunt. Nos igitur attendentes, quod iidem falſarii & fabricatores monetarum talium & emptores prædicti per hoc ſe dignos maledictione conſtituant, eos, qui (ut præmittitur) præmiſſa moliri, aut fabricare, aut emere, vel portare ad regnum prædictum ſcienter præſumpſerint, felicis record. Clementis Papæ V. prædeceſſoris noſtri veſtigiis inhærentes, excommunicationis ſententia innodamus: abſolutione prædictorum nobis & ſucceſſoribus noſtris, præterquam in mortis a articulo reſervata: Nulli, &c. noſtræ innovationis infringere, &c. Datum Avenion. 5. Nonas Jul. An. 6.

## *TITULUS XI.*
## DE PRIVILEGIIS.
## CAP. UN.

*Privilegia, ſi qua ſint, quibus aliqui nobiles Campaniæ & Maritimæ dicebant ſe munitos circa bannitorum receptationem, hæc conſtitutio propter cauſas hic inſertas revocat & annullat.*

AD noſtri Apoſtolatus pervenit auditum, quod nonnulli nobiles & communitates intra noſtras Campaniæ, Maritimæque provincias conſtituti, aſſerentes per privilegia ſed. Apoſtolicæ ſibi fore conceſſum, quod de Provinciis ipſis per Rectorem eorum qui eſt pro tempore, vel Officiales curiæ Rectoris ejuſdem banniti, in terris, civitatibus, caſtris, & locis eorum morari libere poſſint, nec in illis idem Rector bannitos ipſos capere valeat: eoſdem bannitos in dictis terris, civitatibus, caſtris, & locis non abſque derogatione ſedis Apoſtolicæ manifeſta recipiunt & receptant. Nos igitur, qui benevoli more patris in provinciarum ipſarum tranquillitatis & pacis commodis delectamur, ſuper hoc (prout ad noſtrum ſpectat officium) pro communi bono provinciarum ipſarum de congruo volentes remedio providere, privilegia ſupradicta, cujuſcunque tenoris exiſtant, maxime cum ipſorum prætextu maleficia remaneant in eiſdem Provinciis impunita, pandatur auſus exceſſibus, cultus lædatur juſtitiæ, dictique Rectoris multipliciter impediatur officium, ac provinciarum ipſarum ſtatus, pacis fœdere violato, non abſque grandi reipublicæ detrimento ſubverti poſſet ſcandalis, ſciſſuris, exnunc auctoritate Apoſtolica ex certa ſcientia revocamus, annullamus, & etiam irritamus, ac nullam habere decernimus roboris firmitatem. Nulli, &c. noſtræ revocationis & annullationis, caſſationis, irritationis, & conſtitutionis infringere. Data Aven. 7. Idus Aug. An. 6.

a *In mortis articulo nulla eſt caſuum reſervatio, atque ideo omnes ſacerdotes quoslibet pœnitentes a quibuſvis peccatis & cenſuris abſolvere poſſunt. Ita Conc. Trid. ſeſſ. 14. cap. 7. de caſuum reſervatione.*

## *TITULUS XII.*
## DE POENIS.
## CAP. UN.

*Narratis facinoribus hominum Marchiæ, qui ſuos Rectores & Officiales occidere ſoliti erant, poſt enumerationem 17. modorum offenſæ, totidem pœnas exprimit, quas incurrent, qui de cætero talia præſument: & propter patrum iniquitatem filios a quibuſcunque honoribus & beneficiis tanquam indignos repellit. Concor. cap. ad aures. & cap. in quibuſdam eod. tit. in antiq. & cap. felicis. eod. tit. l 6. juncta Clem. ſi quis ſuadente diabolo. etiam in eod. tit.*

DIerum a creſcente malitia videmus mundum in deteriora jugiter prolabi, ſic hominum mentes aſſueta depravante nequitia, malis paſſim cumulum ſuperaddi, ut & boni qui alias odirent virtutis amore delinquere, interdum cum perverſis admiſti, concurrere cum illis in illicitis habeant, & in apertam malitiam proſilire. Eſt enim compeſcenda malorum audacia, ut ſaltem pœnæ formidine retrahantur a noxiis, ſicque boni ſectando virtutem meliores effecti, non cogantur cum illis perire. Sane vulgatis famæ notorium publicat, & longe lateque ipſa injurioſa tranſgreſſus evidentia manifeſtat, quod nonnulli de Marchia Anchonitana, Provincia nobis & Romanæ Eccleſiæ ſubjecta, nedum olim temporibus diverſorum prædeceſſorum noſtrorum Romanorum Pontificum greſſus fidelitatis egreſſi, declinaverunt ad infidelitatis reprobæ devium: ſed in diebus non longe præteritis contra nos, & Eccleſiam eandem, & dilectum filium Amelium præpoſitum Bellimontis Capellanum noſtrum, Provinciæ memoratæ Rectorem cervicem rebellionis erigere præſumpſerunt, & in quoſdam officiales & familiares ſuos crudeliter ſævientes, poſt graves illatas injurias, & reproboſas contumelias irrogatas eiſdem, & poſt bona ipſorum violenta prædatione ſubtracta, eos cruentæ mortis ſuppliciis in ore gladii tradiderunt: inter quos pars dicitur fuiſſe non modica, cui mens ſanior inerat, & tantæ temeritatis exceſſus non leviter diſplicebat, ſed habuerunt, vel inviti furori confuſæ multitudinis cedere, dum illius nequiverunt conatibus obviare. Nos igitur, ut mali pœnarum impoſitionibus gravium territi vereantur in antea in conſimilis erroris invium relabi, ac boni perſiſtentes in ſua fidelitate conſtanter, non habeant propter illorum claudicare perfidiam, remediis quibus poſſumus præcavere volentes, & animarum ſuarum ſaluti, dictæque Provinciæ pacifico ſtatui paternis affectibus proſpicere cupientes: de fratrum noſtrorum conſilio hac in perpetuum valitura conſtitutione ſancimus, ut quicunque de Provincia ipſa, vel aliunde in ea Provincia moram trahens, Clericus vel Laicus famæ ſuæ prodigus (ipſius Eccleſiæ calcata reverentia) in hoc ſceleris genus irrepſerit, quod Rectorem ſeu Rectores, qui pro tempore regi-

a *Hic potes videre tractatum D. Boerii, de ſeditioſis civibus. Et ego addo, quod iſti hic expreſſi, quia rebellaverunt contra iſtum Vicerectorem poſitum a Papa, contra quem committitur crimen læſæ majeſtatis. c. in primis. in fin. 2. q 1. inciderunt in illud crimen. Bart. in l. hoſtes. ff. de capt. & poſt l. rev. Cynus in l. non convitii. q. 4. C. de injur. neque iſti quia facta fuerunt omnia in contemptum Papæ, poſſunt injuriam remittere. arg. not. ibi per Cynum. Font.*

UNED

gimini dictæ Provinciæ in ſpiritualibus & temporalibus auctoritate Apoſtolica præfuerint, vel ipſorum aliquem, aut eorum, vel alicujus ipſorum vicarium, aut Judicem, vel Judices, vel ipſius Provinciæ theſaurarium, aut locum tenentem ejuſdem (quod abſit) occiderit, aut ad offendendum illum vel illos inſecutus extiterit, ceperit, captivaverit, detinuerit, percuſſerit, aut etiam vulneraverit, aut ipſorum aliquid, vel alias in locum, ubi moram traxerint, inſultum fecerit, aut ipſum, vel ipſos obſederit, ſive de ſuo regimine vel officio forſan expulerit, vel fugaverit, vel ſocius fuerit facientis, aut illum vel illos bonis aliquibus ſpoliaverit, vel Provinciæ ſupradictæ alicujus civitatis, caſtri vel loci de Provincia ipſa populum, communitatem vel univerſitatem, aut aliquos ex eis, vel quoſvis alios de Provincia ipſa directe vel indirecte, contra nos & præfatam Eccleſiam, ſeu Rectores, Officiales & locum tenentes prædictos, vel ipſorum aliquem ad ſeditionem quomodolibet excitabit, ac rebellionem ſeu conſpirationem per ſe, vel per alium, ſeu alios facere, vel procurare præſumpſerit, vel ad ea, ſive ipſorum aliquod dederit auxilium, conſilium, vel favorem, directe vel indirecte, publice vel occulte, cujuſcunque conditionis, ordinis, dignitatis aut ſtatus Eccleſiaſtici vel mundani fuerit, etiamſi Patriarchali vel Archiepiſcopali, ſeu Epiſcopali, vel ſuperiori præfulgeat dignitate, perpetuo ſit infamis: ut nec ad teſtimonium vel alios actus legitimos admittatur. Sit inteſtabilis, ut nec teſtandi liberam habeat factionem, vel ad alicujus bona ex teſtamento, vel ab inteſtato vocetur. Nullus ei ſuper quocunque negotio reſpondere, ſed ipſe aliis reſpondere teneatur. Nec quævis cauſæ ad audientiam perferantur illius. Nec valeant ejus ſententiæ vel proceſſus. Nullus ei in quacunque cauſa vel negotio patrocinium præſtare præſumat. Nec ipſe ad patrocinandum aliis admittatur. Inſtrumenta confecta per eum, ſi forte officium tabellionatus exerceat, nullam habeant firmitatem, ſed potius cum auctore damnato damnentur. Dignitatibus, officiis & beneficiis Eccleſiaſticis, vel mundanis, quæ obtinet, quæcunque ſint, & quocunque nomine cenſeantur, ſit eo ipſo privatus, ac inhabilis, & indignus ad ea, & quælibet alia in poſterum obtinenda. Filii ejus ad nullos honores Eccleſiaſticos, vel mundanos, ad nullas dignitates, vel beneficia Eccleſiaſtica, aut officia publica quomodolibet admittantur. Libertatibus & etiam immunitatibus realibus & perſonalibus, privilegiis & indulgentiis quibuſcunque ſub quacunque forma verborum ab Apoſtolica ſede conceſſis, extunc penitus careant. Vaſalli & homines a juramento fidelitatis, & alia quavis obligatione, quibus tenentur eidem, ſint penitus abſoluti. Feuda quoque, jura, honores, ac officia, & alia quæcunque immobilia, quæ in dicta Provincia Marchiæ, & alibi ubicunque a prædicta Romana obtinent Eccleſia, ſint eoipſo penitus confiſcata. Aliis vero feudis, juribus, honoribus, officiis, & bonis immobilibus, quæ a quibuſcunque aliis tenent Eccleſiis, ſint eo ipſo privati, quæ ſic ad eaſdem Eccleſias libere revertantur, quod de illis earum Rectores pro ſua voluntate diſponant: mobilia vero bona ipſius concedimus fidelibus occupanda. Illud nihilominus adjicientes noſtræ hujuſmodi ſanctioni, ut ſic delinquens excommunicationis ſententiæ: Univerſitas vero, ſeu communitas quæ deliquerit in prædictis, ejuſque territorium & diſtrictus, interdicto Eccleſiaſtico ſubjaceant ipſo facto: A qua quidem excommunicationis ſententia nullus ab alio, quam a Romano Pontifice poſſit abſolutionis beneficium obtinere, niſi duntaxat in mortis articulo *a* conſtitutus. Per hoc autem non adimimus ſecularibus poteſtatibus facultatem utendi legibus contra talem, quas adverſus ſic delinquentem catholici Principes ediderunt. Dignum etenim eſt, ut quos timor Dei a malo non revocat, pœnarum moles in eos exaggerata compeſcat. Nulli, &c. noſtræ functionis, & ſanctionis inſuper, &c. Datum Avenion. 8. Cal. Septembr. Anno 4.

## *TITULUS XIII.*
## DE SENTENTIA EXCOMMUNICATIONIS, SUSPENSIONIS ET INTERDICTI.
### CAP. UN.

*Taxatio gratiarum ſedis Apoſtolicæ impetratarum, tam cum clauſulis conſuetis, quam non conſuetis, hic continetur. Et quot literas quotque dictiones linea complecti debeat, declaratur: ad paupertatem reſpectus habetur. Contra traſgreſſores pœna ſuſpenſionis ab officio uſque ad ſex menſes, & quandoque privationis imponitur: & ultra illam abbreviatoribus ſententiam excommunicationis Papa comminatur.*

CUM ad ſacroſanctæ Rom. Eccl. ſinum, velut ad matris ubera referta dulcedine, ac de Romani Pont. Chriſti Vicarii ſucceſſoriſque Petri clementiam, tanquam ad patris plenam providentia pietatem, orbis terrarum, & qui habitant in eo, gratiarum ſpe *a* aſſidue confluant univerſi: indignum credimus noſtris fore temporibus, ut quibus nos & Eccleſia ipſa exuberamus in gratiis, deficiamus in donis: ne murmurandi inde præſtetur occaſio, unde gratitudine neceſſitas aderat collaudandi: neve ſcriptura reddat onuſtum, quod liberalitas fecerat gratioſum. Qua de re circa literarum noſtrarum ſcripturas, regiſtri quoque noſtri, necnon abbreviatorum Rom. curiæ notas, illam in taxando volumus moderationem apponi, qua perſonæ, quibus gratiæ hujuſmodi conceduntur, ſe gratias ipſas ab Apoſtol. ſede liberaliter ſentiant conſecutas: ac literarum ipſarum ſcriptoribus, regiſtri etiam noſtri, notarumque abbreviatoribus antedictis, qui interdum in eis etiam multo labore deſudant, de ſuo labore congrue ſatisfiat. Ad tollendos igitur exceſſus, difficultates, circuitus & anfractus, qui poſſent ex variis literarum Apoſtolicarum taxationibus provenire, ſancimus, ut modus ſubſcriptus in hujuſmodi taxationibus obſervetur: videlicet quod litera gratiæ cum clauſulis conſuetis ſuper canonicatu, & præbenda, & alio beneficio Eccleſiaſtico, cum cura vel ſine cura, vacante vel vacaturo, etiam dignitas, officium, vel perſonatus exiſtat, decem Turonen. groſſis & non ultra taxetur: executio vero ejuſdem 12. Turonenſibus & non ultra taxetur: & idem in ſimilibus literis beneficialibus gratioſis, puta ſuper Prioratu aliquo, adminiſtratione & hujuſmodi, ac executoriis earumdem ſervari debebit. Si vero eiſdem literis gratiæ, & executoriis earundem (ut ſupra) aliquæ clauſulæ non communes, vel inſolitæ apponantur circa taxationem clauſularum hujuſmodi congrue poterit ſic diſtingui: videlicet quod non habeatur conſideratio in eiſdem majoris vel minoris gratiæ ejus, quod conceditur, nec quod ipſius ſint majores vel pauciores fructus, reditus & proventus, & ex hoc plus minuſve taxetur, ſed habeatur in taxando illa conſideratio ad laborem, ut ſcilicet longior ſcriptura magis, & minus brevior æſtimetur: hoc tamen circa hujuſmodi clauſulas apponendas addito moderamine in taxando, ut ſi ſcriptura clauſulæ appoſitæ non faciat lineam, ne ipſa clauſula literæ taxationem augmentet. Si vero per ſe, vel ſaltem aliis addita clauſulis faciat lineam, in quarta parte Turonen. groſſis taxetur: & ſic pro qualibet linea hujuſmodi additæ

a *Quia in mortis articulo nulla eſt caſuum reſervatio. vide Conc. Trid. ſeſſ. 14. cap. 7. de caſuum reſervatione.*

a *Vide Innoc. VIII in regul. 66. ubi dicit, quod camera Apoſtol. eſt mater pecuniarum. Vide eundem in regul. 45.*

UNED

ditæ clauſulæ in taxando quarta pars groſſ. Turon. addatur, & ſi quid ſuperfuerit, & minus linea, illud ſuperfluum, nec taxationem immutet. Lineam autem, quæ centum & quinquaginta literas, ſeu XXV. continet dictiones, intelligi volumus in hoc caſu: & ut taxatio hujuſmodi (dum exempla ponuntur) quodammodo procedat, inſerta illa clauſula: Verum ne ſub eo prætextu, &c. quæ quatuor continet lineas, uno Turon. groſſo taxetur. Illa etiam clauſula: Præbendam vero ac dignitatem, quæ cum acceptatione reſervat, quæ quatuor & paulo plus continet lineas, uno Turon. groſſo taxetur, & in ſimilibus clauſulis additis, ſecundum linearum numerum idem fiat. Eandem taxationem cum moderamine antedicto, quoad præfatas literas in regiſtro noſtro ſervari volumus, cum fuerint regiſtrandæ. Eandem etiam taxationem quoad præfatarum literarum notas, ſcilicet gratiæ cum antedicto numero Abbreviatores obſervent. De executoriis vero hujuſmodi gratiarum Abbreviatores ipſi, etiamſi clauſulæ non communes vel inſolitæ apponantur eiſdem, duos tantum recipiant Turon. Hoc licet ſic in taxatione prædictarum literarum obſervari velimus, in forma tamen pauperum deferri volumus paupertati, & noſtram taxationem in illa, videlicet octo Turon. groſſ. inviolabiliter obſervari: nam beatum fore virum, qui ſuper pauperem & egenum intelligit, verbis propheticis a edocemur. Circa taxationem autem literarum, quæ per audientiam tranſeunt, nihil ad præſens aliud duximus ordinandum, ſed rationabilis modus obſervetur in illis, qui ſolitus eſt hactenus obſervari: maxime ſecundum taxationem literarum ipſarum, quæ in libro provinciali invenitur eſſe conſcripta. In quarum taxationibus literarum ex cauſis rationabilibus ſuſtinemus, ut Turonenſ. groſ. quamdiu ſcilicet Romana curia extiterit citra montes, Romanino ſuccedat. Cæterum ubicunque de Turon. groſſ. in taxationibus prælibatis fit mentio, intelligi volumus, quamdiu curia fuerit citra montes. Si vero ultra montes, Romæ ſcilicet, vel in aliis locis, vel Italiæ partibus curia ipſa conſtiterit, in taxationibus antedictis Romaninus pro Turonen. ponatur. Ad hæc prædictæ noſtræ adjicimus ſanctioni, ut ſi forſan (quod quandoque contingit) eveniat, videlicet quod ex culpa, negligentia, vel defectu ſcriptoris, vel ex ignorantia, cœcitate, aut torpore deſidiæ, vel ex occupatione, diſtractione, aut alia quavis occaſione Abbreviatoris, qui notam, ex qua litera groſſa procedit, inepte formaverat, eadem groſſa literis gratis fuerit reſcribenda: hoc ipſi ſcriptori, vel illi, cujus litera hujuſmodi fuerit reſcribenda, non noceat, ſed Abbreviatori debeat imputari, in tantum, ut eidem ſcriptori Abbreviator ipſe ſatisfaciat integre, juxta taxationem ejuſdem groſſæ literæ reſcribendæ. Cæterum ut prædicta, quæ a nobis pro utilitate publica ſunt inſtituta ſalubriter, eo diligentiores ſui obſervatores inveniant, quo tranſgreſſores ipſorum majori noverint ſe pœna percelli: ſtatuimus, ut præfati omnes & ſinguli, tam literarum noſtrarum, quam regiſtri noſtri ſcriptores, quam Abbreviatores notarum ipſarum (quibus etiam Abbreviatoribus ſpecialiter ultra infra ſcriptas pœnas, quatenus prædictas taxationes obſervent, ſub excommunicationis pœna mandamus) qui contra præmiſſa fecerint, plus ſcilicet præfatas noſtras beneficiales literas, vel notas ipſarum, vel earundem in dicto regiſtro ſcripturas taxando, exigendo vel recipiendo pro ipſis, quam ſuperius ſit taxatum; uſque ad ſemeſtre tempus officio, in quo ſic deliquerint, ſint eo ipſo ſuſpenſi. Et ſi ſecundo deliquerint in eodem, ipſo facto eodem officio (quod, quantum in ipſis fuerat, maculare conati ſunt) perpetuo ſe privatos agnoſcant. Nulli ergo liceat, &c. Datum Aven. 4. Idus Decembr. Pontificatus noſtri Anno 1.

a *Pſalm.* 40.



## *TITULUS XIV.*
## DE VERBORUM SIGNIFICATIONE.

### CAP. I.

(*An.* 1321. *Avenioni.*)

*Cum fratres Minores indumentis vilibus ſecundum eorum regulam debeant indui, de qua vilitate ſit intelligendum, hoc relinquit judicio ſuperiorum, præcipiens ſub pœna excommunicationis illis obediri, & reprehendens fratres, qui pro arbitrio ſuo habitus curtos, ſtrictos, & novitatis plenos portabant, qui tranſgreſſores regulæ non dicentur, ſi in hoc ſuperioribus obſequuntur. Superiores etiam arbitrari poterunt, an habenda ſint granaria & cellaria pro neceſſariis ad victum colligendis. Tandem fratres ipſos hortatur ad obedientiam, quam dicit paupertati & caſtitati eſſe præferendam.* h. d. & eſt valde notabilis. Concor. c. Exiit qui ſeminat. eod. tit. lib. 6. & Clem. Exivi de paradiſo. eod. tit.

QUorundam exigit cœcæ ſcrupuloſitatis ambiguum, ac ipſorum quodammodo indocta ſcientia (ne dixerimus, quod irreligioſa horum ſit vana, & in hoc ſuperſtitioſa religio) ut dum ſuis mavult temere ſub conſcientiæ velamento conceptibus, quam prælatorum ordinis ſui cum obedientiæ merito provide inhærere ſententiis, nos poſt prædeceſſorum noſtrorum, & præſertim felicis recordationis Nicolai IV. ac piæ memoriæ Clem. V. Romanorum Pontificum ſuper intellectu & obſervantia regulæ ordinis fratrum Minorum, declarationes ſalubriter editas, ſolidas quidem & claras, & lucidas multaque maturitate digeſtas, noſtras Domino favente indubias ipſorum prædeceſſorum declarationibus declarationes adjungamus, ſicque dies a diei eructet verbum, & nox nocti ſcientiam manifeſtet, ne perperam paucorum dicti ordinis fratrum (quod abſit) inſcitia, recta ipſarum declarationum verba convertens in devium, illaque ſuis eis profecto contraria accommodans ſenſibus, ingrata Deo, ſuperioribus contumax, præfato ordini detrahens, odioſa confratribus, unionem ſcindens, ſi valeat, reddatur, ac grave in populo ſcandalum allatura, quin potius (ut noſtra vehementer flagitat intentio) antedictis profugatis incommodis, hæc ſancta Minorum fratrum religio, ad quam jamdudum (cum minores gradus haberet) dilectionis & devotionis fervor incanduit, nunc vero poſt ſuſceptum a nobis Apoſtolicæ ſervitutis jugum, ad illius religionis gubernationem, protectionem, defenſionemque interius exteriuſque propitiam paſtoralis curæ ſolicitudo nos angit, paternæ cogit providentiæ debitum, ac internæ charitatis zelus accendit, quieta pace gaudeat, ſancto proficiat otio, in numero ac merito, quamplurimum augeatur, blandeque in redeuntium filiorum ſuæ ſcilicet profeſſionis ruat oſcula, mactet vitulum, eorumque libertis, & ſedula corruat in amplexus; profecto cum ipſius religionis odor trahat, charitas attrahat, ſcientia lucidet, oratio mereatur, quæ in convalle lachrymarum, hujus ſcilicet mundi miſeria, vel cordis contritione & humiliatione puriſſima aſcenſiones in corde ſuo diſpoſuit, ut non ſolum in virtutem de virtute proficiat, ſed in eiſdem virtutibus permanens, quaſi quibuſdam harum ad perfectionem tendentibus gradibus, de die in diem facta ſe melior aſcendat in altius, terrena deſpiciat, ac cœleſtia complectatur: ſicque tandem divino numine collocata in patria, tanto Deum ſecundum hujus ſanctæ aſcenſionis gradus cognoſcat apertius, quanto nunc in hujus peregrinationis anguſtiis illos conſcenderit altiores. Nam ſecundum David Prophetam eximium, dum ſanctam Eccleſiam Deus ſuſcipiet, in ejus gradibus digno-

a *Pſalm.* 18.

dignoſcetur. Quapropter tantis incommodis tantiſque ejuſdem ordinis excitati periculis, ac ad illa ſalubribus & opportunis per ejuſdem ſedis providentiam circumſpectam adhibendis ſummovenda remediis, noſtræ ſolicitudinis ſtudium convertentes ad Dei laudem, beati Franciſci præconium, ejuſque præfati ordinis pacem, conſolationemque fidelium, necnon minus cautis, minuſque habentibus inobediendi vel evagandi occaſionis ſubducendam materiam, ad trepidandum ubi timor non aderat, ſcrupuloſam caliginem detergendam, eoſque ſuaviter deducendos, ut filios ad ipſius religionis gremium, vel matris. Diligenti ſuper his perſcrutatione & matura deliberatione præhabitis, de fratrum noſtrorum conſilio, infraſcriptas declarationes, commiſſiones, ordinationes, & præcepta, quæ inferius inſeruntur, duximus adjungenda. Inprimis cum dicatur in regula, quod illi, qui promiſerunt obedientiam, habeant unam tunicam cum caputio, & aliam ſine caputio, qui habere voluerint. Item quod fratres omnes veſtimentis vilibus induantur, & ſuper prædictorum verborum ſenſu a præfatis prædeceſſoribus noſtris Nicolao & Clemente declarationes (ut præmittitur) limpidæ emanarunt: dictuſque Clemens hujus vilitatis judicium miniſtris, cuſtodibus, ſeu Gardianis ordinis prædicti duxerit committendum, eorum ſuper hoc conſcientias onerando: nec ab hoc inquibuſdam ex fratribus antedicti ordinis, volentibus plus ſapere quam oportet ſapere, novarum adinventiones ambiguitatum ceſſavere quamplurimæ, vel non omnino non vetuſtarum explicatio quæſtionum, eam videlicet ſuper longitudine & latitudine, quam groſſitie & ſubtilitate, forma & figura veſtimentorum ipſorum: quinimo adeo hujuſmodi adinventiones & quæſtiones propria excrevere licentia, ut ex eiſdem fratribus aliqui habitus propterea curtos, ſtrictos, inuſitatos & ſqualidos, novitate plenos, ac diſſidii non ignaros, cum a communitate ordinis diſcreparent, aſſumerent, nec eos ad miniſtrorum, cuſtodum, Gardianorum eorundem mandatum requiſiti deponerent, nec alios prout ejuſdem ordinis communitas deferebat habitus, juxta eorundem miniſtrorum, cuſtodum, & Gardianorum arbitrium ducerent reſumendos, dicentes in hoc eorundem Prælatorum ſuorum non parendum fore arbitrio: cum & ſuum ſic deſpectum regularem & cruciformem aſſererent, cæterorum veeo ſuperfluum habitum irregularemque cenſerent: nec huic eorum opinioni præfati Clementis declarationem ſæpius repetitam obeſſe. Nam licet miniſtris, cuſtodibus & Gardianis præfatis veſtium vilitatis detur in illa judicium, tamen inibi conſequenter adjungitur: ita tamen, quod utilitatem in veſtibus ſervent, præſertim cum & in declaratione prædicti Nicolai dicatur, quod ſemper in eiſdem fratribus & eorum actibus paupertas ſancta reluceat, prout ipſis ex eorum regula invenitur indicta: ac conſtitutionibus ejuſdem ordinis generalibus caveatur (ut aſſerunt) quod in omnibus, quæ ad habitum fratrum ſpectant, reluceant ſemper aſperitas, vilitas, & paupertas: unde cum nec paupertatis, vel vilitatis oblatæ per miniſtros, cuſtodes, & Gardianos veſtes exiſterent, nec ipſorum ſuperiorum ordinis ſui in deponendo veſtes, quas gererent, nec in reaſſumendo, quas darent, ſequi judicium ullatenus tenebantur *a*, generali miniſtro & cæteris fratribus, qui pro communitate ejuſdem ordinis aderant, ſuis rationibus (quas brevitatis cauſa omittimus) contrarium aſſerentibus ex adverſo: prout hæc & alia hincinde coram nobis & eiſdem fratribus noſtris ſcripto lecta, verboque fuere propoſita, ac etiam coram aliquibus ex fratribus noſtris prædictis ſuper hoc deputatis a nobis, præſertim per aliquos ex fratribus dicti ordinis, qui in prædictis communitatibus adverſabantur eiſdem, fuerunt pluries repetita. Quocirca nos ſerioſius rationibus prædictis auditis & aliis, illiſque plenius intellectis, volentes perpetuum præfato finem dare negotio de prædictorum fratrum noſtrorum conſilio declaramus & dicimus, quod cum (ſicut prætangitur) dicatur in regula, quod fratres omnes veſtimentis vilibus induantur, & cum vilitatem hujuſmodi veſtium. tam habitus, quam interiorum tunicarum, illam præfatus Clemens intelligi debere decreverit, quæ ſecundum conſuetudinem vel conditionem patriæ debeat, quantum ad colorem panni & pretium, vilitas merito reputari, atque conſequenter hujus vilitatis judicium miniſtris, cuſtodibus, ſeu Gardianis prædictis (ipſorum ſuper hoc conſcientias onerando *a*) duxerit committendum, prout in ejuſdem Clementis literis ſuper hoc confectis plenius continetur: in eorundem miniſtrorum, cuſtodum, ſeu Guardianorum eodem modo judicio eſt relictum. Noſque nihilominus præfatorum miniſtrorum, cuſtodum & Gardianorum judicio præſentium auctoritate committimus, determinare videlicet, arbitrari atque præcipere, cujus longitudinis & latitudinis, groſſitiei & ſubtilitatis, formæ ſive figuræ, atque ſimilium accidentium eſſe debeant tam habitus, ipſorumque caputia, quam interiores tunicæ, quibus fratres omnes Minores dicti ordinis induuntur, ac inſuper cujus quantæque vilitatis indui eos ipſis veſtimentis oporteat, & an in veſtimentis hujuſmodi ſecundum regulam & declarationes eorundem prædeceſſorum noſtrorum, & præfatas ordinis conſtitutiones, reluceat aſperitas, vilitas & paupertas: utrumne quantum ad colorem, vilitatem, paupertatem quoque, ac cætera *b* accidentia ſupradicta veſtimentis induantur, ut debent: ſuper quibus eorundem miniſtrorum, cuſtodum, & Gardianorum conſcientias oneramus: Statuentes & diſtricte præcipiendo mandantes, quod in prædictis & his ſimilibus eorum arbitrium, determinationem ſive judicium, generalis quidem in totius ordinis, provincialium vero in provinciarum miniſtrorum ac cuſtodum, & Gardianorum adminiſtrationibus, cuſtodiis ac gardianiis, ſive conſimilibus ordinis memorati commiſſis eiſdem fratres omnes & ſinguli ſequi omnimode, illiſque parere per omnia teneantur. Ac inſuper quod illorum ſequendo arbitrium, determinationem ſive judicium, illiſque parendo, nec ſint, nec dici poſſint vel debeant, nec ipſi ſeipſos autument ſuæ regulæ vel conſtitutionum ſui ordinis tranſgreſſores, maxime cum nec expreſſe vel determinate in prædicta fratrum Minorum dicatur regula vel declarationibus antedictis, quantæ longitudinis, quantæ latitudinis, quantæ groſſitiei vel ſubtilitatis, qualis formæ, qualiſve figuræ hujuſmodi debeant eſſe veſtes, ſicut nec qualis quantæque vilitatis eas eſſe oporteat, exprimitur in eadem: ſicque quodam modo eadem urgente neceſſitate, æquitate non impari, vero ſenſu, veroque id regulæ ſuadentibus intellectu, ejuſdem Clementis inhærentes veſtigiis, præfatorum miniſtrorum, cuſtodum, & Gardianorum in prædictis, horumque ſimilibus fore judicium, declarare compellimur, illaque eis (ut prædicitur) comittere invitamur. Non enim particularium omnium certa poteſt dari ſcientia, neque eorum (cum infinita ſint contingit fieri diſciplinam, non ars, non regula circumſtantias ſingulas, accidentiaque cuncta complectitur: habent in illis mino-

a *Vide l. ſi vero. §. de viro. in 7. fallentia. ff. ſol. mat. & l. 2. C. de noxal. act. Bart. in l. omnes. 6. qu. principali. ff. de juſt. & jur. Panor c. ſolita. 2. Coll. de majoritate & obed. Fant.*

a *Vide hic quæ ego notavi in c. ſtatutum. in §. aſſeſſorem. ſuper gl. relinquat. de reſcr. l. 6. Font.* b *Nota hic expreſſum, quod cui competit cognoſcere de principali, competit etiam cognoſcere de iis, quæ conſequenter accedunt. vide gloſſ. fin. infr. eod. in extravag. ad conditorem. Font.*

nores majoribus obſequi, illiſque intendere, non in certis ſolum, verum etiam in dubiis: & in certis præſunt artibus, quibus obediant, præſunt regulis ſingulis, quibus obtemperent diſciplinis, ut illarum finis egregius debitis obſequentium miniſteriis ſubſequatur. Sic judicans cuncta rimatur & diſcutit, leges caſibus applicat, canonum decreta ſecernit: ſic morbis aggravatus Medicum, ſic virtus conſtans in medio, ſapientem prudentemque depoſcit: ne ſi quiſque regatur, ut appetit, confeſtim corruat, ut non quærit, neque taliter convenientibus non ordo, ſed horror inhabitet: adſit (quod abſit) diſcordia: relegans religio relegetur: ſententiæ namque variantur, ut capita, & creſcit in ſtolidis opinionibus phantaſia. Eodem modo, eiſdemque quodammodo rationibus invitati, cum præfatorum miniſtrorum, vel cuſtodum ſub certa forma, ſimul ſcilicet & ſeparatim in ſuis adminiſtrationibus & cuſtodiis, cum a Gardiani & duorum de Conventu loci diſcretorum Sacerdotum & antiquorum in ordine fratrum conſilio & aſſenſu, præfatus Clemens judicio duxerit relinquendum, an ſit multum credibile ex jam expertis, quod fratres ipſi abſque granariis & cellariis non poſſint vitæ neceſſaria invenire: quo caſu granaria & cellaria, congregationes & conſervationes hujuſmodi eis ipſe conceſſit, prout in prædictis ejuſdem Clementis literis plenius continetur. Nos de prædictorum fratrum noſtrorum conſilio eorundem miniſtrorum & cuſtodum ſub eadem forma judicio præſentium auctoritate committimus, determinare, videlicet, arbitrari atque præcipere eo caſu qualiter, ubi, & quando & quoties granum, panem & vinum pro vitæ fratrum neceſſariis, fratres ipſi quærere debeant, conſervare ſive reponere, etiamſi reponenda ſint in prædictis granariis & cellariis conſervanda: Statuentes & diſtricte præcipiendo mandantes, quod in prædictis & his ſimilibus eorundem arbitrium, determinationem ſive judicium generalis quidem in totius, provincialium vero in provinciarum, miniſtrorum ac cuſtodum ſimul & ſeparatim adminiſtrationibus & cuſtodiis ordinis memorati commiſſis eiſdem, cum Gardiani tamen (ut ſupra prædicitur) & duorum de Conventu loci diſcretorum Sacerdotum & antiquorum in ordine fratrum conſilio & aſſenſu, fratres omnes & ſinguli obſequi omnimode, illiſque parere per omnia teneantur. Ac inſuper quod illorum ſequendo arbitrium, determinationem ſive judicium, illiſque parendo, nec dici poſſint vel debeant, neque ipſi ſeipſos autumnent ſuæ regulæ vel conſtitutionum ſui ordinis tranſgreſſores. Ideoque omnes & ſingulos fratres antedicti ordinis Minorum, qui ſtrictos, curtos & difformes habitus ab ipſius generalis miniſtri, & aliorum de dicta communitate habitu coram nobis & fratribus noſtris, & aliis in Romana curia detulerunt, vel deferunt, monemus & hortamur in Domino, eis nihilominus in virtute ſanctæ obedientiæ & ſub excommunicationis pœna per Apoſtolica ſcripta mandantes, quatenus ad mandatum ipſius generalis deponant, quos deferunt habitus, & aliis juxta ejuſdem generalis arbitrium, determinationem ſive judicium (ut ſupra prædicitur) induantur: Ipſique generali in omnibus iſtis & aliis, & per omnia ſecundum beati Franciſci regulam & prædictas prædeceſſorum noſtrorum declarationes, conceſſiones, & commiſſiones, in ipſis declarationibus comprehenſas, & noſtra contentas in præſentibus, humiliter obediant, pareant & intendant: non obſtantibus quibuſcunque privilegiis, indulgentiis, literis, libertatibus, immunitatibus, vel exemptionibus, eis, vel alicui ipſorum a præfato Clemente conceſſis, vel appellationibus ab eis vel ipſorum aliquo ad ſedem Apoſt. interjectis, quæ (in quantum poſſent derogare præſentibus) viribus vacuamus. Religio namque perimitur, ſi a meritoria ſubditi obedientia ſubtrahantur: magna quidem paupertas, ſed major integritas, bonum eſt obedientia maximum, ſi cuſtodiatur illæſa: nam prima rebus, ſecunda carni, tertia vero menti dominatur & animo, quos velut effrænes & liberos ditioni alterius, humilis jugo propriæ voluntatis adſtringit. Ad hanc itaque fratres prædicti non inviti, ſed ſponte redeant, hanc velint & appetant, hanc magnis deſideriis concupiſcant, illudque votis Canticorum a ingeminent: Oſculetur me oſculo oris ſui, charitatis utique & dilectionis, religionis hujus obedientia ſancta purificans: nam meliora ſunt ubera tua, præceptorum ſiquidem & conſiliorum quædam nutrientia pocula, vino, unguentis optimis, ſcilicet bonæ famæ fragrantia ſuavitatis odorem. Nec formident hi ad obedientiam ordinis Deo auctore, dum redeunt: nam Prælatos ſuos (ut firmiter ſperamus, eiſque injungimus) ſibi benignos & mites invenient, cæteros dulces atque palpabiles, cum ſint & eſſe debeant omnes & ſinguli fratres in Chriſto, & clamitent: Quis mihi det te fratrem meum, communi ſcilicet patre beato Franciſco congenitum, ſugentem ubera matris meæ, religionis utique & profeſſionis ejus velut matris contemplationis & electionis ſuavia & dulcia pocula, ut inveniam te foris ab ejuſdem obſervantiis quodammodo diſparem & deoſculer blande, videlicet intra charitatis viſcera te complexus: & jam me, imo, & te nemo deſpiciat, profecto quos foris poſitos multi, ac ſi diviſos & deſides fortaſſe deſpexerant, intus, puta intra dilectionis internæ præcordia & conformis obſervantiæ clauſtra repoſitos, jam nemo deſpiciat, ſed ſuſcipientes eoſdem dulcedine quiſque digne laudibus efferet, & ſuſceptos. Nulli ergo, &c.

## CAP. II.

*Præmiſſo qualiter gloſſantes decretalem, Exiit qui ſeminat. eod. tit. lib. 6. excommunicationem ipſo facto non obſtantibus quibuſcunque privilegiis incurrunt, illam excommunicationem uſque ad ſedis Apoſt. beneplacitum ſuſpendit: & per iſtam ſuſpenſionem contra fratres Minores obloquendi non intendit tribuere occaſionem.*

Quia nonnunquam, quod conjectura profuturum credidit, ſubſequens experientia nocivum oſtendit, non debet reprehenſibile judicari, ſi canonum conditor, canones a ſe vel ſuis prædeceſſoribus editos, vel aliqua in eiſdem contenta canonibus revocare, modificare vel ſuſpendere ſtudeat b, ſi ea obeſſe potius viderit, quam prodeſſe. Sane dudum felicis record. Nicolaus Papa quartus prædeceſſor noſter, quandam conſtitutionem declarativam, quæ incipit: Exiit, ſuper regula dilectorum filiorum fratrum ordinis Minorum, quam beatus Franciſcus almus confeſſor inſtituit, promulgavit: ſub certis pœnis arctius interdicens, ne concordantiæ, contrarietates, ſeu adverſæ vel diverſæ opiniones ab ipſius conſtitutionis lectoribus ſeu expoſitoribus aliquatenus inducantur, nec ſuper conſtitutiones gloſſæ fiant ab aliquibus, niſi forſan, per quas verbum, vel ſenſus ipſius, vel ipſa conſtitutio quaſi grammaticaliter & ad literam exponatur, nec intellectus ipſius per legentem diſtorqueatur ad aliud, quam conſtitutionis ejuſdem litera ipſa ſonat: gloſſantes autem in ſcriptis conſtitutionem eandem aliter, quam ſuperius eſt expreſſum, facientes quoque commenta, ſcripturas ſeu libros, & ex certa ſcientia & deliberatione determinantes in ſcholis, ſeu prædicantes contra contenta in conſtitutione prædicta, vel aliqua ſeu aliquod prædictorum (non obſtantibus aliquibus privilegiis

a *Vid. Bart. in lib. 1. §. ſi plures. ff. de inſtitut. Joan. Andr. & poſt eum Alber. in reg. nullus ex conſil. de reg. iur. lib. 6. de materia hujus text. eſt gl. poſita in Clem. exiui. §. rurſus.*

a *Cant. 1* b *Vide quæ notavi in cap. alma mater de ſent. excomm. l. 1. Font.*



UNED

giis ſeu indulgentiis aut literis Apoſtolicis, quibuſcunque perſonis, dignitatibus, ordinibus, aut locis religioſis vel ſecularibus generaliter vel ſingulariter ſub quacunque forma vel expreſſione verborum conceſſis: quæ noluit aliquibus in prædictis quomodolibet ſuffragari) ipſo facto excommunicationis ſententiæ voluit ſubjacere. Nos autem attendentes, quod argumentis frequenter & collationibus latens veritas aperitur a, quodque ſub eadem litera ſæpæ latet multiplex intellectus, necnon eſſe difficile, volentibus conſtitutionem prædictam perfecte legere ac intelligere pœnas adjectas in Conſtitutione hujuſmodi devitare: viam veritatis aperire volentes, & periculis, quæ ex prædictis poſſent literatæ perſonæ præcipue ſcholaſticæ incurrere, ſalubriter obviare, præſertim cum de novo ſuborta ſint aliqua dubia, circa quæ poſſet periclitari veritas, & erroribus via pandi, niſi liceret conferre ſuper contentis in conſtitutione hujuſmodi & diſputare: prohibitiones & pœnas prædictas tam latas, quam comminatas & earum effectus, in fratrum noſtrorum ac multorum Archiepiſcoporum, Epiſcoporum, & aliorum Prælatorum, necnon multorum profeſſorum utriuſque juris, & multorum ſacræ Theologiæ magiſtrorum præſentia, dum conſiſtorium teneremus, auctoritate Apoſtolica duximus uſque ad ſedis Apoſtolicæ beneplacitum ſuſpendendas. Per ſuſpenſionem autem hujuſmodi nequaquam licentiam cuiquam intendimus impertiri, quod contra fratrum regulam prædictorum dogmatizare, ſcribere ſeu determinare, prædicare ſeu prave loqui liceat publice vel occulte: quinimo hæc omnibus & ſingulis auctoritate prædicta diſtrictius inhibemus. Ne autem in poſterum præmiſſarum prohibitionum & pœnarum ſuſpenſio in dubium revocari valeat, aut alicui propter defectum probationis impingi, quod velut tranſgreſſor prohibitionum ipſarum in pœnam ſeu pœnas inciderit antedictas: Nos volentes ſuper hoc de opportuno remedio providere, chartas ſeu membranas ſuſpenſionem continentes eandem, appendi ſeu affigi in majoris Eccleſiæ Avenion. oſtiis, ſeu ſuperliminaribus faciemus, quæ ſuſpenſionem prædictam ſuo quaſi ſonoro præconio & patenti judicio publicabunt. Dat. Aven. 7. Calend. April. An. 6.

## CAP. III.

*Dominium rerum, quæ perveniebant ad fratres Minores, retentum ab Eccleſia Romana, ſimplici uſu facti fratribus ipſis reſervato in c. exiit qui ſeminat. eod. tit. l. 6. ſummus Pontifex refutat: multiplici ratione probans eos non poſſe habere in re aliqua ſimplicem uſum facti: & ſtatuit quod de cætero nullum jus nullumque dominium habeat Eccleſia Romana in hujuſmodi rebus, quæ in poſterum conferentur vel offerentur ipſis fratribus. Hæc extravagans eſt multum juridica, & ſubtilis in pleriſque locis, præſertim ubi probat uſum ſimplicem non poſſe conſtitui in rebus uſu conſumptibilibus.*

AD conditorem canonum non eſt dubium pertinere, cum ſtatuta a ſe vel prædeceſſoribus ſuis edita obeſſe percipit potius, quam prodeſſe, ne ulterius obeſſe valeant, providere. Dudum ſiquidem felicis record. Nicolaus quartus prædeceſſor noſter, attente proſpiciens in almi confeſſoris, beati videlicet Franciſci regula contineri, quod nihil ſibi approprient, neque domum, neque locum, neque rem aliquam aliam ſui ordinis profeſſores, ac conſiderans diligenter, quod per piæ recordationis Gregorii Papæ IX. & nonnullos alios prædeceſſores ejuſdem fuerat declaratum, hoc debere ſervari, tam in ſpeciali, quam in communi: necnon & conſiderante attendens, nonnullos fratribus ipſis detrahere, impingentes eiſdem, quod regulam & declarationes hujuſmodi non obſervabant, pieque conſiderans ora contra præmiſſos fratres oblatrantium claudere, ac profeſſorum ipſorum conſcientiis providere, inter alia ordinavit & ſanxit, omnium utenſilium & librorum, rerumque mobilium, & præſentium, & etiam futurarum, Eccleſiarum quoque & oratoriorum ac cœmeteriorum tam præſentium, quam etiam futurorum, necnon & aliarum emptarum, & eleemoſynis divinis oblatarum ſeu conceſſarum dictis fratribus (in quibus tamen offerentes ſeu concedentes ipſa nihil in ipſis ſibi ducerent reſervandum) proprietatem & dominium plene ac libere ad ſe & Romanam Eccleſiam pertinere, ipſa in ſe recipiens, ac antedictam Eccleſiam, ſimplici uſu facti duntaxat in rebus & bonis hujuſmodi reſervato fratribus antedictis. Et quia nonnunquam libros, & alia mobilia ſupradicta vendi expedit, ſeu etiam commutari, fratribus ipſis in eadem ordinatione conceſſit, ut res ipſas cum rebus aliis, quarum uſum habere licet ipſis fratribus (dummodo generalis, & provincialium miniſtrorum conjunctim vel diviſim auctoritas intercederet) poſſent libere commutare. Sed & quia fratribus ipſis pecuniam per ſe vel per alium recipere ipſorum regula diſtrictius interdicit, voluit & conceſſit, quod ſi vendi contingeret res mobiles antedictas pretio æſtimato, quod hujuſmodi pretium per procuratorem deberet recipi, a præfata ſede, vel Cardinali gubernatore ejuſdem ordinis deputandum, per procuratorem eundem in rem licitam, cujus uſus eſſet permiſſus ejuſdem ordinis fratribus, expendendum, hoc adjecto, quod poſſent de vilibus rebus mobilibus, vel parum valentibus fratres ipſi pietatis ſeu devotionis intuitu, vel pro alia honeſta cauſa, & rationabili (obtenta tamen ſuper hoc ſuperiorum ſuorum licentia) intra vel extra dictum ordinem ordinare. Quamquam autem pia conſideratione motus prædeceſſor noſter ordinavit, ſupradicta illa dicto ordini exiſtimans profutura: ipſa tamen attento modo utendi fratrum ipſorum ac dictæ Eccleſiæ ſubſecuta patientia circa ipſum non profuiſſe, ſed potius tam ipſis fratribus quam multis aliis obfuiſſe, ſubſequens magiſtra rerum experientia noſcitur declaraſſe. Ipſis quidem fratribus quantum ad ſtatum perfectionis nequaquam profuit reſervatio dominii ſupradicta: cum enim perfectio vitæ Chriſti, principaliter, & eſſentialiter in charitate conſiſtat, quæ ab Apoſtolo perfectionis vinculum dicitur, & quæ unit ſeu jungit aliqualiter in via hominem ſuo fini: ad quam per contemptum bonorum temporalium, & ipſorum expropriationem via diſponitur, per hoc præcipue, quod ſolicitudo, quam temporalia in acquirendo, conſervando, & diſpenſando exigunt, quæ plerunque ab actu charitatis retrahit, amputetur: reſtat quod ſi ſolicitudo eadem poſt expropriationem hujuſmodi quæ ante ipſam inerat, perſeveret, ad perfectionem hujuſmodi talis expropriatio valeat nihil conferre: conſtat autem, quod poſt ordinationem prædictam non fuerunt in acquirendis ac conſervandis bonis prædictis in judicio & extra minus ſoliciti, quam ante illam fuerant fratres ipſi, quanquam ſint religioſi mendicantes alii, habentes aliqua in communi. Adhuc nec utique profuit dictis fratribus ordinatio ſupradicta, quantum ad hoc, quod propter carentiam talis proprii ſe pauperiores dicere valeant, quam ſi res ipſas cum illo (quo carere ſe dicunt) dominio obtinerent. Licet etiam prædeceſſor noſter prædictus dominium earum rerum, quæ ipſis fratribus offerri ſeu conferri, aut alias obvenire contigerit, quarum tamen uſum facti duntaxat habere licet ordini, vel fratribus antedictis (uſu facti ſimplici prædictis fratribus reſervato) in ſe Romanamque Eccleſiam recipiendum duxerit, ac libere pertinere decrevit, ut ſuperius eſt expreſſum: attento tamen ipſorum fratrum

utens

---

a *De utilitate diſputationis omnino vide Sylvam nuptialem Joannis de Nevizan. in princ. Font.*

UNED

utendi modo, & ejus effectis, ac patientia circa modum ipſum Romanæ Eccleſiæ ſubſecuta, non ipſe uſus fratrum dici debet, ſed potius Romanæ Eccleſiæ dominium eſſe ſimplex. Quis enim ſimplicem uſuarium dicere poterit, cui rem uſuariam licet permutare, vendere ac donare? proculdubio hæc naturæ repugnare noſcuntur, nec ad uſuarium pertinere, quæ tamen de rebus mobilibus antedictis faciunt fratres ipſi. Quod autem dominium Romanæ Eccleſiæ reſervatum ſimplex cenſeri debeat, ex hoc patet, quod ex illo nullum eidem Eccleſiæ temporale obvenit hactenus commodum, nec ſperatur, quod obvenire debeat in futurum, cum nec intentio reſervantis, nec fratrum ipſorum fuerit, quod ad quemcunque alium, quam ad fratres dictarum rerum perveniret compendium: quod proculdubio modus utendi fratrum ipſorum, & Romanæ Eccleſiæ ſubſecuta patientia evidenter declaravit. Et quod talis intentio fuerit ordinantis, & ex hoc patet, quod illarum rerum ſibi, & Eccleſiæ Romanæ dominium duntaxat retinuit, quarum uſum facti liceret habere ordini, vel fratribus antedictis: talis autem dominii carentia re in præſenti, ac ſpe in futurum omnimodo denudati, quoad paupertatem temporalem, quam altiorem (præ mendicantibus aliis in communi habentibus) ſibi vendicant dicti fratres, pauperiorem non efficit non habentem. Quod autem [a] quoad res, quæ uſu conſumuntur, non ſint cenſendi uſuarii fratres ipſi, ex ſequentibus liquet ſatis: dicere ſiquidem, quod in talibus rebus uſus juris vel facti ſeparatus a proprietate rei ſeu dominio poſſit conſtitui, repugnat juri, & obviat rationi, nec prædeceſſoris noſtri prædicta fuiſſe videtur intentio, Romanæ Eccleſiæ talium bonorum dominium reſervare. Quis enim ſanæ mentis credere poterit, quod intentio fuit tanti patris, unius ovi, ſeu caſei, aut fruſti panis, & aliorum uſu conſumptibilum, quæ ſæpe fratribus ipſis ad conſumandum eveſtigio conferuntur, dominium Romanæ Eccleſiæ, & uſum fratribus retinere? profecto probabile non videtur, præſertim cum illorum bonorum duntaxat dominium præfatæ Eccleſiæ reſervaverit, quorum ſimplex uſus facti pertinere poteſt ad fratres dicti ordinis, quod nequaquam poteſt in rebus uſu conſumptibilibus reperiri, in quibus nec jus utendi, nec uſus facti, ſeparata a rei proprietate ſeu dominio poſſunt conſtitui vel haberi. Et quod de talibus rebus non intellexerint, evidenter oſtendit, dum reſpondet legi, dicenti, non poſſe uſumfructum a dominio perpetuo ſeparari, ne dominium dominis, ſemper abſcendente uſu, inutile redderetur: quæ quidem lex de rebus illis intelligitur, quarum penes unum uſus rei, & penes alium dominium poſſit (licet inutile) remanere, quod nequaquam in rebus uſu conſumptibilibus poteſt eſſe, cum in illis per uſum vel abuſum uſuarii ſubſtantia talis rei eſſe deſinat, & per conſequens proprietas etiam inutilis non ſubſiſtat. Cum enim uſusfructus, prout eſt in re conſtitutus, qui ſervitus dicitur perſonalis, & pro quo reales competunt actiones, nihil ſit aliud, quam jus utendi, nec uſus, qui etiam perſonalis eſt ſervitus, ſit aliud, quam jus tantum utendi rebus alienis ſalva rei ſubſtantia, id eſt, jus percipiendi fructus & utilitatem aliam in totum, vel pro parte ſuo nomine, qui poſſunt ex re, in qua uſusfructus ſeu uſus conſtituitur provenire, propter quod proprietas reputatur inutilis, a qua perpetuo abſcedit uſusfructus, ſeu uſus conſtitutus rebus, ex quibus ipſis ſtantibus uſufructuario ſeu uſuario nulla poſſit utilitas provenire: patet quod ad hoc, quod talis uſusfructus, vel uſus in re aliqua conſtitui valeat, requiritur, quod ex re illa poſſit fructus, vel utilitas (ſalva ipſius rei ſubſtantia) ad fructuarium vel uſuarium pervenire. Quod ſi nulla ad ipſos poſſet ex re ipſa utilitas (ſalva rei ſubſtantia) pervenire, quales res conſtat eſſe uſu conſumptibiles, nequaquam poſſet in rebus ipſis cuiquam uſusfructus vel uſus conſtitui, vel a quoquam haberi. Adhuc nec jus utendi, quod nec eſt jus in re, nec ſervitus perſonalis, ſed mere jus perſonale, pro quo reales actiones non competunt, in rebus talibus, vel rebus ipſis utendi poteſt conſtitui vel haberi, cum & jus tale exigat, quod & re ipſa, quæ ad utendum conceditur, tali modo ad uſuarium pervenire poſſet utilitas aliqua, ac cum uſu permanere uſuarii, ſubſtantia ſalva rei, quod nequaquam poteſt (ſicut ad ſenſum poteſt percipi) in rebus uſu conſumptibilibus reperiri. Rurſus nec ſimplex uſus, qui nec eſt ſervitus, nec pro illo competit jus utendi, in talibus rebus poteſt conſtitui vel haberi: cum enim uti re aliqua, nihil ſit aliud proprie, quam fructus rei ſive utilitatem aliam in ſolidum vel pro parte recipere, qui ex ea poſſunt (ſalva rei ſubſtantia) provenire; reſtat quod re illa uti quis nequeat, ex qua (ejus ſalva ſubſtantia) nulla ſibi provenire poteſt utilitas, quales res uſu conſumptibiles eſſe conſtat. Ex quibus patet, quod nec uſus, qui eſt ſervitus perſonalis, nec jus utendi, quod non eſt ſervitus, ſed mere jus perſonale, nec actus ipſe utendi ſine jure aliquo poſſunt in rebus uſu conſumptibilibus conſtitui, vel haberi, cum quodlibet præmiſſorum exigat, quod ex re ipſa (ſalva rei ſubſtantia) poſſit habenti jus utendi, ſeu utenti ex re ipſa utilitas aliqua provenire, quod utique in rebus nequit uſu conſumptibilibus reperiri. Nec obviat ſupradictis, quod idem prædeceſſ. noſt. in ordinatione prædicta etiam illorum, quæ ad vitæ ſuſtentationem pertinent, ſibi & Romanæ Eccleſiæ dominium reſervarit: hoc enim de rebus illis duntaxat debet intelligi, quæ uſu non ſunt conſumptibiles, ſine quibus humana vita non eſt ſuſtentabilis, quæ utique non ſunt pauca. Licet autem in rebus uſu conſumptibilibus, nec jus utendi, nec ipſum uti poſſit conſtitui vel haberi, ipſis tamen poterit jus abuti. Abuti autem (dum tractatur de rebus uſu conſumptibilibus) pro rei conſumptione ſumitur, quod ei opponitur, quod eſt uti. Uti quidem præſupponit, quod cum uſu, ſalva rei ſubſtantia, maneat, ſed abuti exigit, quod cum actu hujuſmodi rei ſubſtantia conſumatur: cum abuti nihil aliud, quam contra naturam uſus uti in hac materia proprie poſſit dici. Licet autem quis re uſibili abſque jure utendi aliquo uti poſſit, ipſum tamen uti etiam in re tali abſque jure utendi ſeparato a dominio vel conjuncto, nec ab aliquo poteſt conſtitui, nec a quoquam haberi. Et quod talis uſus conſtitui nequeat, ex hoc patet, quod dare vel conſtituere quod ſuum non eſt, nec ad ſe pertinet, nemo poteſt: licet interdum illud dare poſſit aliter, quam ſit ſuum. Actus autem ipſe utendi ad utentem pertinet, in quantum quis ſuorum actuum per liberum arbitrium & voluntatem dominus dicitur, cum per hoc illos non exercere valeat, vel etiam exercere: non autem actus ipſe utendi ad eum pertinet, qui concedit alii, quod in re ſua actum illum valeat exercere: quod utique nihil eſt aliud, quam quod actum ſuum ad rem concedentis ad actum ſuum utens valeat applicare. Sicut qui equum ſuum alicui commodat, non actum equitandi concedit commodatario, ſed quod actum illum in equo ſuo valeat exercere: quod non eſt utique actum utendi ſimplicem concedere ſine jure, cum hæc concedere nihil ſit aliud, quam concedere jus utendi: quod quidem jus utendi ſeparatum a proprietate ſeu dominio in rebus, quæ uſu conſumuntur, nequit conſtitui: ut patet manifeſtius ex prædictis. Præterea quod ſimplex uſus, id eſt, ſine jure utendi a proprietate ſeu dominio ſeparatus, etiam in re uſibili haberi nequeat, ſic probatur: Si enim poſſit haberi uſus talis, aut ante actum ipſum, aut in ipſo actu, aut poſt completum actum hujuſmodi haberetur. Quod autem hoc nequeat fieri, ex hoc patet: quod

a *Vide gloſſ. poſitam in Clem. exivi. §. proinde. ver ſolutio. videtur dicendum.*


non

non eſt, nequaquam haberi poteſt, patet autem, quod actus ipſe, antequam exerceatur, aut etiam dum exercetur, aut poſtquam perfectus eſt in rerum natura non eſt, ex quo ſequitur, quod haberi minime poteſt: licet enim & ante actum ipſum quis facultatem illam habeat exercendi, per hoc tamen actus ipſe in rerum natura, niſi in potentia, non exiſtit, cum autem actus eſt in fieri, nec adhuc, quod ipſe actus in rerum natura ſit, poteſt dici, licet pro eo quod ſit in fieri, dici poſſit: quod enim de actu, qui eſt in fieri, præteriit, vel futurum eſt, jam non eſt in rerum natura, ſed in memoria vel apprehenſione tantum eſt: quare, niſi prout in memoria vel apprehenſione tantum eſt, haberi nequaquam poteſt. Quod autem in præſenti fit, momentaneum vel inſtantaneum eſt, quod utique magis intellectu quam ſenſu percipi poteſt: unde nec poteſt haberi pro tunc, niſi pro momento illo ſeu inſtanti, in quo cum fit, poteſt dici actum poſt actum completum: licet ſi ex facto ipſo producta res aliqua fuerit, res ipſa aliqua facta haberi valeat, factum tamen ipſum, quod jam tranſit, niſi in memoria (prout ſupra dictum eſt) non habetur. Præterea ſi ſimplex uſus abſque jure utendi haberi poſſit ab aliquo, conſtat, quod non juſtus eſſet actus utendi hujuſmodi reputandus: cum ille uſus fuerit, cui jus non competebat utendi: talis autem uſus non juſtus ad perfectionis ſtatum nequaquam pertinet, nec perfectioni aliquid adjicit, ſed ſibi repugnare potius ac detrahere noſcitur manifeſte. Quod autem uſum non juſtum conditor canonis fratribus ipſis intellexerit reſervare, nequaquam debet aliquis ſapiens æſtimare: imo quod de juſto intellexerit, ex eo poteſt evidentius apparere, quod in eadem ordinatione curavit adjicere, quod illarum rerum duntaxat in ſe & Eccleſiam Romanam recipiebat dominium, quarum uſum facti liceret habere fratribus ſeu ordini antedictis, ſubjungens nihilominus, quod non rerum omnium uſum habere debeant fratres ipſi: quantum autem ad uſum facti ſimplicem abſque omni jure utendi attinet, nulla rerum quoad fratres differentia eſt cenſenda: ſic enim uti de facto poſſunt prohibitis, ut permiſſis: quare præmiſſa rerum diſtinctio ad illum uſum facti potius eſt referenda, pro quo ipſis competit fratribus jus utendi: quarundam enim rerum uſus fratribus ipſis prohibitus noſcitur & quarundam permiſſus: ex quo ſequitur, quod uſus facti, de quo ordinatio loquitur, de tali intelligi debeat, qui juſtus ſit, id eſt, pro quo competat jus utendi: & hoc conditor ipſe canonis exprimit evidenter, cum in eadem ordinatione adjecerit, quod moderatus uſus in expreſſis prius rebus ipſis fratribus eſt conceſſus. Præterea ſi in rebus conſumptibilibus poſſit uſus conſtitui vel haberi, nequaquam ſimplex, nec a rei ſubſtantia, proprietate, ſeu dominio ſeparatus uſus hujuſmodi poſſet dici, cum per talem uſum, id eſt, utendi actum, & in ipſo actu, & cum ipſo actu res conſumatur hujuſmodi, ac in ipſius rei exerceatur ſubſtantia, nec ſine rei ipſius conſumptione eſſe valeat uſus talis: ex quo patet, quod uſus talis nec ſimplex, nec ſeparatus a dominio poteſt dici. Rurſus [a] nedum fratribus ipſis ordinatio prædicta non profuit, ſed etiam occaſionaliter honori ſacroſanctæ Romanæ Eccleſiæ non leviter detrahit & detraxit. Nunquid non præfatæ Eccleſiæ derogatur honori, ſi ipſam oporteat nunc in foro Eccleſiaſtico, nunc in ſeculari, interdum quoque coram pedaneis Judicibus, & plerunque pro rebus parvis & vilibus continue litigare? Hoc autem notum eſt fieri, cum occaſione retentionis dicti dominii omnes cauſæ occurrentes agendo vel defendendo pro bonis hujuſmodi nomine Romanæ Eccleſiæ, virtute cujuſdam privilegii a fel. record. Martino Papa quarto prædeceſſore noſtro conceſſi, ſuper hoc agitentur, & (quod gravius eſt cenſendum) procuratores cauſarum hujuſmodi multos vexare dicuntur indebite, licet poteſtas attributa procuratoribus talibus per privilegium antedictum, quoad adminiſtrationem bonorum præmiſſorum dudum ſervata non fuerit, nec ſervetur, quæ omnia in notam & injuriam ſanctæ Romanæ Eccleſiæ non eſt dubium redundare. Adhuc ordinatio antedicta Eccleſiarum Prælatis & Rectoribus gravis exiſtere nimium & moleſta monſtratur. Nunquid non grave præmiſſis poteſt exiſtere, quod ipſos oporteat ſe opponere ſanctæ Romanæ Eccleſiæ, quæ ipſorum caput noſcitur & magiſtra, ac cum ea agendo vel defendendo litigare aſſidue, vel cedere juri ſuo? hoc tamen oportet illos facere, cum in multis dicti fratres prædictis exiſtere dicantur injurii, ſicut multorum Prælatorum & Rectorum diverſarum provinciarum adhuc in curiam exiſtentium habet inſinuatio, qui quidem fratres facta ſua per Procuratores nituntur defendere antedictos. Nos itaque, qui veritatem tenemur colere, velut ille, qui illius, qui veritas noſcitur, licet immeriti, vicem teneamus in terris, illa volentes in ſancta Dei Eccleſia, quæ non verbo obtinent tantum, ſed quæ re potius, obſervari: præmiſſis in ſcrutinio rectæ conſiderationis adductis, ac deliberatione cum fratribus noſtris & multis aliis præhabita diligenti, dignum arbitrantes & congruum, profeſſores dicti ordinis non verbis tantum, non ſimulatis actibus, ſed operibus claris, veritate ſuffultis, perfectionis ſtatus, ac altioris paupertatis ſibi prærogativam præ aliis mendicantibus vendicare, ac nihilominus honori ſacroſanctæ Romanæ Eccleſiæ (cujus obnubilari poſſet gloria, di tam perverſæ ſimulationi, quæ profecto & ipſi ſimulantibus officii, & aliis ſcandali materiam ſubminiſtrat, diſſimulando illi occurrere conſentiret) ac inſuper volentes indemnitati Prælatorum & Rectorum ſalubriter ſuper hoc providere nolentes, in poſterum ſub prætextu ſeu palio talis dominii temporalis, verbalis, nuſi ac ænigmatici, tanta bona, quanta dicti fratres faciunt, infici, ac formentum tantis malis, quanta procedunt ex ſimulatione hujuſmodi, miniſtrare: De fratrum noſtrorum concilio hoc edicto in perpetuum valituro ſancimus, quod in bonis, quæ in poſterum conferentur vel offerentur, aut alias quomodolibet obvenire continget fratribus ſeu ordini ſupradictis (exceptis Eccleſiis, oratoriis, officinis & habitationibus, ac vaſis, libris & veſtimentis divinis officiis dedicatis vel dedicandis, quæ ad ipſos obvenient in futurum, ad quæ ſe non extendunt adeo inconvenientia ſupradicta, propter quod conſtitutionem iſtam ad illa extendi nolumus) nullum jus ſeu dominium aliquod occaſione ordinationis prædictæ ſeu cujuſvis alterius a quocunque prædeceſſorum noſtrorum ſuper hoc ſpecialiter editæ, Romanæ Eccleſiæ acquiratur, ſed quoad hoc habentur prorſus ordinationes hujuſmodi pro non factis. Per hoc autem in his, quæ abſque dictis ordinationibus in bonis prædictis ad dictam Eccleſiam provenire vel pertinere quomodolibet poterant vel debebant, nullum eidem parari præjudicium volumus, ſed illa ſibi expreſſius intacta & inviolata ſervamus. Et quia præfatum Martini Papæ prædeceſſoris noſtri privilegium dudum ſervatum quoad adminiſtrationem bonorum præmiſſorum non extitit, nec ſervatur: ac ipſorum procuratorum officium, qui nominantur a Miniſtris & Cuſtodibus dicti ordinis, Eccleſiæ Romanæ injurioſum, ac multis aliis moleſtum noſcitur, & etiam oneroſum: diſtrictius inhibemus, ne deinceps pro recipiendis, petendis, extorquendis, defendendis ſeu adminiſtrandis bonis, quæ in poſterum fratribus vel ordini prædictis offerri vel conferri, ſeu alias obvenire continget, quiſquam nomi-

[a] *Vide Bart. lib. 2. minori c. 8. diſt. dicentem conſtitutionem Martini non prorſus correctam. adde Baldum relatum per Pet. de Anchar. in Clem. Exivi.*

nominetur a quoquam, ſeu conſtituatur amodo nomine ſanctæ Romanæ Eccleſiæ procurator: nec occaſione cujuſvis privilegii, quicunque adminiſtrationem quorumcunque bonorum, quæ obvenire fratribus ipſis, vel ordini continget in poſterum, in judicio vel extra, agendo vel defendendo, ſupplicando, vel alias quomodolibet aſſumere vel exercere dictæ Eccleſiæ nomine audeat, niſi de ſedis Apoſtolicæ licentia ſpeciali: decernentes irritum & inane, ſi ſecus a quoquam in poſterum contigerit attentari: Non obſtantibus quibuſcunque privilegiis, a Martino Papa prædicto, vel aliis prædeceſſoribus noſtris ipſis fratribus vel ordini, ſub quacunque forma vel expreſſione verborum conceſſis. Per hoc autem dicti ordinis regulæ in aliquo non intendimus derogare, nec privilegiis fratribus ipſis ſeu eorum ordini ab Apoſtolica ſede conceſſis (niſi duntaxat quoad præmiſſa & iſta tangentia) præjudicium aliquod generare. Nulli ergo hominum liceat hanc paginam noſtræ ſanctionis, inhibitionis, conſtitutionis & intentionis infringere, vel ei auſu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præſumpſerit, &c. Datum Avenion. 6. Idus Decembr. Pontificatus noſtri Anno 7.

## CAP. IV.

*Opinio, quæ aſſerit Chriſtum, & ejus diſcipulos nihil habuiſſe, & in his quæ habuerunt, nullum jus eis fuiſſe, erronea eſt & hæretica. Hæc extravagans eſt valde notabilis, & gloſſas habet profundas, quæ ſunt ex ſacræ Scripturæ fontibus hauſtæ. Si diligenter extravagantem & ſequentem inſpexeris, locum hunc aptum fuiſſe aſſignatum, mea opinione dixeris.*

Cum *a* inter nonnullos viros ſcholaſticos ſæpe contingat in dubium revocari, utrum pertinaciter affirmare Redemptorem noſtrum, ac Dominum Jeſum Chriſtum, ejuſque Apoſtolos in ſpeciali non habuiſſe aliqua, nec in communi etiam, hæreticum ſit cenſendum, diverſa & adverſa etiam ſentientibus circa illud: Nos huic concertationi finem imponere cupientes, aſſertionem hujuſmodi pertinacem, cum Scripturæ ſacræ, quæ in pleriſque locis ipſos nonnulla habuiſſe aſſerit, contradicat expreſſe, ipſamque Scripturam ſacram, per quam utique fidei orthodoxæ probantur articuli, quoad præmiſſa fermentum aperte ſupponat continere mendacii, ac per conſequens quantum in ea eſt, ejus in totum fidem evacuans, fidem catholicam reddat, ejus probationem adimens, dubiam & incertam, deinceps erroneam fore cenſendam & hæreticam, de fratrum noſtrorum conſilio hoc perpetuo declaramus edicto. Rurſus in poſterum pertinaciter affirmare, quod Redemptori noſtro prædicto, ejuſque Apoſtolis iis, quæ ipſos habuiſſe Scriptura ſacra teſtatur, nequaquam jus ipſis utendi competierit, nec illa vendendi ſeu donandi jus habuerint, aut ex ipſis alia acquirendi, quæ tamen ipſos de præmiſſis feciſſe Scriptura ſacra teſtatur, ſeu ipſos potuiſſe facere ſupponit expreſſe: cum talis aſſertio ipſorum uſum & geſta evidenter includat, in præmiſſis non juſta, quod utique de uſu, geſtis, ſeu factis Redemptoris noſtri Dei filii ſentire nefas eſt, ſacræ Scripturæ contrarium, & doctrinæ catholicæ inimicum: aſſertionem ipſam pertinacem de fratrum noſtrorum conſilio deinceps erroneam fore cenſendam merito ac hæreticam declaramus. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam noſtrarum declarationum infringere, vel auſu ei temerario contraire. Si quis autem, &c. Datum Avenion. 2. Idus Novembr. Anno 7.

a *Vide B. Ant. p. 3. tit. 12. c. 4. §. 23. & Turrecrem. in ſumma Eccl. l. 2. c. 125. ad 10. argum.*

## CAP. V.

*Reprobatur opinio illorum detractorum, qui præſumunt impugnare conſtitutiones Joan. XXII. Ad conditorem canonum, &c. Cum inter nonnullos: ſupra immediate præcedentes. Et præmiſſis reſponſionibus ad omnes eorum objectiones, tandem declarantur tanquam hæretici & Romanæ Eccleſiæ rebelles, ab omnibus evitandi, ſi deinceps ſcienter verbo vel ſcripto aliquid defendere vel approbare contra illas præſumpſerint. Hic habetur ſub parte ſecunda & tertia, de clavium materia, prolixa & utilis diſputatio.*

Quia quorundam mentes ſic pater mendacii dicitur excœcaſſe, quod noſtris conſtitutionibus, quarum una incipit, Ad conditorem canonum: alia vero, Cum inter nonnullos: utique tam cum fratribus noſtris ſanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinalibus, quam cum multis Archiepiſcopis & Epiſcopis, aliiſque Eccleſiarum Prælatis, necnon & compluribus ſanctæ Theologiæ magiſtris, ac utriuſque juris Profeſſoribus deliberatione præhabita diligenti digeſtis, ac de præmiſſorum fratrum noſtrorum conſilio promulgatis, non abſque multa temeritate plectibili niſi ſunt detrahere, & nituntur veritatem, quam continent, per falſas inſanias obfuſcare. Nos tam perniciosis auſibus, ne eorum doctrina peſtifera ſimplicium animos labefacere, ac in ſui erroris devium deducere valeat, de eorundem fratrum conſilio decernimus ſuper hoc ſalubriter (ut ſequitur) providere. Ad impugnandas autem conſtitutiones prædictas ſupraſcripta ratione, tam verbo, quam ſcripto, uſi ſunt publice, ſicut fertur: illud, inquiunt, quod per clavem ſcientiæ, in fide ac moribus ſemel definierunt Romani Pontifices, adeo immutabile perſeverat, quod illud ſucceſſori revocare non licet in dubium, nec contrarium affirmare: licet de iis, quæ per clavem poteſtatis ordinaverint, aſſerant ſecus eſſe. In confirmatione autem regulæ ordinis fratrum Minorum, Honorii tertii, Nicolai quarti, prædeceſſorum noſtrorum ſummorum Pontificum hæc verba aſſerunt contineri: Hæc eſt regula Evangelica Chriſti, & Apoſtolorum imitatrix, quæ nihil in hoc mundo habet proprium vel commune, ſed in rebus, quibus utuntur, habent ſimplicem uſum facti: his addere præſumentes, præfatos ſummos Pontifices, & multa Concilia generalia per clavem ſcientiæ definiſſe paupertatem Chriſti & Apoſtolorum conſtitiſſe perfecte in expropriatione cujuslibet temporalis dominii civilis & mundani, & ſuſtentationem eorum in ſolo & nudo uſu facti etiam conſtitiſſe: ex quibus nituntur concludere, non licuiſſe, nec licere ipſorum ſucceſſoribus contra præmiſſa aliquid immutare: Ideoque cum conſtitutio noſtra in ratione prædicta, contra definitiones prædictorum prædeceſſorum noſtrorum (ſicut aſſerunt) definierit, Chriſtum & Apoſtolos in iis quæ habuerunt, habuiſſe non tantum ſimplicem uſum facti, ſed jus faciendi de ipſis, eoſque ipſos feciſſe Scriptura ſacra teſtatur: pertinacem aſſertionem dicentium ipſos jus hujuſmodi minime habuiſſe, cum actus illorum fuiſſe concludant non juſtos, quod de Chriſto nefas eſt dicere, hæreticam declarando: concludere ſatagunt, licet falſo, nobis non licuiſſe declarare vel ſtatuere ſupradicta. Item quia conſtitutio, Ad conditorem canonum: contra definitiones prædictas fratres Minores aſſerit non poſſe habere in re aliqua ſimplicem uſum facti, nituntur ſimiliter concludere contra ipſam. Quod autem quod in ratione prædicta præmittitur, videlicet, quod illa, quæ per clavem ſcientiæ in fide ac moribus a ſummis Pontificibus ſemel ſunt definita, eorum ſucceſſoribus revocare non licet in dubium, nec contrarium affirmare, licet ſecus ſit (ſicut dicunt) in iis quæ per clavem poteſtatis per ſummos Pontifices ordinantur, prorſus ſit contrarium veritati, patet ex ſequentibus evidenter: primo quidem ſecundum illos, qui

qui tenent clavem ſpiritualem nequaquam eſſe ſcientiam, ſed ligandi atque ſolvendi poteſtatem, patet aſſertores prædictos, ponendo eſſe ſcientiam, erraviſſe: pro quibus facit clavis definitio, quæ a Doctoribus datur: Clavis eſt ſpecialis poteſtas ligandi atque ſolvendi, qua Judex Eccleſiaſticus dignos recipere, & indignos excludere debet a regno. Item quia claves, de quibus agimus, in collatione Sacerdotalis ordinis conferuntur: conſtat autem, quod ordinato in Sacerdotem ſcientia communiter non confertur: quare ſecundum illos videtur, quod ſcientia non eſt clavis, ſed potentia tantum ligandi atque ſolvendi debeat dici clavis. Adhuc ſecundum illos, qui ponunt unam clavem ſpiritualem eſſe ſcientiam, & ſecundum illos, qui auctoritatem diſcernendi inter lepram & lepram eſſe aſſerunt clavem, & aliam poteſtatem ligandi atque ſolvendi, noſcuntur evidenter erraſſe. Supponunt enim per claves hujuſmodi circa ea, quæ fidei ſunt, & alia, poſſe per conſtitutionem aliquam definiri: claves autem, quæ in Sacerdotali conferuntur ordine, ad talia minime ſe extendunt: alias ſequeretur quod circa præmiſſa poſſent conſtitutiones Sacerdotes ſimplices facere, quod falſum eſt evidenter. Si autem intendant claves iſtas extendere ad generalem poteſtatem attributam beato Petro, ſuiſque ſucceſſoribus in perſonam ejuſdem in commiſſione officii paſtoralis, per quam utique videtur evidenter ipſis omnia conceſſiſſe, ſine quibus paſtoris univerſalis convenienter cura nequit ſeu officium expediri: adhuc claret ipſos etiam erraſſe: dicunt enim alium effectum habere illa, quæ per clavem ſcientiæ, & alium illa, quæ per clavem potentiæ ſtatuuntur, ſupponentes alia per clavem ſcientiæ, alia per clavem potentiæ ſtatui, ſeu etiam definiri, quod evidenter eſt falſum: per clavem enim ſcientiæ, ſive per auctoritatem diſcernendi, ſeu cognoſcendi inter lepram & lepram (ſi ipſam dixerimus eſſe clavem) nil aliud per ipſum illi, cui datur, tribuitur, niſi auctoritas cognoſcendi. Ei autem, qui datur auctoritas de re aliqua cognoſcendi, de illa definiendi non intelligitur eſſe data. Quare reſtat, quod ad convenienter ſtatuendum, ſeu aliquid definiendum, utraque clavis, ſcilicet cognoſcendi & definiendi neceſſario requiratur: vel quod ſoli clavi potentiæ ſtatuere competat, & etiam definire: ſed ſicut lumen materiale clavigerum in uſum clavis materialis dirigit, & quaſi quantum ad hoc obtineat ſcientia vicem lucis. Et hoc Salvator noſter in promiſſione clavium facta beato Petro ſenſiſſe videtur expreſſe, cum poſt illam immediate ſubjunxerit: Et quodcunque ligaveris ſuper terram, erit ligatum & in cœlis: & quodcunque ſolveris ſuper terram, erit ſolutum & in cœlis, nulla de ſcientia habita mentione. Quod autem ſubſequenter proponitur in ratione prædicta: videlicet, quod in confirmatione & declaratione regulæ fratrum Minorum, nonnullorum prædeceſſorum noſtrorum, videlicet Honorii III. Gregorii IX. Innocentii IV. Alexandri IV. Nicolai IV. verba hujuſmodi continentur: Hæc eſt regula Evangelica, &c. ſupra poſita, uſque ibi, in nudo uſu facti etiam conſtitiſſe paret, proſſus obviat veritati. Honorius quidem præfatam regulam abſque declaratione aliqua confirmavit, in cujus confirmatione de verbis prædictis mentio aliqua non habetur, ut liquere poteſt cuilibet confirmationem hujuſmodi intuenti, niſi quatenus de vita Evangelica habetur mentio in ipſa regula confirmata: ibi, cum dicit: Hæc eſt regula fratrum Minorum videlicet Domini noſtri Jeſu Chriſti ſanctum Evangelium obſervare, vivendo in obedientia, ſine proprio, & in caſtitate. Ex quibus verbis concludi non poteſt, quod per ipſum prædeceſſorem noſtrum ea, quæ ipſi in verbis prædictis aſſerunt, fuerint definita: imo poteſt concludi potius, quod vita Evangelica, quam Chriſtus & Apoſtoli tenuerunt, habere in communi aliqua non excludat, cum ſine proprio vivere non exigat, quod ſic viventes nihil habeant in communi. In declarationibus quoque Gregorii, Innocentii & Alexandri prædictorum, qui eandem regulam abſque confirmatione alia declarant, ſimiliter nulla prorſus fit mentio de prædictis: imo per eas evidenter oſtenditur eorum, quæ habere licet ipſis fratribus, uſum juris ad ipſum ordinem pertinere. Gregorius quidem in ſua declaratione, quantum ad hoc, interſeruit, quæ ſequuntur: Dicimus, quod nec in ſpeciali, nec in communi debent habere proprietatem: ſed utenſilium, librorum, & rerum mobilium, quas licet habere, ordo uſum habeat, & fratres, ſecundum quod Generalis miniſter & provinciales ordinandum duxerint, his utantur. Innocentius autem & Alexander præfati in ſuis declarationibus ſic dixerunt: Dicimus inſuper, quod cum in ipſa regula contineatur expreſſe, quod fratres nihil ſibi approprient, neque domum, neque locum, neque aliquam rem, quod nec in communi, nec in ſpeciali debent proprietatem habere: ſed locorum, & domorum, & utenſilium, & librorum, & eorum, quæ licet habere, ordo uſum habeat, & fratres ſecundum quod generalis & provinciales miniſtri ordinandum duxerint, his utantur. Cum enim dicatur in declarationibus ſupradictis, quod ordo uſum rerum habeat præmiſſarum, ad uſum juris neceſſe eſt hoc referri: facta quidem, quæ ſingulorum ſunt, perſonam veram exigunt, & requirunt: ordo autem vera perſona non eſt, ſed repræſentata & imaginaria potius eſt cenſenda: quare, quæ ſunt facti, ſibi vere convenire nequeunt, licet ei poſſint congruere quæ ſint juris. Adhuc licet declaratio Nicolai IV. prædicti contineat, quæ ſequuntur: Hi ſunt illi ſanctæ regulæ profeſſores, qui Evangelico fundantur eloquio, vitæ Chriſti roborantur exemplo, fundatorumque militantis Eccleſiæ Apoſtolorum ejus ſermonibus & actibus firmantur. Et poſt in eadem declaratione ſubjunxit, dicens, quod abdicatio proprietatis omnium rerum, tam in ſpeciali, quam in communi propter Deum meritoria eſt & ſancta, quam & Chriſtus viam perfectionis oſtendens, verbo docuit, & exemplo firmavit: quamque primi fundatores militantis Eccleſiæ, prout ab ipſo fonte hauſerant, in volentes perfecte vivere, per doctrinæ ac vitæ ipſorum alveos direxerunt. Ex verbis tamen prædictis nequaquam poteſt colligi, quod præfati prædeceſſoris noſtri Nicolai intentio fuerit, dicere, quod dicta regula, quoad omnia, quæ continentur in ea, Evangelico fundetur eloquio, ac vitæ Chriſti roboretur exemplo: nec quod Apoſtolorum vita & actibus ſit firmata. Conſtat enim multa contineri in dicta regula, quæ nec Chriſtus verbo docuit, nec exemplo firmavit, utpote quod præcepit conditor regulæ fratribus univerſis, ut nullo modo denarium vel pecuniam recipiant per ſe, vel per interpoſitam perſonam, necnon & de multis aliis contentis in dicta regula: quæ utique nec Chriſtus, nec Apoſtoli verbo docuerunt, nec firmaverunt exemplo. Nec obſtat, quod Chriſtus portare pecuniam Apoſtolis & diſcipulis, dum ipſos ad prædicandum mitteret, interdixit: quod tamen antequam eos mitteret, ipſis fuiſſe non legimus interdictum. Quodque poſt reditum pecuniam portaverunt, in pleriſque locis Evangelica veritas, & Apoſtolica dicta teſtantur. Præterea Auguſtinus dicit expreſſe, quod illud non fuit præceptum, ſed poteſtas recipiendi neceſſaria ab iis, quibus prædicabant Evangelium, quam ſervare Apoſtolis licuit, vel etiam non ſervare. Sed hoc Romanus Pontifex prædeceſſor noſter Nicolaus, quoad principalia tria vota, ſcilicet in obedientia vivere, & ſine proprio, & in caſtitate, ac alia, ſi qua Evangelio reperiantur expreſſa, in dicta regula videtur intellexiſſe dicere in declaratione prædicta: quod utique declarationibus noſtris in nullo obviat ſupradictis: adhuc non apparet ipſum dixiſſe

dixiſſe ſuſtentationem Chriſti, & Apoſtolorum ejus in ſolo & nudo ſimplici conſiſtere uſu facti: cum quoad Chriſtum & Apoſtolos nullam præfatus prædeceſſor noſter Nicolaus in ſua declaratione fecerit mentionem: imo ſenſiſſe ſatis videtur expreſſe, quod jus aliud a proprietate habuiſſe potuerunt: cum de ſola abdicatione proprietatis, non juris alterius, in præfata declaratione, quantum ad ipſos attinet, mentio habetur. Adhuc idem Nicolaus prædeceſſor noſter videtur ſenſiſſe, quod Chriſtus & Apoſtoli etiam quoad proprietatem habuerint aliquid in communi: cum enim in ſua declaratione prædicta verba de abdicatione proprietatis dixiſſet, reſpondens objectioni tacitæ, quæ ſibi de loculis, quos Chriſtus habuiſſe in Evangelio legitur, poterat fieri, ſtatim quæ ſequuntur, ſubjunxit: Nec his quiſquam putet obſiſtere, quod interdum dicitur Chriſtum loculos habuiſſe: nam ſic ipſe Chriſtus, cujus perfecta ſunt opera in ſuis actibus, viam perfectionis exercuit, quod interdum infirmorum imperfectioni condeſcendens in viam perfectionis extolleret, & imperfectorum infirmas ſemitas non damnaret: ſic & infirmorum perſonam Chriſtum aſſerit in loculis ſuſcepiſſe. Alias impertinens de loculis fuiſſet objectio, niſi intellexiſſet Chriſtum etiam quoad proprietatem loculos habuiſſe. Præterea ſi diceretur Chriſtum in loculis habuiſſe tantummodo ſimplicem uſum facti, fruſtra diceretur, quod in perſona infirmorum ipſos Chriſtus habuit loculos: cum ſecundum eum perfectis etiam conveniat habere ſimplicem uſum facti. Et ſi quæratur, propter quos infirmos iſtos loculos habuerit? Auguſtinus, cujus dictum inſertum eſt in decretis, reſpondet, dicens: Habebat Dominus loculos a fidelibus oblata conſervans, & ſuorum neceſſitatibus, & aliis indigentibus tribuebat: unde conſtat ipſum de ſuis diſcipulis hoc ſenſiſſe. Nec hoc ſcilicet in communi & quoad proprietatem aliqua habere derogat, juxta dictum Gregor. IX. prædicti, altiſſimæ paupertati, qui in quadam ſua decretali dicit expreſſe, fratres Prædicatores & Minores in altiſſima paupertate Chriſto pauperi famulari: & tamen conſtat ipſos Prædicatores habere in communi etiam quoad proprietatem aliqua, quod eorum regulæ & ſtatui non repugnat. Hoc etiam Alexander prædeceſſor noſter præfatus in condemnatione libelli, contra ſtatum Prædicatorum & Minorum editi, videtur ſenſiſſe, in qua aliquando de dictis fratribus, quæ ſequuntur ſubjunxit, cum inſuper reſpondet, quod iidem fratres omnia propter Deum dereliquerint, exilia vitæ ſubſidia mendicantes, Chriſtumque imitentur pauperem, perfectionem Evangelicam amplexando: propter quod evidenter apparet eos non ſolum in ſtatu ſalvandorum exiſtere, ſed etiam perfectorum, & per ſuæ religionis obſervantiam, quæ quidem ipſius perfectionis Evangelicæ tenet formam, in æternæ retributionis præmio præcellentem gloriam promereri; ubi quidem expreſſe dicit, Prædicatores Chriſtum pauperem imitari, ipſoſque perfectionem Evangelicam amplexari, & in ſtatu exiſtere perfectorum, quodque ipſorum religionis obſervantia perfectionis Evangelicæ tenet formam, & tamen conſtat ipſos habere poſſe etiam quoad proprietatem aliqua juxta eorum regulam in communi. Nec obſtat, quod dicunt, Innoc. (alias Cœleſtinum) V. prædeceſſorem noſtrum dixiſſe, altam paupertatem eſſe, habere pauca propria propter Deum: altiorem, quæ nulla habet propria, tamen habet in communi: altiſſimam, quæ nihil habet in hoc mundo, nec in proprio, nec in communi: dicimus quidem quod hoc dixerit, non ut Papa, ſed ut frater Petrus de Tarantaſia in quadam Poſtilla ſua, quare dicta præmiſſorum ſummorum Pontificum ſunt ei merito præferenda. Dicunt etiam, quod Apoſtolus de tali altiſſima loquitur paupertate, dicens: *Et altiſſima paupertas eorum abundavit in divitias ſimplicitatis eorum*: quod evidenter eſt falſum: quia ibi loquitur de paupertate Macedonum: qui etiam in ſpeciali bona temporalia obtinebant: de quibus Apoſtolus aſſerit, quod ſupra vires ſuas miſerant eleemoſynas ſanctis. Quod autem dicitur in declaratione Nicolai Prædeceſſoris noſtri contineri, quod fratres Minores in rebus, quæ eis obveniunt, habent tantum ſimplicem uſum facti: dicimus, quod ſi ipſe intellexerit ſimplicem uſum facti denudatum omni jure, ita quod fratres ipſi ſeu ordo nullum jus habeant utendi, hoc eſt expreſſe contra declarationem Greg. Innoc. Alex. ſummorum Pontif. prædictorum, quibus expreſſe quod talium bonorum ordo uſum habeat continetur: quod de uſu juris eſt intelligendum neceſſario, ut ſuperius eſt probatum. Adhuc dicimus, quod eſt cum hoc impoſſibile, ſcilicet uſum facti ſimplicem abſque jure aliquo (quod nihil aliud, quam ipſum uti proprie poteſt dici) poſſe in re aliqua etiam uſu non conſumptibili ab aliquo obtineri, prout in decre., Ad conditorem canonum, eſt probatum: & a Aug. in lib. XI. de actu, tenet expreſſe. Præterea ſi ſimpliciter uſus denudatus ab omni jure haberi poſſet ab aliquo, conſtat quod actus utendi hujuſmodi eſſet reputandus non juſtus, cum ille uſus fuerit, cui jus non competebat utendi: uſus autem non juſtus ad perfectionis ſtatum nequaquam pertinet, nec perfectioni aliquid adjicit, ſed ſibi repugnare potius noſcitur manifeſte. Quod autem uſum talem non juſtum conditor canonis fratribus ipſis intellexerit reſervare, probabile non videtur: imo quod de juſto intellexerit, ex eo poteſt evidentius apparere, quod in eadem ordinatione adjicit, quod illarum rerum duntaxat in ſe & etiam Rom. Eccl. recipiebat dominium, quarum uſum facti liceret habere fratribus ſeu Ordini antedictis: ſubjungens, quod non rerum omnium uſum habere debeant fratres ipſi. Quantum autem ad uſum facti ſimplicem abſque omni jure utendi attinet, nulla rerum poteſt cenſeri differentia quoad fratres: ſic enim uti de facto poſſunt prohibitis, ut permiſſis. Ex quo ſequitur, quod uſus facti, de quo ordinatio loquitur, de tali intelligi debeat, qui juſtus ſit, & pro quo competat jus utendi, & ipſe videtur conditor canonis ex eo etiam ſenſiſſe, quod in eadem ordinatione ſubjunxerit, quod moderatus uſus in expenſis prius rebus ipſis fratribus eſt conceſſus. Rurſus impugnatores conſtitutionum hujuſmodi aſſerere publice perhibentur, quod libellum & dicta magiſtrorum aſſerentium dictam paupertatem & vitam dictorum fratrum non eſſe Evangelicam & Apoſtolicam, ſummi Pontifices damnaverunt, diſtrictius per Apoſtolicas literas inhibentes, ne quiſquam præmiſſa vel aliquod præmiſſorum contumaciter aſtrueret, ſeu quomodolibet præſumeret defenſare: ſtatuentes, quod præſumens contrarium tanquam contumax, Eccleſiæ Romanæ rebellis, ac ut hæreticus haberetur. Ad quod dicimus aſſertionem hujuſmodi falſam eſſe: non enim continetur in ſententia ſupradicta, quod contra faciens, ut hæreticus haberetur, quæ quidem quoad hoc continet, quæ ſequuntur: Nos enim nihilominus auctoritate præſentium diſtrictius inhibemus, ne quiſquam præmiſſa, vel aliquod præmiſſorum pertinaciter aſſerere, vel quomodolibet defenſare præſumat: quicunque vero hoc præſumpſerit, tanquam contumax, & Eccleſiæ Romanæ rebellis ab omnibus fidelibus habeatur: non fuit adjectum, quod ut hæreticus b haberetur, ut patet in ſerie ſententiæ condemnationis prædictæ. Rurſus aſſeruiſſe dicuntur publice hujuſmodi aſſertores, quod abdicatio juris in cujuſcunque rei proprietate & in uſu

---

a *Al. ita: & Auguſtin. de doctrina Chriſtiana tenet, &c.*
b *Nota textum bene, & quis dicatur hæreticus, vide gloſſ. Clement. 1. de uſu c. hæreticus. 24. quæſt. 3. & Joan. de Turrecrem. lib. 4. part. 1. cap. 2. Fons.*

uſu ejus eſt ſancta & meritoria propter Deum , & a Chriſto in ſeipſo ſervata , Apoſtolis impoſita , & ab ipſis ſub voto aſſumpta : nec propter hoc uſus facti ad ſuſtentationem naturæ in Chriſto & Apoſtolis convincitur eſſe non juſtus : ſed tanto juſtior atque perfectior , & Deo acceptior , & mundo exemplarior , quanto plenius renunciatum fuerit omni juri , per quod poteſt ſic mens pro uſu hujuſmodi quomodolibet contendere vel in judicio litigare . Quæ quidem aſſertio continet multa falſa : cum neque Chriſtum expropriationem prædictam omnis juris in cujuſcunque rei proprietate , & in ejus uſu in ſe ſervaſſe , nec eam impoſuiſſe Apoſtolis , neque ſub voto ab ipſis fuiſſe receptum , Evangelica ſeu Apoſtolica doceat hiſtoria , ſed contrarium evidentius manifeſtat . Quod autem in prædicta aſſertione adjicitur , quod per abdicationem juris prædicti , videlicet proprietatis , is uſus facti ad ſuſtentationem naturæ in Chriſto & Apoſtolis non convincitur eſſe non juſtus , ſed tanto juſtior , &c. impoſſibilitatem includit & errorem dictum hujuſmodi evidenter . Impoſſibile enim eſt actum humanum extrinſecum eſſe juſtum , ſi exercens actum ipſum nullum jus habeat illum exercendi : imo non juſtus ſeu injuſtus , neceſſario convincitur talis uſus . Item eſt abſurdum & erroneum , quod actus alicujus non habentis jus actum hujuſmodi faciendi , ſit juſtior & Deo acceptior , quam habentis , cum concludat actum injuſtum juſtiorem & Deo acceptiorem exiſtere , quam ſit juſtus . Ex præmiſſis autem inferre nituntur ( ut fertur ) quod prædictorum ſummorum Pontificum definitio , quam definierunt de paupertate Chriſti & Apoſtolorum , ac fratrum Minorum prædictorum regula ( prout ſuperius expreſſerunt ) per nos non potuit mutari , proculdubio falſa aſſerunt , dicendo prædeceſſores noſtros definiviſſe talia , ut ſuperius eſt probatum , & adhuc ſic loquentes , dum per talia conſtitutiones noſtras impugnare ſatagunt , conſtitutiones illas , quibus ſe adjuvant , oſtendunt ( ſi eorum falſæ aſſertiones veræ exiſterent ) fore invalidas , erroneas & infirmas . Si enim nobis non licuit contra conſtitutionem Nicolai IV. prædeceſſoris noſtri , in qua ſe fundant præcipue , aliquid ſtatuere commune , nec ſibi licuit contra ſtatuta Gregor. Innocentii & Alexandri prædictorum ſtatuere , aut aliquid declarare , quod tamen ipſum feciſſe ( ſecundum eorum aſſertionem ) noſcitur evidenter : cum enim illi declaraverint , quod ordo Minorum habet uſum earum rerum , quas licet eis habere , quod ad uſum juris eſt referendum neceſſario , ut ſuperius eſt probatum : ipſe vero ſecundum ipſos ſtatuit , quod nec ordo , nec fratres jus utendi habeant , ſed tantummodo ſimplicem uſum facti : & inſuper ordinavit , decrevit & ſtatuit hujuſmodi conſtitutionem , ordinationem & declarationem ſuam duntaxat a fratribus ipſis præciſe & inviolabiliter perpetuis temporibus obſervandam : conſtat non ſolum , quod contra declarationes prædeceſſorum prædictorum ordinaverit , ſed ipſum illas , quantum ad ea , quæ ſua declaratio continet , etiam revocaſſe . Ipſe quoque prædeceſſor noſter in ſua declaratione ſubjunxit , ad ſedis Apoſtolicæ declarationem & ordinationem eorum , & circa ea , quæ ipſe declaraverat , pertinere , ſic dicens : Si quid in prædictis ambiguitatis emerſerit , hoc ad culmen ſedis Apoſtolicæ deducatur , ut ex auctoritate Apoſtolica ſua in hoc manifeſtetur intentio , cui ſolum conceſſum eſt in his ſtatuta condere , & condita declarare : cujus tamen contrarium aſſerunt hujuſmodi aſſertores . Adhuc patet , quod aſſerunt , eſſe falſum : licet enim Innocent. III. prædictus in generali Concilio interdixiſſet novas religiones inſtitui , tamen ſucceſſores ipſius ( non obſtante interdicto hujuſmodi ) plures leguntur ordines confirmaſſe , qui etiam ( aliquibus exceptis ) fuerunt poſtea per Gregor. IX. prædeceſſorem noſtrum diſſoluti certo modo in Concilio generali . Si igitur poſt interdictum generalis Concilii , licuit ſummis Pontificibus non confirmatos ordines confirmare , & eorum ſucceſſoribus ſic confirmatos in totum diſſolvere , non eſt mirum , ſi quod declarat circa regulas ordinum ſolus ſummus Pontifex , vel ordinat , liceat ejus ſucceſſoribus declarare , ſeu alias immutare . Patet autem , quod neque Honorii confirmatio , neque Gregorii , neque Alexandri , neque Nicolai prædictorum facta fuerit in Concilio generali , cum per nullum ipſorum fuerit generale Concilium celebratum , licet Innocent. IV. celebravit Concilium generale , tamen in illo , nec auctoritate alicujus Concilii facta fuit ipſius declaratio ſupradicta . Nicolaus autem IV. nec celebravit generale Concilium , nec aliquid circa dictam regulam declaravit . Gregorius autem IX. prædictus , nec confirmavit , nec declaravit dictam regulam : ſed in generali Concilio , ubi caſſati fuerunt nonnulli mendicantium ordines , dictorum fratrum Minorum , & Prædicatorum ordines non caſſavit , ſed aſſeruit approbatos , ſic dicens : Ad eos, quos evidens ex eis utilitas Eccleſiæ univerſali proveniens perhibet approbatos , præſentem non patimur conſtitutionem extendi . Præterea dicant nobis , ubi legunt aſſertiones hujuſmodi , quod ad fidem vel mores pertineat , Chriſtum & Apoſtolos non habuiſſe in his , quæ habuerunt, niſi ſimplicem uſum facti? profecto directe hoc ad fidem non pertinet , cum de hoc articulus non ſit aliquis, nec ſub quo valeat comprehendi, ut patet in ſymbolis ; in quibus articuli fidei continentur : nec etiam reducte, ne quaſi hoc ſacra Scriptura contineat , quo negato tota Scriptura ſacra redditur dubia : & per conſequens articuli fidei, qui habent per Scripturam ſacram probari , redduntur dubii & incerti : hoc enim in Scriptura ſacra non poterit , ſed contrarium reperiri . De fratribus autem Minoribus prædictis conſtat, quod de ipſorum paupertate & ſimplici uſu facti, ſeu de dominio eorum , quæ ipſis offeruntur, quod ſummus Pontifex illud ſibi & Romanæ Eccleſiæ reſervaverit vel potuerit reſervare , nec quod illud reſervatum ſucceſſori abjicere non liceat , ſi hoc expedire viderit , ſeu quod procuratores conſtitutos auctoritate ſummi Pontificis pro negotiis ordinis prædictis ſucceſſor revocare non valeat , in prædictis ſymbolis , Evangelio , neque actibus Apoſtolorum & epiſtolis mentio aliqua non habetur . Unde non poſſunt ex prædictis concludere , niſi falſo , quin contra ordinata per ſummos Pontifices circa talia valeat ſucceſſor aliud ordinare ; quod Nicolaus præfatus expreſſe in ſua declaratione inſeruit , ut ſuperius plenius continetur . Nos itaque , ne fabricatores mendaciorum hujuſmodi ac etiam aſſertores de tam peſtifera , erronea & damnata doctrina , confutatione ac confuſione utique omni digna , gloriari valeant , & alios trahere in errorem , cum auſu arreptando , ac petulantia improba auſi defendere publice fuerint damnatam per conſtitutionem prædictam hæreſim , ac etiam probare , videlicet quod Chriſtus & ejus Apoſtoli in iis , quæ habuiſſe leguntur , tantum habuerint abſque jure aliquo ſimplicem uſum facti , ex quo ( ſi verum eſſet ) ſequeretur uſum Chriſti fuiſſe non juſtum , quod profecto blaſphemiam continet , & eſt catholicæ fidei inimicum , cum hoc de pertinaci animoſitate ac erronea non ſit dubium proceſſiſſe : omnes & ſingulos , qui verbo ac ſcripto per ſe vel alium ſeu alios talia publice præſumpſerunt , ipſos quoque qui eos docuerunt in talibus , & ut præmiſſa facerent , in damnatam incidiſſe hæreſim , ac ut hæreticos evitandos fore , de fratrum noſtrorum conſilio declaramus . Si quis autem damnatas per conſtitutionem , Cum inter prædictam , hæreſes , vel ipſarum alteram , deinceps ſcienter verbo vel ſcripto defendere vel approbare præſumpſerit , de fratrum eorundem conſilio decernimus , ut tanquam hæreticus ab omnibus evidenter habeatur . Adhuc quod conſtitutionem noſtram , Ad conditorem canonum , ſupradictam inſano auſu

UNED

auſu impugnare niſi ſunt (ſicut fertur) diſtrictius de eorundem fratrum conſilio inhibemus, ne quiſquam contra definita, ordinata ſeu facta per ipſam, verbo vel ſcripto ſcienter approbet aliquid, vel defendat. Si quis vero contra præſumpſerit, tanquam contumax, & rebellis Romanæ Eccleſiæ ab omnibus habeatur. Nulli ergo, &c. Data Avenion. IV. Idus Novembris, Pontificatus noſtri Anno 9.

CONSTITUTIONUM VIGINTI JOANNIS XXII. FINIS.

# EXTRAVAGANTES COMMUNES, A DIVERSIS ROMANIS PONTIFICIBUS POST SEXTUM ÆDITÆ,

*CUM SUIS (UT VOCANT) SUMMULIS.*

## *TITULUS I.*

## DE CONSUETUDINE.

### CAP. UN.

*Conſuetudo impediens, ne Legati ſedis Apoſtolicæ recipiantur, non valet: & , illa non obſtante, Legati ipſi ſunt ab omnibus recipiendi, & eos impedientes ipſo facto excommunicationem incurrunt, & eorum terra Eccleſiaſtico ſubjiciuntur Interdicto.*

Joannes XXII. (*Anno 13 8. Avenioni.*

SUper gentes & regna Romanus Pontifex a Domino conſtitutus, cum perſonaliter ſingulas regiones circuire non poſſit, nec circa gregem ſibi creditum curam paſtoralis ſolicitudinis exercere: neceſſe habet interdum ex debito impoſitæ ſervitutis, ſuos ad diverſas mundi partes (prout neceſſitates emerſerint) deſtinare Legatos, qui vices ipſius ſupplendo, errata corrigant, aſpera in plana convertant & commiſſis ſibi populis ſalutis incrementa miniſtrent. Veruntamen aliqui hujuſmodi officium & poteſtatem ipſius Romani Pontificis, quam non ab homine, ſed a Deo recepit, ſub ſuo arbibitrio redigere molientes, Legatos ipſos, niſi ab eis petiti fuerint, vel de beneplacito eorum tranſmiſſi, ſibi terras ſubjectas (dicentes hoc eis de conſuetudine competere) ingredi non permittunt. Nos hujuſmodi conſuetudinem, non tam irrationabilem, quam nonnumquam animarum ſaluti contrariam, detrahentemque Apoſtolicæ poteſtati, auctoritate Apoſt. penitus reprobantes, Legatos ipſos ab omnibus, cujuſcunque præeminentiæ, conditionis, aut ſtatus fuerint, debere admitti decernimus: nec eos prætextu cujuſvis conſuetudinis impediri poſſe a quoquam Chriſtiano nomine gloriante, quo minus regna, provincias & terras quaslibet, ad quæ ipſos deſtinari contigerit, ingrediantur libere, ac commiſſæ ſibi legationis officium exerceant in eiſdem. Qui vero de cætero ſuper prædictis dictos Legatos, aut etiam Nuntios, quos ad quaſcunque partes pro cauſis quibuslibet ſedes ipſa tranſmiſerit, præſumpſerint impedire, ipſo facto ſententiam excommunicationis incurrant. Regna, terræ & loca quælibet ſubjecta eiſdem, tamdiu ſint eo ipſo Eccleſiaſtico ſuppoſita interdicto, quamdiu, in hujuſmodi contumacia duxerint perſiſtendum. Non obſtantibus quibuslibet indulgentiis, aut privilegiis, Imperatoribus ac Regibus, ſeu quibuſcunque aliis ſub quibuſcunque modis, tenoribus & formis a ſede ipſa conceſſis, quæ contra præmiſſa nullis volumus ſuffragari.

## *TITULUS II.*

## DE POSTULATIONE PRÆLATORUM.

### CAP. UN.

*Minores XXVII. annis ſeculares, & mendicantes religioſi, ad certas Eccleſias prohibentur poſtulari: & puniuntur tam poſtulantes, quam poſtulati.*

Joannes XXII.

DIſpendiis & periculis variis, quæ ex ſubſcriptis poſtulationibus poſſent Eccleſiis evenire, & vacationum diuturnitatibus, quæ conſueverunt nonnumquam ex poſtulationibus irrationabilibus provenire, ac diſpendiis, quæ inde frequenter Eccleſiæ incurrunt, ad futuram rei memoriam obſiſtere cupientes: illum, qui vigeſimum ſeptimum non attigerit annum, ad cathedralem, necnon profeſſorem cujuſvis mendicantium ordinis ad inferiores cathedralibus Eccleſias, ad monaſteria extra ſuos ordines poſtulari edicto perpetuo prohibemus. Quod ſi ſecus poſtulatum fuerit & attentatum, irritum ac nullius penitus ſit momenti. Et qui ſcienter proceſſerint ad eandem, ea vice poſtulandi ac eligendi poteſtate privatos, ac beneficiis, quæ in ipſa obtinebunt Eccleſia

ſia, ad quam poſtulationem hujuſmodi fecerint, per triennium noverint ſe ſuſpenſos. Poſtulatos vero qui poſtulationis de ſe factæ negotium fuerint per ſe, vel per alium in Romana curia proſecuti, illud ibi proponi in publico vel privato conſiſtorio facientes, etiam ſe duntaxat diſpoſitioni ſedis Apoſt. committendo, ſi ſe annum XXVII. non attigiſſe ſciverint (ut præfertur, uſque ad XXXV. annum. Cæteros vero ſeculares & religioſos extra ſuorum adminiſtrationes, ordinum perpetuo ineligibiles ac impoſtulabiles eſſe decernimus, ac prorſus inhabiles ad quaſcunque dignitates Eccleſiaſticas, & beneficia quælibet obtinenda.

## *TITULUS III.*
## DE ELECTIONE.
### CAP. I.

*Multis probat argumentis, promotos in curia non debere ad propria redire ſine literis ſuæ promotionis. Qui ſi ſecus fecerint, pro Prælatis non ſunt habendi, pœnaſque incurrunt hic expreſſas. Et de iſta extravaganti facit mentionem Panor. in cap. qualiter. de elect. dicens: quod nullus, antequam habeat literas Apoſtolicas ſuper ſua promotione, debet adminiſtrare, nec debet recipi ab Eccleſia tanquam Prælatus: alias recipientes & receptus incurrunt pœnam, de qua hic.*

Bonifacius VII. (*an.* 1300. *Romæ.*)

INjunctæ nobis debitum ſervitutis expoſcit, ut qui ad reformandos in Clero mores & actus (prout nobis ex alto permittitur) ſolertius intendimus, ibi præcipue reformationis accommodæ remedium apponamus, ubi majus reſpicimus periculum imminere. Sane quam periculoſum exiſtat, quod aliquis in officio, dignitate vel gradu fore ſe aſſerat, & pro tali etiam habeatur, niſi prius ipſe, quod aſſerit, legitimis oſtenderit documentis, tam ex civilibus, quam ex canonicis inſtitutis colligitur evidenter. Aſſerenti namque cum mandatis Principis ſe veniſſe, credendum non eſt, niſi hoc ſcriptis probaverit. Nec ſimiliter creditur ſe aſſerenti Legatum. Nunquam enim Apoſt. ſedis moris fuit, abſque ſignatis apicibus undecunque legationem ſuſcipere. Sed nec dicenti ſe delegatum ſedis ejuſdem creditur vel intenditur, niſi de mandato Apoſtolico fide doceat oculata. Similiter Clerici ad alienam diœceſim ſine ſuorum ordinariorum literis venientes, nec in ſuis recipiantur ordinibus, nec ad ſuperiores aſcendant. Clerici quoque & Monachi, qui de ſuis civitatibus ad alienam urbem proficiſcuntur (niſi muniti veniant ſuorum literis Prælatorum) non ſunt Clerici vel Monachi reputandi. Si quis præterea in Clerum electum ſe dicat, ſi Sacerdotem ſeſe nominet, hoc ſcrutandum eſt: quia non ſine periculo eſt in talibus communicatio indiſcuſſa. Quod autem in illis, qui ſe Epiſcopos, vel ſuperiores Prælatos, aut etiam Abbates, Priores, ſeu alios monaſteriorum Rectores, quocunque nomine cenſeantur, appellant, ſit diſcuſſio celebris & diligens facienda, luculenter apparet: ſi ſcandala & pericula gravia (quæ ipſorum parere poſſet communicatio indiſcuſſa) diligentius attendantur. Hinc nos evidens evocat ratio, ut cum præmiſſis aliis caſibus, qui minoris exiſtunt periculi, ſit ex conſtitutionibus editis jam proviſum, hunc ultimum, qui pericula graviora minatur, nequaquam ſine proviſionis opportunæ remedio relinquamus. Præſenti itaque perpetuo valitura conſtitutione ſancimus, ut Epiſcopi & alii Prælati ſuperiores, necnon Abbates, Priores & cæteri monaſteriorum regimina exercentes, quocunque nomine cenſeantur, qui apud dictam ſedem promoventur, aut confirmationis, conſecrationis, vel benedictionis munus recipiunt, ad commiſſas eis Eccleſias & monaſteria abſque dictæ ſedis literis hujuſmodi, eorum promotionem, confirmationem, conſecrationem, ſeu benedictionem continentibus accedere; vel bonorum Eccleſiaſticorum adminiſtrationem accipere non præſumant: nullique eos abſque dictarum literarum oſtenſione recipiant, aut eis pareant vel intendant. Quod ſi forſan contra præſumptum fuerit, quod per Epiſcopos, Prælatos, Abbates, Priores, & alios monaſteriorum regimina exercentes prædictos medio tempore actum fuerit, irritum habeatur: nec quicquam interim iidem Epiſcopi vel Prælati, Abbates, Priores, vel regimina exercentes, de Eccleſiarum vel monaſteriorum proventibus percipiant eorundem. Capitula vero & Conventus Eccleſiarum & monaſteriorum ipſorum, & alii quicunque, ipſos abſque hujuſmodi dictæ ſedis literis recipientes, vel obedientes eiſdem, tamdiu ſint a beneficiorum ſuorum perceptione ſuſpenſi, donec ſuper hoc ejuſdem ſedis gratiam meruerint obtinere. Similiter quoque Epiſcopi, Prælati, Abbates, Priores, & alii monaſteriorum regimina exercentes prædicti, ſolito fidelitatis & obedientiæ juramento non præſtito. Illi etiam Pontifices, quos apud prædictam ſedem pallium continget recipere, abſque literis traditionis ipſius pallii nequaquam ab eadem diſcedant: diſcedentes vero (quouſque hujuſmodi juramentum præſtiterint, & literas obtinuerint) nihil de ipſarum Eccleſiarum & monaſteriorum proventibus percipiant: & quicquid interim per eos (ut de aliis prædicitur) actum fuerit, viribus non ſubſiſtat.

### CAP. II.

*Si religioſus electus non petierit ipſe vel ejus electores licentiam conſentiendi, intra tempus moderandum pro præſentia vel abſentia ſuperioris, eſt eo ipſo privatus jure ſibi ex electione quæſito, & poſſunt electores alium eligere.* h. d. addit. ad c. quam ſit. de elect. in 6.

Benedictus XI. (*an.* 1304. *Romæ.*)

SI Religioſus, qui abſque ſui ſuperioris licentia electioni de ſe factæ conſentire non poteſt, illam poſt elenem ſibi præſentatam, vel ejus electores, intra tempus pro ejuſdem ſuperioris præſentia vel abſentia moderandum, nequaquam obtineat, dat generale Concilium Lugdunenſe electoribus extunc ad electionem aliam procedendi liberam facultatem. Verum quia frequenter dubitatum eſt, an etiam ſit eo ipſo jure (ſi quod ei competebat ex hujuſmodi electione) privatus: ſtatuimus illo eum hoc ipſo fore privatum.

### CAP. III.

*Quatuor Patriarchalibus Eccleſiis vacantibus, ſtatuitur, illis non poſſe provideri Romano Pontifice inconſulto: quod ſi ſecus factum fuerit, irritum decernitur.*

Idem.

SAncta [a] Romana Eccleſia, quæ diſponente Domino ſuper omnes alias ordinariæ poteſtatis obtinet principatum a Deo, utpote mater univerſorum Chriſti fidelium, & magiſtra, quatuor Patriarchales ſedes inſtituit, inter quas poſt ipſam Romanam Eccleſiam, Conſtantinopolitanam primum, Alexandrinam ſecundum, Antiochenam tertium, & Hieſolymitanam quartum locum voluit obtinere, ipſaſque multis prærogativis & honoribus ac privilegiis decoravit: de quarum proviſionibus cum eas vacare contingit, tanto eſt accuratius cogitandum, & attentius providendum, quanto majoris eminent altitudine dignitatis, & periculoſe erraretur in proviſionibus earundem: Super hoc igitur cum fratribus noſtris habita deliberatione matura, inter alia noſtræ conſiderationi occurrit, quod omnes (proh dolor!) prædictarum ſedium Patriarchalium civitates, aut ſunt deſtructæ, aut occupatæ ab infidelibus, vel a Schiſmaticis detinentur, ipſarum Capitulis, ſeu Conventibus, & Canonicis diſperſis undique extra civitates ipſas, per alias regiones, ſeu loca a civitatibus ipſis remota. Ex quo conti-

*a Vide notata pe Doct. in c. antiqua extra de privil.*

contigit (ſicut experientia nuper nos docuit, quod vacante Conſtantinopolitana Eccleſia, per mortem bonæ memoriæ Petri Patriarchæ, ſolum per unum duxtaxat ejus Canonicum fuit de novo paſtore electio celebrata, aliis Canonicis ſuis agentibus in remotis: dictus tamen electus juri, ſi quod ſibi electione hujuſmodi competebat, in noſtris manibus ſponte ac libere reſignavit. Ideoque de eorundem fratrum conſilio & Apoſtolicæ poteſtatis plenitudine ſtatuimus, ut quamdiu civitates ipſæ Schiſmaticorum, aut infidelium ſubſunt, aut ſuberunt ditioni, aut detinebuntur per eos, Canonici dictarum patriarchalium ſedium, cum eas vel ipſarum aliquam ſeu aliquas vacare contigerit, ad electionem, poſtulationem, ſeu quamvis proviſionem de præficiendo ſibi Patriarcha vel paſtore nullo modo procedant, quouſque ad Apoſtol. ſedis notitiam deducatur. Nos enim a data præſentium decernimus irritum & inane, ſi ſecus per prædicta Capitula, Conventus vel Canonicos, aut quemvis alium vel alios ſcienter vel ignoranter fuerit attentatum: non obſtantibus quibuſcunque ipſarum Eccleſiarum, vel alicujus earum conſuetudinibus vel ſtatutis, juramento, confirmatione dictæ ſedis, vel quacunque alia firmitate vallatis ſeu conſtitutionibus, privilegiis, vel indulgentiis ſedis ejuſdem per quæ effectus præſentium impediri poſſet quomodolibet, vel differri, & de quibus quorumque totis tenoribus de verbo ad verbum in noſtris literis habenda eſſet mentio ſpecialis. Nulli ergo, &c. Data Laterani X. Calendas Januar. Pontificatus noſtri An. 2.

## CAP. IV.

*Cum beneficia apud ſed. Apoſt. vacantia ſint ſoli Papæ reſervata, oſtendit, quæ & quorum apud ſedem vacare dicantur eandem. Et primo loquitur de reſervationibus, ſecundo de penſionibus.*

Joannes XII. (*An. 1316. Avenioni*).

EX debito paſtoralis officii, nobis quanquam immeritis ſuperna diſpoſitione commiſſi, periculis animarum & Eccleſiarum ac monaſteriorum diſpendiis, quæ ob ipſorum vacationes diutinas ipſis ſolent frequentius provenire, congruis remediis (quantum nobis ex alto conceditur) ſalubriter occurrere intendentes, ut celerius & utilius provideatur Eccleſiis ac monaſteriis antedictis, & ut Roman. Eccl. quæ ſuper ipſas Eccleſias ac monaſteria ex divina proviſione obtinere dignoſcitur principatum, honor debitus ſuſpendatur: prædeceſſorum noſtrorum Romanorum Pontificum, præſertim fel. record. Bonifac. VIII qui dignitates, perſonatus, Eccleſias & alia Eccleſiaſtica beneficia, & Clem. V. qui tam hujuſmodi dignitates, perſonatus, Eccleſias, beneficia, quam cathedrales Eccleſias quaslibet, monaſteria, prioratus, adminiſtrationes & officia quæcunque, quæ apud ſedem Apoſt. vacarent, proviſioni Apoſtolicæ ſub certis tenoribus reſervaverunt, veſtigiis inhærentes: Nos ex cauſis rationabilibus, quæ ad id noſtrum animum induxerunt, de fratrum noſtrorum conſilio nonnulla detrahendo, aliqua declarando, & quædam addendo de novo, Epiſcopales, & earum ſuperiores ſedes, monaſteria, & regulares Eccleſias, ad quæ hi qui eis pro tempore præficiendi ſunt, etiam per electionem canonicam aſſumuntur, Prioratus, officia, vel adminiſtrationes eorundem, dignitates, perſonatus, præbendas, aliaque Eccleſiaſtica beneficia, cum cura vel ſine cura, quocunque nomine cenſeantur, quæ apud prædictam ſedem vacant ad præſens, & exnunc in antea (donec Chriſti dignatio nos dignabitur univerſalis Eccleſiæ ſponſæ ſuæ regimini præſidere) vacare contigerit apud eam, proviſioni noſtræ de fratrum noſtrorum conſilio auctoritate Apoſtolica reſervamus. Hujuſmodi autem ſedes, monaſteria, Eccleſias & alia præfata beneficia Eccleſiaſtica, per mortem vel depoſitionem, ac privationem eorum, qui ea obtinerent, per electionum caſſationem, poſtulationum repulſionem, renunciationem, quorumlibet proviſionem, translationem, ſive per ſucceſſionem muneris conſecrationis, aut benedictionis dudum a dicto Clemente prædeceſſ. noſt. promotis impenſi: niſi de ipſis diſpoſuerit prædeceſſor, & a nobis, ſive auctoritate noſtra promovendis impendendi apud ſedem ipſam, vel etiam ubicunque aut quovis alio modo, canonice vacare, apud ſedem intelligimus prælibatam. Epiſcopales inſuper vel alias dignitates, Eccleſias, Monaſteria, & alia prædicta fratrum noſtrorum ſanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinalium apud dictam ſedem per eorum obitum vacare cenſemus, ſive inibi, ſive alibi ubicunque ipſos migrare contigerit de hac luce. Et hoc idem in dignitatibus & beneficiis quibuslibet (ut de aliis præmittitur officialium noſtrorum, videlicet Vicecancellarii, ejuſdem Eccleſiæ Camerarii, Notariorum, auditoris contradictorum, correctorum, ſcriptorum literarum, ac pœnitentiariorum noſtrorum, necnon abbreviatorum curiæ Romanæ locum ſibi volumus vendicare. Rurſus hujus noſtræ reſervationis edictum ad dignitates, & alia jam dicta Capellanorum noſtrorum commenſalium, & quorumlibet aliorum ratione officii, vel ex cauſa legitima in dicta curia morantium, quando a nobis pro noſtris, & ejuſdem ſedis negotiis proſequendis, de ipſa curia quocunque modo præmiſſi, vel aliqui eorum tranſmiſſi, aut legati vel nuncii fuerunt, & eos ubilibet ante ipſorum ad præfatam curiam reditum (durante legatione, ſeu proſecutione ipſorum negotiorum) rebus eximi contigerit ab humanis, duximus extendendum. Et id ipſum etiam eſſe volumus in hujuſmodi Capellanis commenſalibus, etiamſi (ut præmittitur) nunc tranſmiſſi fuerint ubicunque, & ipſos rebus eximi contigerit ab humanis. Cæterum edictum ipſum trahimus ad ſedes, monaſteria, & alia ſupradicta, quæ vivente adhuc dicto Clem. prædeceſſore noſtro uſque ad ejus obitum, niſi de ipſis per eum fuerit ordinatum, & deinde uſque ad datam præſentium apud ſedem vacaverint eandem, illaque vacare decernimus apud ipſam, dummodo in eis jus in re, licet ad rem non ſit aliquibus acquiſitum: Decernimus extunc irritum & inane, ſi ſecus in prædictis & ſingulis eorum ſcienter vel ignoranter, per quæcunque ſeu quoſcunque Apoſtolica vel alia quavis auctoritate attentatum fuerit, vel contigerit in poſterum attentari: Non obſtantibus piæ memoriæ Gregorii decimi, ac Bonifacii octavi, & aliorum Romanorum Pontificum prædeceſſorum noſtrorum conſtitutionibus ſuper hoc editis: quatenus edicto eſſent & ſunt contrariæ memorato. Cæteris in ipſis conſtitutionibus contentis, in ſuo robore duraturis. Penſiones inſuper annuas ab Epiſcopis & eorum ſuperioribus aliiſque Prælatis inferioribus, necnon quibuſcunque Capellanis, Conventibus, collegiis, vel ſingularibus perſonis factas & faciendas perſonaliter aliquibus ex eiſdem Cardinalibus, ſeu quibuſvis aliis ex præнominatis perſonis, & penſiones præterea ſeu aſſignationes quantitatum quarumlibet ſuper certis Provinciis, diœceſibus, Eccleſiis, Monaſteriis, vel aliis Eccleſiaſticis locis aut ordinibus, etiam a quibuſvis prædeceſſoribus noſtris Romanis Pontificibus factas præmiſſis perſonis: ſive alicui earundem, vel monaſteria, Prioratus, adminiſtrationes quaslibet, beneficia regularia, vel alia quælibet quocunque nomine cenſeantur, non conſueta ab olim Clericis ſecularibus aſſignari, hujuſmodi perſonis vel alicui earundem collata, ſive conceſſa in commendam, vel alio quovis titulo ab eiſdem prædeceſſoribus ſeu aliis Epiſcopis, vel ſuperioribus Prælatis, Capitulis, aut Conventibus, vel collegiis ſub edicto prædicto nolumus aliquatenus comprehendi: quo minus eis cedentibus vel decedentibus, ſive illis quovis alio modo dimittentibus, monaſteria ipſa, Prioratus, adminiſtrationes, beneficia, ac loca hujuſ-

modi

modi, ad Eccleſias & monaſteria, ſive alia loca religioſa, vel alia Eccleſiaſtica, eorumque Prælatos, ſive perſonas, ad quas antea eorum diſpoſitio pertinebat, ſeu quibus immediate ſubeſſe noſcuntur, libere revertantur: niſi eis quid canonicum obſtiterit, vel de ipſis aliter duxerimus diſponendum.

## TITULUS IV.
## DE AUCTORITATE ET USU PALLII.
### CAP. UNIC.

*Pallii traditio per objectum criminis vel defectus retardari non debet, niſi objiciens præmiſſo juramento de objectis promptam fidem faciat. Et quod ſit promptam fidem facere declarat.*

Joannes XXII. (*an.* 1318. *Avenioni.*)

MAlitiis hominum, quæ ſæpe circa impediendam palli dationem committuntur, volentes ſalubriter obviare, hac in perpetuum valitura conſtitutione ſancimus, ut deinceps per objectum cujuſvis criminis ſeu defectus traditio pallii, facienda his, qui ad Metropolitanarum Eccleſiarum, ſeu aliarum regimen aſſumuntur, non impediatur in aliquo nec retardetur, niſi objicientes firment corporali præſtito juramento, ſe id malitioſe non agere, ſed objecta vera eſſe ſe credere, ac de objectis offerant facere promptam fidem: & nihilominus ad pœnam talionis, ſeu extraordinariam ſe obligent arbitrio præſidentis. Promptam vero fidem intelligimus in hoc caſu, ſi intra bimeſtris temporis ſpatium numerandum a die collationis in antea, probaverint legitime, quod opponunt. Quod ſi non fecerint, eorum objectibus nequaquam obſtantibus, ad ipſius traditionem pallii procedatur. Per traditionem hujuſmodi, viæ accuſationis, denunciationis, vel inquiſitionis, nullum volumus præjudicium generari.

## TITULUS V.
## DE OFFICIO CUSTODIS.
### CAP. UN.

*In religioſorum mendicantium conventibus plures campanæ eſſe non poſſunt ſine ſpeciali Papæ licentia: plures autem campanulas in refectoriis, capitulis & alibi, licite poſſunt ipſi religioſi mendicantes habere.* h. d. Et eſt extravagans notabilis: & quia pulſare campanas eſt cuſtodis officium, ut patet eod. tit. c. 1. in ant. ideo hic non abs re collocata eſt.

Joannes XXII (*an.* 1323. *Avenioni.*

QUia cunctos orthodoxæ fidei profeſſores, & viros præſertim Eccleſiaſticos ſic hortamur adinvicem, & quoad alios etiam converſari, quod ex ipſorum geſtis nullius oſtendatur juſtitia, nec cuiquam ſcandali materia præparetur: Advertentes quod eo, quod nonnulli mendicantium ordinum profeſſores in nonnullis ſuis conventibus plures campanas obtinent, & in poſterum ſatagunt obtinere, cathedrales, ac Eccleſiæ aliæ ſuæ queruntur propter ea juſtitiæ detrahi, & exinde civitatibus locorum interdum afferri divinis officiis impedimentum, videturque inter ipſos litigiis & ſcandalis via aperiri. Nos præmiſſis obviare cupientes periculis, pacemque deſiderantes inter ipſos (ſine qua bene pacis auctor non colitur) obſervari: de fratrum noſtrorum conſilio hoc edicto perpetuo ordinamus, quod religioſi dictorum ordinum mendicantium in nullo conventu ſuo, ſeu loco, plures campanas habeant, ſine ſedis Apoſtolicæ licentia ſpeciali, ſed una tantummodo pro loco quolibet ſint contenti. Quod ſi forſan communitas ſeu univerſitas aliqua Eccleſiaſtica vel mundana, ſeu iidem religioſi pro illis, in aliquo ipſorum locorum campanam aliam habuerint, vel nunc habent, non illam, ſed aliam ſolam eorum ſpecialiter uſibus deputatam pulſare valeant horis diurnis & nocturnis, Miſſis & aliis conſuetis. Cæterum religioſis eiſdem permittimus, quod ubi hactenus plures campanas ſine lite & contradictione qualibet in uſus duntaxat proprios habuerint, & nunc habeant, illis etiam deinceps libere uti poſſint. Aliis quibuſcunque per eos habitis intra trium menſium ſpatium de ſuis locis ſeu campanilibus deponendis, & nullatenus iterum reponendis. Verum campanulas, quæ in Refectoriis, Sacriſtiis, Capitulis, & aliis forſan officinis religioſorum ipſorum conſueverunt haberi, ſub iſta noſtra ordinatione nolumus comprehendi. Nulli ergo, &c. Datum a Novembris, Pontificatus noſtri Anno 8.

## TITULUS VI.
## DE OFFICIO DELEGATI.
### CAP. UN.

*Litera Apoſtolica impetrata ad gratias ſeu ad lites in aliquibus civitatibus ſeu diœceſibus, dum erant integræ, non obſtante diviſione facta de ipſis in duas ſeu plures civitates ſeu diœceſis, quæ diviſio facta propter divini cultus augmentum, & populi incrementum, & etiam executores ſeu Judices earundem, habeant ſub eiſdem modo & forma illum vigorem in ſic diviſis, quem habebant in illis, dum integræ remanebant.* a

Joannes XXII. *Epiſcopus, ſervus ſervorum Dei, ad perpetuam rei memoriam.*

(*an.* 1318.)

SEdes Apoſtolica in ſuis actibus veritatem proſequens, lucem amans, libenter evitat nodoſæ ambiguitatis involucrum: Illamque ſibi ſemper in ſuis ordinationibus reſervare cautelam intendit, ut de illis ita proveniant commoda, quod aliis non immineat detrimentum. Sane pridem ad divini cultus augmentum, & ad ſalutem populi, quem in nonnullis civitatibus & diœceſibus ſic multiplicaret altiſſimus, quod in earum ſingulis ſingulorum vultus nequibat, ut deceret, unicus paſtor inſpicere, aut alias partes boni paſtoris implere: ſalubriter intendentes, in ipſis diœceſibus, quarum nonnullas in duas, & aliquas in plures diœceſes duximus dividendas, certas earum civitates ac Eccleſias ereximus cathedrales, quarum ſingulis proprias, diſtinctas & limitatas juſſimus aſſignari. Verum quoniam plures ante ordinationem ſeu diviſionem noſtram hujuſmodi tam a nobis, quam a prædeceſſoribus noſtris Romanis Pontificibus Apoſtolicas obtinuerunt literas, ſuper beneficiis Eccleſiaſticis in ipſis tunc integris diœceſibus vacaturis, quarum nonnullæ reſtant adhuc executioni mandandæ. Nos amovere volentes cujuſvis dubitationis ſcrupulum, qui circa executionem gratiarum ſuper hujuſmodi beneficiis conceſſarum poſſet forſan incidere, conſiderantes attentius, quod per ordinationem ſeu diviſionem noſtram prædictam, jus ad rem expectantibus dicta beneficia ante competens ex ratione immutari non debet, quin adeo efficax in diviſis diœceſibus maneat, ſicut in ipſis quondam integris: auctoritate præſentium declaramus, quod omnes & ſingulæ gratiæ, ſuper beneficiis vacaturis ante diviſionem hujuſmodi in ipſis quondam integris diœceſibus a nobis vel prædictis prædeceſſoribus noſtris perſonis quibuſcunque conceſſæ, tam in ipſis nunc diviſis, quam in aliis diœceſibus deciſis ab illis, eiſdem modo & forma poſſint ſuo ordine per executores demandatos, & alios, ad quos id pertinebit, ad debitam executionem adduci, quibus ante diviſiones ſæpefatas poterant, & debebant. Idem etiam declaramus quoad literas Apoſtolicas juſtitiam continentes, ut videlicet Judices dati per illas in cauſis quarumlibet perſonarum, quæ nunc de eiſdem diœceſibus diviſis exiſtunt, poſſint

a *Hæc extravagans habetur inter XX. Joan. XXII. ſub tit. de conceſſ. præb. cum gl. domini Zenzelini.*

UNED

poſſint juxta earum tenorem perinde procedere, ac ſi dictæ diœceſes, de quibus mentio in eiſdem literis habetur, integræ remanſiſſent. Non ulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam noſtræ declarationis infringere, vel ei auſu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præſumpſerit, indignationem omnipotentis Dei, & beatorum Petri & Pauli Apoſtolorum ejus ſe noverit incurſurum. Datum Avenion. 3. Cal. Novembr. Pontificatus noſtri Anno 2.

## *TITULUS VII.*
## DE OFFICIO JUDICIS ORDINARII.

### CAP. I.

*Epiſcopus monaſterium viſitans non tenetur accipere Monachos illius monaſterii pro tabellionibus, etiamſi hoc haberet conſuetudo: nec in actu viſitationis debet eſſe ſolus, ſed duos vel tres Clericos cum Notario, qui ſimiliter ſit Clericus ſecum aſſumat.* h. d.

Bonifacius VIII. ( *an. 1301. in Latio.* )

DEbent ſuperioribus ſuis reverentiam ſubditi: & dum ſalubriter ab eis pro culpis correctionem velut curantium medicamenta recipiunt, obedientiam exhibere tenentur. Rurſus oportet Præpoſitos cum charitate a corrigere: decet eos inferre humiliter, quod docent, & paterna ſubjectos dilectione fovere. Sic debitor declinatus effugitur, ſic onerosus creditor minime reperitur. Sane dudum venerabili fratre noſtro A. Epiſcopo Dulmen. ad viſitandum Capitulum ſuæ Eccleſiæ Dulmen. quæ regularis ordinis ſancti Benedicti fore noſcitur, deſcendente, Prior & Capitulum ipſius Eccleſiæ excipientes, quod de conſuetudine erat Eccleſiæ ſupradictæ, a tempore, cujus non erat memoria, inconcuſſe ſervata, quod Epiſcopi Dulmen. qui fuerunt pro tempore, per ſe ſolos abſque aliis religioſis ſibi adjunctis, vel Clericis, vel Laicis ſecularibus quibuſcunque, aſſumptis ſibi loco Notarii Monacho, ſeu Monachis Capituli memorati, viſitationem ſuam hactenus præfato impenderunt Capitulo, ſupplicarunt eidem Epiſcopo, ut omnes tam Clericos, quam Laicos, religioſos & ſeculares (antequam viſitationem actualiter exerceret) a Capitulo præciperet amoveri: quibus amotis, parati erant ipſum admittere ad viſitationem hujuſmodi peragendam. Et quia dictus Epiſcopus eos ſuper hoc non audivit, quanquam proteſtaretur ſe velle omnes Clericos ſuos, & alios (præter tres, vel quatuor, & Notarium) removere, & ſic ſuam viſitationem incipere & complere, idem Prior & Capitulum ad ſedem Apoſtolicam appellarunt. Propoſito itaque hujuſmodi negotio coram nobis, & auditis, & intellectis, quæ partes dicere voluerunt: nos conſiderantes, quod conſuetudo prædicta contra communem utilitatem, facultatem probationum (quæ non eſt anguſtanda) reſtringit, propter quod etiam, ut ſalva ſcilicet ſit rerum probatio, quia publice intereſt, ne veritas occultetur, cautum eſt jure, ut curent magiſtratus teſtari, id eſt, teſtificari volentibus, ſeipſos, & alios teſtes, vel ſignatores præbere. Et ſtatuit generale Concilium, ut a Judicibus adhibeatur perſona publica, vel duo viri idonei, qui acta conſcribant. Quos quidem Monachos ad prædicta, tum propter eorum profeſſionem, quæ illorum vocem facit funeſtam, & ipſos arcet a judiciis, & publicis ſive civilis actibus, nec patitur (prout conſtitutio novella declarat) niſi in inquiſitionis hæreticæ pravitatis cauſa, tabellionis (cujus vicem in hac parte duo viri per ſupradictum Concilium obtinent) officium exercere: tum quia ſuſpecti nec contra Priorem, aut Capitulum, quibus ſubjunt, quæ corrigenda invenirentur, fideliter & recte conſcriberent, conſtat non eſſe idoneos. Attendentes quoque, quod id Epiſcopali non modicum detrahit dignitati, ſi ab Epiſcopo, qui dignitatem propriam ſuo ingenio augere debet, comites honoris ſui cauſa adhibiti abducantur, ſeque ſolum ſuſpectis quandoque, forſitan quos viſitat, committere compellatur: Dictam conſuetudinem, per quam prælibati Prior & Capitulum videntur nimium delicati, tanquam non rationabilem reprobamus. Sed ne ſit Epiſcopus oneroſus, decernimus, noſtrorum prædeceſſorum veſtigiis inhærentes, ut cum ad viſitationem de cætero faciendam in Eccleſia memorata deſcenderit, in viſitationis actu duas vel tres honeſtas perſonas Clericali charactere inſignitas, quarum una ad minus ſit religioſa ordinis ſupradicti, & unum Notarium Clericum ſecum habeat, & non plures: Conſuetudine aliqua obtenta, & compoſitione qualibet inter partes ipſas ſuper hoc in contrarium facta hactenus, non obſtante. Nulli ergo liceat hanc paginam noſtrarum reprobationis, conſtitutionis, &c. Datum Anag. X. Calend. Auguſti, Pontificatus noſtri Anno 8.

### CAP. II.

*Beneficia plura incompatibilia obtinens ſine diſpenſatione, debet illa præter ultimum in manu ordinarii intra duos menſes dimittere: alias pœnas incurrit hic poſitas. Et debet Ordinarius talis plura beneficia obtinentes compellere ad oſtendendam diſpenſationem: quod ſi non fecerit, ab ingreſſu Eccleſiæ ſuſpenditur. Vide cap. Ordinariis eod. tit. lib. 6. quod ſi diligenter notetur, hæc extravagans ſub hoc tit. recte collata dicetur.*

Joannes XXII. ( *an. 1318. Avenioni.* )

UT a quos virtutis amor a vitio ambitionis execrandæ, & avaritiæ cæcitate non retrahit, ſaltem rigor coerceat diſciplinæ: Statuimus, ut quicunque plures dignitates, vel perſonatus, aut parochiales Eccleſias, aut dignitatem, vel perſonatum cum alio beneficio curam animarum habente, ſimul ſine diſpenſatione canonica detinens, illa omnia & ſingula (illo duntaxat excepto, quod ultimo receperit, quod poſſit, ſi tamen in eo ex collatione canonica jus ſibi competat, retinere) intra duos menſes a die notitiæ hujuſmodi noſtræ conſtitutionis continue numerandos, efficaciter verbo & facto, abſque fraude aliqua in manu Ordinarii dimittere teneatur, per eum, vel per eos, ad quem, vel ad quos eorum diſpoſitio ſpectabit, ea vice libere diſponenda. Quod ſi non fecerit, etiam illo ſit ipſo jure privatus, in quo jus competebat eidem; & inhabilis ad quæcunque beneficia obtinenda penitus cenſeatur. Qui vero deinceps receperit dignitatem, vel perſonatum, aut beneficium curam habens animarum annexam, ſi prius ſimile beneficium obtinebat, primum, quo poſtquam ſecundi poſſeſſionem habuerit, vel per eum (omni dolo & fraude ceſſantibus) quo minus habeat, ſteterit, privatus noſcitur ipſo jure, abſque moræ diſpendio in manu Ordinarii omnino ſimiliter dimittere teneatur, per eum vel eos, ad quem ſeu quos collatio ſeu ordinatio ſpectaverit, diſponendum: quod niſi fecerit, extunc ſecundo ſit ipſo jure privatus, & inhabilis ad ſacros ordines, & ad quodcunque beneficium Eccleſiaſticum obtinendum. Ut autem præmiſſorum fructus facilius ſubſequatur, omnibus & ſingulis Ordinariis in virtute ſanctæ obedientiæ, & ſub pœna ſuſpenſionis ab ingreſſu Eccleſiæ, quam eos (ſi in exequendis ſubſequentibus negligentes fuerint) incurrere volumus ipſo facto, diſtricte præcipimus & mandamus, ut ſub certa & formidabili pœna eorum arbitrio infligenda, ſubditis ſuis plures dignitates & perſonatus aut Eccleſias, quibus cura imminet animarum, aut dignitatem vel perſonatum cum alio beneficio, cui cura ſimilis ſit annexa, obtinentibus, injungere debeant, quod

a Vide Conc. Trid. ſeſſ. 13. de reform. c. 1.

a Vide Concil Trid. ſeſſ. 7. de reform. cap. 2. & 4. & ſeſſ. 24. de reform. c. 17.

quod diſpenſationes, auctoritate quarum hujuſmodi Eccleſias, perſonatus, vel dignitates obtinent, ſi quas habent, necnon & titulos Eccleſiarum, dignitatum vel perſonatuum eorundem, intra tempus pro facti qualitate ipſorum ordinariorum moderandum arbitrio, ordinariis ipſis, vel iis, quem vel quos ad hoc dixerint deputandos, exhibere procurent: De proceſſibus habendis ſuper his exhibitis, propoſitis & productis, redditurí abſque moræ diſpendio per ſcripta publica conficienda ſuper his eadem Apoſtolicam certiorem.

## *TITULUS VIII.*
## DE MAJORITATE ET OBEDIENTIA.
### CAP. I.

*Omnes Chriſti fideles de neceſſitate ſalutis ſubſunt Romano Pontifici, qui utrumque gladium habet, & omnes judicat, a nemine autem judicatur. Hæc tamen extravagans Regem Franciæ & regnicolas non amplius ſubjicit Eccleſiæ Romanæ, quam prius erant: ut patet inf. de privileg. meruit.*

Bonifacius VIII. ( *an.* 1302. *Romæ.* )

UNam ſanctam Eccleſiam catholicam & ipſam Apoſtolicam urgente fide credere cogimur & tenere. Noſque hanc firmiter credimus & ſimpliciter confitemur: extra quam nec ſalus eſt, nec remiſſio peccatorum, Sponſo in Canticis *a* proclamante: *Una eſt columba mea, perfecta mea. Una eſt matri ſuæ, electa genitrici ſuæ*: quæ unum corpus myſticum repræſentat, cujus caput Chriſtus: Chriſti vero Deus. In qua unus Dominus, una Fides, unum Baptiſma. Una nempe fuit diluvii tempore arca Noe, unam Eccleſiam præfigurans, quæ in uno cubito conſummata, unum ( Noe videlicet ) gubernatorem habuit & Rectorem, extra quam omnia ſubſiſtentia ſuper terram legimus fuiſſe deleta. Hanc autem veneramur & unicam, dicente Domino in *b* Propheta: *Erue a framea Deus animam meam, & de manu canis unicam meam*: Pro anima enim, id eſt, pro ſe ipſo, capite ſimul oravit & corpore: quod corpus unicam ſcilicet Eccleſiam nominavit, propter ſponſi, fidei, ſacramentorum & charitatis Eccleſiæ unitatem. Hæc eſt tunica *c* illa Domini inconſutilis, quæ ſciſſa non fuit, ſorte provenit. Igitur Eccleſiæ unius & unicæ, unum corpus, unum caput, non duo Capita, quaſi monſtrum, Chriſtus videlicet & Chriſti vicarius Petrus, Petrique ſucceſſor, dicente Domino ipſo Petro, *Paſce d oves meas*, meas, inquit, & generaliter, non ſingulariter has vel illas, per quod commiſiſſe ſibi intelligitur univerſas. Sive ergo Græci ſive alii ſe dicant Petro ejuſque ſucceſſoribus non eſſe commiſſos, fateantur neceſſe ſe de ovibus Chriſti non eſſe: dicente Domino in Joanne: Unum *e* ovile & unicum eſſe paſtorem. In hac ejuſque poteſtate duos eſſe gladios, ſpiritualem videlicet & temporalem, Evangelicis dictis inſtruimur. Nam dicentibus Apoſtolis, *Ecce gladii duo hic*: in Eccleſia ſcilicet, cum Apoſtoli loquerentur, non reſpondit Dominus nimis eſſe, ſed ſatis. Certe qui in poteſtate Petri temporalem gladium eſſe negat, male verbum attendit Domini proferentis, *Converte gladium tuum f in vaginam*. Uterque ergo eſt in poteſtate Eccleſiæ, ſpiritualis ſcilicet gladius & materialis. Sed is quidem pro Eccleſia, ille vero ab Eccleſia exercendus. Ille Sacerdotibus, is manu Regum & militum, ſed ad nutum & patientiam Sacerdotis. Oportet autem gladium eſſe ſub gladio, & temporalem auctoritatem ſpirituali ſubjici poteſtati. Nam cum dicat Apoſtolus: *Non g eſt poteſtas niſi a Deo: quæ autem ſunt, a Deo ordinatæ ſunt*: Non autem ordinatæ eſſent, niſi gladius eſſet ſub gladio, tanquam inferior reduceretur per alium in ſuprema. Nam ſecundum B. Dionyſium, Lex divinitatis eſt, infima per media in ſuprema reduci. Non ergo ſecundum ordinem univerſi omnia æque ac immediate, ſed infima per media & inferiora per ſuperiora ad ordinem redecuntur. Spiritualem autem & dignitate & nobilitate terrenam quamlibet præcellere poteſtatem, oportet tanto clarius nos fateri, quanto ſpiritualia temporalia antecellunt. Quod etiam ex decimarum donatione, & benedictione, & ſanctificatione, ex ipſius poteſtatis acceptione, ex ipſarum rerum gubernatione claris oculis intuemur. Nam veritate teſtante, ſpiritalis poteſtas terrenam poteſtatem inſtituere habet, & judicare, ſi bona non fuerit: ſic de Eccleſia & Eccleſiaſtica poteſtate verificatur vaticinium Hieremiæ: *Ecce a conſtitui te hodie ſuper gentes & regna*: & cætera, quæ ſequuntur. Ergo ſi deviat terrena poteſtas, judicabitur a poteſtate ſpiritali: ſed ſi deviat ſpiritalis minor, a ſuo ſuperiori: Si vero ſuprema, a ſolo Deo, non ab homine poterit judicari: reſtante Apoſtolo: *Spiritalis b homo judicat omnia, ipſe autem a nemine judicatur*. Eſt autem hæc auctoritas ( & ſi date ſit homini, & exerceatur per hominem ) non humana, ſed potius divina ore divino Petro data, ſibique ſuiſque ſucceſſoribus in ipſo quem confeſſus fuit petra firmata: dicente Domino ipſi Petro: *Quodcunque ligaveris* c, *&c.* Quicunque igitur huic poteſtati a Deo ſic ordinatæ reſiſtit, Dei ordinationi reſiſtit, niſi duo ( ſicut Manichæus fingat eſſe principia, quod falſum & hæreticum judicamus: quia teſtante *d* Moyſe, non in principiis, ſed in principio cœlum Deus creavit & terram. Porro ſubeſſe Romano Pontifici omni *e* humanæ creaturæ declaramus, dicimus, definimus & pronunciamus omnino eſſe de neceſſitate ſalutis. Dat. Laterani, Pontificatus noſtri Anno 8.

### CAP. II.

*Prælati non diſcurrant, præſertim habitu transformato: qui ſi ad curiam venerint, inde recedere non debent, ſine Papæ licentia: alias ipſi & receptantes illos excommunicati ſunt.*

Joannes XXII. ( *an.* 1318 *Avenioni.* )

UT Prælatorum inepta diſcurſibus gravitas & ſimplicitas ſimulationibus obvia, & ipſorum ad Chriſti vicarium indevotio, religioſitati quippe contraria, non immerito arguenda, cum reverentiam illorum ſanctitas, lucem puritas, firmoſque maturitas poſcat greſſus, ut ſint vita mundi, fama clari, proficuique reddantur exemplo. Verum quia ipſorum quorundam ( ut fide dignorum habet aſſertio ) eo vana prorupit interdum, ne dixerimus, perniciosa temeritas ( quod veſtibus ſpiritalis ſanctitatis abjectis, diſſimulato habitu ) ad remotas a ſuis ſedibus partes ſe transferunt. Quinimo ad ſedem Apoſtolicam clanculo, nobis non viſis, nec inſinuato *f* quod venerint, veniſſe, latitaſſe, diſceſſiſſeque dicantur: nos ne tacentibus nobis non præciſus hujuſmodi morbus invaleat, dum providum creditur, quod incautum, licitum, quod impune: Omnibus Epiſcopis, ſuperioribuſque Prælatis ſub obteſtatione divini judicii inhibemus, ne abſque rationabili cauſa, timoris forte vel alia, extra ſuarum civitatis & diœceſis ac Provinciarum ( mutatis habitibus ) limites indiſcrete diſcurrant. Inhibemus etiam, ne qui Epiſcoporum & ſuperiorum ipſorum latenter ( præſertim habitu transformato ) venientes ad curiam, de ipſa ( Romani Pontificis non præſentati conſpectibus, vel ſaltem ab eo recedendi licentia non obtenta ) recedant. Si qui vero Epiſcoporum & ſuperiorum hujuſmodi noſtræ inhibitionis contradictores extiterint, & abſque ipſius Romani Pontificis recedendi licentia conceſſa, eoque non viſo, receſſerint ab eadem, necnon ſi qui ſcienter receptaverunt antedictos, niſi id conſe-

a *Cantic.* 6. b *Pſal.* 21. c *Joan.* 19. d *Joan.* 21. e *Joan.* 10. f *Matth.* 26. g *Rom.* 11.

a *Hierem.* 1. b 1. *Cor.* 1. c *Matth.* 16. d *Gen.* 1. e *Alias ita, omnem humanam creaturam.* f *Alias, intimato.*

confeſtim eidem Romano Pontifici, vel alicui, per quem hoc ipſum ad ejus crediderint deduci notitiam, manifeſtare curaverint (etiamſi Epiſcopali, Archiepiſcopali, Patriarchali vel quavis alia dignitate præfulgeant) eos excommunicationis ſententia innodamus.

## CAP. III.

*Prælati ad curiam non debent more noctuæ latenter venire, nec inde ſine papali licentia recedere: alias infideles judicantur, & ſententia excommunicationis ligantur.*

Joannes XXII. (*an.* 1318.)

ETſi deceat quoslibet ſubditorum curam exercere ſolicite, & per omnia velut lucis filios ambulare: hoc tamen præcipue ab ipſis exigitur, qui conſtituti per altitudinem dignitatis, ut in ſpecula, circa commiſſas ſibi plebes paſtorum ſimul & cuſtodum partes implere tenentur, & coram ipſis laudabilium operum exemplo lucere. Ad noſtrum ſane pervenit auditum, quod nonnulli pontificali præditi dignitate, gregum ſuorum cuſtodiam negligentes, & abhorrentes lucem, tanquam filii tenebrarum, non verentur ſe ab ovium ſuarum cura, mercenarii more, tempore longo ſubducere, & pontificali dignitate rejecta non erubeſcunt vagari per devia ſub habitibus transformatis, ac contempto de exhibendo patribus & ſuperioribus honore præcepto, ſic abjecti & indecori interdum ad ſedem Apoſtolicam clanculo declinare præſumunt, ubi more noctuæ, cujus intuitum nox illuminat, lux excœcat, de die latentes, horis tenebrarum, quos ſuis arbitrantur confirmari deſideriis, viſitant, ſuos eiis evomentes conceptus iniquos; & couſpirationes forſan illicitas adverſus nos & alios pertractantes, & demum ab inde (non abſque notabili ſedis prædictæ contemptu) reverentia tam conſueta, quam debita, non exhibita Romano Pontifici, & nec ab ipſo petita licentia, nec obtenta recedunt. Nos igitur & ipſius ſedis honori in hac parte proſpicere, ac talium inſolentiis finem imponere cupientes, de fratrum noſtrorum conſilio, generali prohibemus edicto, ne de cætero Præſul aliquis ſine ſui ſuperioris licentia, niſi pro negotiis Eccleſiæ ſibi commiſſæ, extra ſuam diœceſim audeat pernoctare: firmiter ſtatuentes, ut quicunque Pontifex ad Romanam curiam veniens, Papale palatium primitus viſitet, ad Papam (ſi hoc patiatur temporis opportunitas) intraturus, ac reverentiam conſuetam & debitam exhibiturus eidem: nullatenus receſſurus a curia, niſi ab ipſo ſuper hoc petita licentia & obtenta Quod ſi ſecus a quoquam ſuper his fuerit attentatum, nos quoſcunque Pralatos, quamvis etiam Patriarchali dignitate fulgentes, ſic ad ſedem accedentes, & ab illa (ut prædicitur) recedentes, nec non quoslibet alios, qui tales apud ſedem ipſam receptare præſumpſerint, niſi ante receptionem hujuſmodi eidem Romano Pontifici ſignificaverint adventum illorum, decernimus eo ipſo notam infidelitatis incurrere, ac excommunicationis ſententiæ ſubjacere. Nulli ergo, &c.

---

## *TITULUS IX.*
## DE TREUGA ET PACE.
## CAP. I.

*Sixtus Papa volens diſcordiam ex pragmatica ſanctione ſubortam ſedare, ordinariis regni Franciæ ad conferenda beneficia ſex menſes concedit. Facultatem concedendi ſex gratias ſibi retinet. Beneficia Cardinalium & eorum qui Cardinalib. ſunt familiares, in regno Franciæ exiſtentia, ſuæ diſpoſitioni uſque ad certum tempus reſervat. De beneficiis promovendorum quid fieri debeat, oſtendit. Cauſas beneficiales in prima inſtantia vult in partibus terminari, in quibus ante definitivam ſententiam (niſi in uno caſu) vetat appellari. Quid de cauſis in curia pendentibus faciendum ſit, narrat. Si autem eadem cauſa in diverſis curiis, diverſis reſpectibus tractatur, quonam pacto terminanda ſit, hic recitatur. Taxas beneficiorum editas a Joanne XXII. ſervandas cenſet. Tandem tempus ponit, intra quod vult iſta acceptari, & ſervari. Scias autem quod hujuſmodi concordata, tanquam juri communi & decretis Coſtant. & Baſilienſ. contraria, non ſunt effectum ſortita.*

Sixtus IV. (*an.* 1471. *Romæ.*)

AD univerſalis Eccleſiæ regimen divina diſponente clementia vocatis, inter alia pro commiſſorum populorum votiva dilectione nil occurrit præſtantius, quam exorta inter perſonas Eccleſiaſticas (principis tenebrarum aſtutia) diſcordiarum fomenta per noſtræ ſolicitudinis occurſum protinus extinguere: ut cujuſvis altercationis ſalubriter evulſis ſeminibus, pacis & tranquillitatis dulcedinem inter creditos nobis Populos (divina nobis aſſiſtente gratia) imponere & conſervare valeamus. Cupientes itaque, ut ſuſcitata retroactis temporibus diſcordia (proh dolor) in regno Franciæ, Delphinatu, aliiſque terris & dominiis clariſſimi in Chriſto filii noſtri Ludovici Francorum Regis illuſtris, inter nonnullas ex eiſdem perſonas, occaſione cujuſdam conſtitutionis, quæ in eodem regno diutius inolevit, quam perſonæ prædictæ pragmaticam ſanctionem vocant, ne ſi (quod abſit) majora fomenta ſumeret, damna pariter & graviora ſcandala periculaque ſubſequerentur, fine debito claudatur, & totaliter ſecludatur: Auctoritate Apoſtolica ex certa ſcientia de fratrum noſtrorum conſilio omnibus & ſingulis Prælatis & aliis perſonis Eccleſiaſticis regni, Delphinatus, terrarum & dominiorum eorundem, ad quos dignitatum, aliorumque beneficiorum Eccleſiaſticorum, terrarum & dominiorum eorundem collatio, proviſio, præſentatio, electio, ſeu quævis alia diſpoſitio pertinet: de quibuſvis dignitatibus, perſonatibus, adminiſtrationibus, officiis, canonicatibus, & præbendis, necnon aliis beneficiis Eccleſiaſticis, cum cura & ſine cura, ſecularibus & regularibus, ad eorum collationem, proviſionem, præſentationem, electionem, ſeu quamvis aliam diſpoſitionem pertinentibus, quæ deinceps in Februarii, Aprilis, Junii, Auguſti, Octobris & Decembris menſibus futuris perpetuis temporibus vacare contigerit (dummodo diſpoſitioni Apoſtolicæ ex aliqua generali reſervatione in corpore juris clauſa, aut per alteram ex conſtitutionibus felicium recordationum Benedicti XII. quæ incipit, Ad regimen, aut Joannis XXII Romanorum Pontificum prædeceſſorum noſtrorum, quæ incipit, Execrabilis, ſeu conſtitutiones & regulas Cancellariæ Apoſtolicæ, per nos ſuper hoc editas reſervata generaliter non exiſtant) perinde ac ſi aliquæ a ſede Apoſtolica, vel ejus Legatis expectativæ literæ non emanaſſent, libere diſponendi facultatem concedimus per præſentes. Et quia iſti ſummi Pontifices prædeceſſores noſtri conſueverunt ſe in conceſſionibus gratiarum expectativarum a perſonis benemeritis exhibere liberales, noſtræ intentionis exiſtit concedere in regno, Delphinatu, terris & dominiis regni hujuſmodi, ultra gratias expectativas per nos in eiſdem regno, Delphinatu, terriis & dominiis conceſſas (quibus in aliquo præjudicare non intendimus per præſentes, quaſque in ſuo robore permanere volumus) ſex perſonis idoneis regnicolis, ſex alias gratias expectativas ad quamlibet collationem, proviſionem, præſentationem, ſeu quamvis aliam diſpoſitionem ſingulorum ex Prælatis & aliis perſonis prædictis. Ex quibus quidem ſex gratiis, duæ gratiæ expectativæ concedentur duobus Clericis regnicolis idoneis, pro quibus Rex ipſe, & chariſſima in Chriſto filia noſtra Regina, ac dilectus filius nobilis vir Delphinus Viennenſis, nec non Magiſtri & Præſidentes, ac alii officiarii, in aliquo ex parlamentis Regis ejuſdem regni nobis ſuper hoc unanimiter ſupplicabunt: qui duo nominati per Regem & Re-

---

a *Gratias expectativas & mandata de providendo nemini amplius concedi decrevit Conc. Trid. ſeſſ. 24. de reform. c. 19*



UNED

& Reginam, Delphinum, magiſtros, præſidentes, & officiarios præſatos, gaudeant prærogativis ad inſtar familiarium noſtrorum continuorum commenſalium. Ipſiſque ſex gratiis conſumptis, alias ſex gratias ſimiles, aliis ſex gratiis perſonis idoneis modo & forma præmiſſis concedere intendimus. Volumus autem, ac ejuſdem auctoritate & tenore præſentium decernimus & declaramus beneficia, quæ venerabilium fratrum noſtrorum ſanctæ Rom. Eccl. Cardinalium familiares continui commenſales eorum familiaritate durante in regno, Delphinatu, terris, & dominiis præfatis obtinent, & in poſterum obtinebunt, diſpoſitioni Apoſtolicæ in poſterum cenſeri reſervata, quamdiu duntaxat Cardinales præfati vitam duxerint in humanis, ac poſt obitum eorundem Cardinalium per ſex annos continue ſequentes. Quibus quidem ſex annis elapſis, alii ad quos eorundem beneficiorum collatio, proviſio, præſentatio, electio, ſeu quævis alia diſpoſitio alias pertinet, de beneficiis familiarium hujuſmodi in regno, Delphinatu, terris, & dominiis præfatis conſiſtentibus, in prædictis menſibus diſponere valeant, hujuſmodi reſervatione non obſtante. Concedimus etiam, quod beneficiorum, quæ promovendi per nos, dignitates, ſeu beneficia conſiſtorialia ipſarum proviſionum per nos de eorum perſonis faciendarum obtinebunt, ac in quibus, & ad quæ jus eis quomodolibet competit, ac competere poterit: per promotiones ad dignitates, & alia beneficia conſiſtorialia prædicta, ac munus conſecrationis eiſdem promovendis impendendum, ſeu lapſum temporis de conſecrandis Epiſcopis a ſacris canonibus definiti vacaturorum, ſi promotiones ipſæ in aliquo ex ſupradictis menſibus fiant, niſi beneficia ipſa eſſent alias diſpoſitioni Apoſtolicæ (ut præfertur) reſervata, ad prælatos & perſonas ſupradictas. Si vero in aliis menſibus promotiones eiſdem fieri contingat, ad nos & Romanos Pontifices ſucceſſores noſtros collatio, proviſio, & omnimoda diſpoſitio pertineat. Et quoniam ſedis Apoſt. Notariorum magnus reperitur numerus, eorundem Notariorum, qui habitum per ejuſdem ſedis Notarios geſtari ſolitum publice & continue geſtant, & in poſterum geſtabunt, beneficia in eiſdem regno, Delphinatu, & terris conſiſtentia, duntaxat cenſeantur reſervata: quodque [a] omnes & ſingulæ cauſæ beneficiales in partibus coram Judicibus competentibus uſque ad definitivam incluſive, in prima duntaxat inſtantia, in qua nulli ante definitivam liceat appellare, nec appellatio (ſi fuerit emiſſa) debeat admitti, niſi ab interlocutoria, vel a gravamine negotium principale minime concernente, quod non poſſit per appellationem a definitiva ſententia reparari. In aliis vero inſtantiis in Romana curia tractentur, cognoſcantur & fine debito terminentur: Cauſæ vero beneficiales pendentes in dicta curia inter noſtros, aut dictorum Cardinalium familiares continuos commenſales, ipſis Cardinalibus in eadem curia præſentibus, ſeu in aliqua legatione, aut recreationis cauſa ſecedentibus, necnon præfatæ ſedis officiales, officia actu exercentes, aut alios a premiſſis, qui per ſex menſe. curiam prædictam ſecuti ſunt, & ſequuntur de præſenti, curiales, & quoſcunque alios eorum adverſarios, ſuper quibuſvis beneficiis eiſdem adverſariis auctoritate ordinaria collatis, per illos, quibus commiſſæ reperiuntur, ſeu alios per nos ad id deputatos, ſeu etiam deputandos Judices audiantur, cognoſcantur, decidantur fineque debito terminentur, ac executioni debitæ demandentur. Cæteræ vero ſimiles cauſæ beneficiales inter quoſcunque alios pendentes, & quibuſvis Judicibus, ſeu auditoribus commiſſæ reperiantur, aliquibus Judicibus competentibus in regno Franciæ auctoritate Apoſtolica committantur audiendæ, & cognoſcendæ, decidendæ, & fine debito terminandæ, cum neceſſaria earundem cauſarum advocatione. Præterea, quia aliquæ ex ſupradictis cauſis in eadem Romana curia ſuper petitorio, & diverſis curiis ipſius regni ſuper poſſeſſorio tractantur: volumus, quod in eiſdem cauſis in diverſis curiis ſuper petitorio & poſſeſſorio unico, & eodem contextu pendentibus (ſuſpenſo petitorio, & cenſuris ſuper hoc latis) in poſſeſſorio in curiis eorundem Judicum, coram quibus cauſſæ poſſeſſorii pendeant de præſenti, procedant, cauſæque ipſæ ſuper hujuſmodi poſſeſſorio, intra biennium terminentur, & finiantur. Alioquin biennio elapſo liceat partibus ipſis procedere ſuper petitorio, & ulterius dictis cauſis expeditis ſuper poſſeſſorio, aut hujuſmodi biennio elapſo altera partium litigantium coram Judice competenti, auctoritate Apoſtolica deputato, poterit jus ſuum proſequi, ipſeque Apoſtolicus Judex intra aliud biennium cauſam in petitorio terminare teneatur. Quod ſi non fecerit, cauſa ipſa ab eo evocata, & lis penitus extincta cenſeatur. Et ſi forſan aliquis eorundem Judicum cujuſvis ſibi commiſſæ cauſæ expeditionem malitioſe prorogare aut differre præſumpſerit, excommunicationis & omnium beneficiorum ſuorum privationis pœnas ipſo facto incurrat, a qua quidem excommunicationis pœna abſolvi nequeat, niſi a nobis & ſucceſſoribus noſtris Rom. Pontificibus, præterquam in mortis articulo [a]: quodque de cætero in literis expediendis in regno Franciæ, Delphinatu, & terris, aliiſque dominiis prædictis ſerventur taxæ ſuper hoc editæ per Joan. XXII. Papam præfatum, & exceſſus, ſi qui fuerint, corrigantur. Et quia propter aſſiduas guerras & novitates, quæ continue vigent in dicto regno, prætenditur Eccleſias, dum vacant gravatas, in taxa etiam reformata in Concilio Coſtant. quæ reducta eſt ad medietatem antiquæ taxæ, quod gravatus in eadem taxa Prælatus promovendus ſolvat communia, & minuta ſervitia, quæ plures ex Gallis Annatam vocant: tantum pro vera æſtimatione fructuum Eccleſiæ & monaſterii, ad quæ ſit promotus, eaque in dicta Cancellaria, & Camera Apoſtolica inviolabiliter obſervari mandamus. Et quia in ſupradictis conceſſionibus regnum ac Regem maxima ſumus charitate complexi, credendum eſt non immerito, ut ſe devotos & obedientes erga ſanctam Romanam Eccleſ. exhibeant. Quare volumus, & eiſdem auctoritate & tenore ſtatuimus, quod præfatus Rex intra quatuor menſes præmiſſa acceptare & obſervare, ac in regno, Delphinatu & dominiis hujuſmodi obſervari facere, nec non intra alios duos præfatos quatuor immediate ſequentes menſes ſuper acceptatione & obſervatione, aliiſque præmiſſis omnibus & ſingulis per ſuas patentes literas nos & ſedem præfatam certificare tenentur. Alioquin præſentes literæ, & inde ſecuta quæcunque ſint caſſa & irrita, nulliuſque roboris vel momenti. Nos enim extunc irritum decernimus & inane, ſi ſecus ſuper his a quoquam quavis auctoritate ſcienter vel ignoranter contigerit attentari. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam noſtrarum conceſſionis, intentionis, voluntatis, conſtitutionis, declarationis, indulti, mandati, & ſtatuti infringere, & ei auſu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præſumpſerit, indignationem omnipotentis Dei, & beatorum Petri & Pauli Apoſtolorum ejus ſe noverit incurſurum. Datum Romæ apud S. Petrum, Anno incarnationis Dominicæ 1472. ſeptimo Idus Auguſti, Pont. noſt. Anno 1.

## C A P. I I.

*Diſcordia inter religioſos mendicantes, & Eccleſiarum parochialium Rectores in partibus Germaniæ quatuor delegatis commiſſa, per eos ſub certis formis & modis in pacem & concordiam converſa fuit: quam Romanus Pont. confirmat,*

[a] *Vide Conc. Trid. ſeſſ. 24. de reform. c. 20.*

[a] *In mortis articulo nulla eſt caſuum reſervatio: atque ideo omnes Sacerdotes quoslibet pænitentes a quibuſvis peccatis & cenſuris abſolvere poſſunt. Conc. Trid. Seſſ. 14. c. 7. de caſuum reſervatione.*

*mat, præcipiens, ſub pœna excommunicationis illam a Prælatis obſervari.*

Sixtus IV. ( *an.* 1478. *Romæ.* )

Vices illius a, qui ſupra petram ædificavit Eccleſiam ſuam ( meritis licet inſufficientibus ) gerentes in terris, & per ejus immaculata veſtigia ( quantum nobis ex alto conceditur ) incedere ſatagentes, inter Chriſti fideles quoslibet: & præſertim ſub uno atque eodem Sacerdotii vexillo nobiſcum Deo militantes, pacem & charitatem inducere, & inductam conſovere, vigilanti ſolicitudine meditamur aſſidue, & quæ iis contraria ſunt, ſalte vigilantiæ paſtoralis ad radicem poſita ſubmovere, prout rerum & temporum circumſtantiæ id non immerito expoſcere dignoſcuntur. Nuper ſiquidem pro parte tam venerabilium fratrum noſtrorum Moguntinen. & Treveren. Archiepiſcoporum, ac Herbipol. & VVormacien. & Spiren. Epiſcoporum, quam dilecti filii nobilis viri Philippi Comitis Palatini Rheni, & Ducis Bavariæ, qui unus ex Electoribus Romani Imperii exiſtit, ad noſtrum pervenit auditum, quod inter dilectos filios Prædicatorum, Minorum, & Carmelitarum ordinum Profeſſores, & nonnullos parochialium Rectores, & alios etiam Eccleſiarum Prælatos, inſtigante illo, qui tanquam leo rugiens circuit, quærens quem devoret, in partibus Germaniæ, & præſertim in oppido Eslingen. Conſtan. diœceſ. ſuſcitata ſunt nonnulla diſſenſionum & ſcandalorum fomenta, ex certis cauſis tunc nobis expreſſis, quæ niſi per vigilantiam paſtoralis officii celeriter ſuccidantur, poſſent ad ſcandalum non modicum Chriſti fidelium illarum partium faciliter pervenire. Nos igitur attendentes, quod ſacroſancta Rom. Eccleſia, ab ejus fundatione primæva in ordine ſacerdotali, quem Petrus Apoſtolus, & ejus ſucceſſores obſervarunt, inſtituta, & per viros providos & Sacerdotes virtuoſos adaucta, & longiſſimis temporibus feliciter conſervata extitit: Rurſuſque animadvertentes, quod hodiernis temporibus hominum creſcente malitia, niſi ager Dominicus cultoribus idoneis, buccinatoribus Spiritus Sancti, & præconibus verbi Dei ( qui præter cæteros in ordinibus fratrum mendicantium gratia aſſiſtente divina in copioſo numero reperiuntur ) aſſidue coleretur, vepribus malorum & ſentibus vitiorum omnium celeriter obrueretur: non potuimus non ab intimis cordis noſtri dolere, quod inter tales viros, qui ſe mutua charitate diligere, & alter alterius ( juxta Apoſtolum b ) onera portare deberent, diſcordiæ ſeminarium excitaretur. Unde cum vellemus ſuper his, ea qua decet maturitate conſulere, venerabilibus fratribus noſtris Guilielmo Hoſtienſi, & Angelo Præneſtinen. Epiſcopis, & dilectis filiis noſtris Juliano tituli S. Petri ad Vincula, ac Petro tituli S. Sexti Presbyteris Cardinalibus, vivæ vocis oraculo commiſimus & mandavimus, ut a ſingulis partibus prædictis, vel eorum procuratoribus legitimis, auditis hincinde propoſitis inter eas concordiam tractarent. Qui quidem Epiſcopi & Cardinales ſtatutis loco & tempore convocatis, auditis & intellectis partibus prædictis ( ut præfertur ) & in præmiſſis graviter & conſulte procedentes, partes ipſas de communi earundem conſenſu ad concordiam infraſcriptam perduxerunt: Videlicet. quod ipſi parochiani Sacerdotes decætero non dicant a mendicantibus hæreſes proceſſiſſe, cum in veritates fides noſtra ſit illuminata, & Eccleſia exaltata per eoſdem, & præſertim per ordines Prædicatorum & Minorum, ut jura teſtantur. Quodque fratres mendicantes non prædicent, populos parochianos non teneri audire Miſſam in eorum parochiis diebus feſtivis & Dominicis, cum jure ſit cautum illis diebus parochianos teneri audire Miſſam in eorum parochiali Eccleſia, niſi forſan ex honeſta cauſa ab ipſa Eccleſia ſe abſentarent: quodque etiam nec fratres, nec curati inducant aliquo modo Laicos ad eligendum ſepulturam apud eos, & bene caveant propter pœnas, quas imponunt canones, cum ſit libera. Quod etiam ipſi mendicantes deſiſtant prædicare, quod parochiani non ſint obbligati, ſaltem in paſchate proprio confiteri Sacerdoti: quia de jure a tenetur parochianus ſaltem in paſchate proprio confiteri Sacerdoti. Per hoc tamen ipſi fratres mendicantes non cenſeantur excluſi, quo minus ſecundum juris communis & privilegiorum eiſdem conceſſorum diſpoſitionem, confeſſiones audire, & pœnitentias injungere valeant. Quod etiam de cætero inter ipſos fratres mendicantes & curatos, quoad effectum prædicandi, horas cantandi, & campanas pulſandi, ſervetur conſuetudo antiqua, quæ temporibus antiquis ſervata fuit in ipſo oppido Eslingenſi. Et caſu, quo veniat aliqua occaſio ſive neceſſitas, non fiat commutatio temporis, vel horæ, in ipſis prædicationibus fiendis, niſi de conſenſu partium. Quodque etiam ipſi fratres in ſermonibus eorum non detrahant Prælatis, & Rectoribus parochialium Eccleſiarum: Nec etiam populos a ſuarum Eccleſiarum parochialium frequentia & acceſſu abſtrahant, ſive retrahant quoquo modo. Et viceverſa ipſi Rectores & Prælati aliquo modo non detrahant mendicantibus, ſed illum favorem, quem poſſunt, eis impendant, & in omnibus & per omnia præſtent, ita ut vera unitas & perfecta charitas inter eos oſtendatur. Nos itaque illius vices gerentes in terris, qui Apoſtolis ſuis dixit b: *Pacem meam do vobis, pacem meam relinquo vobis*: cupientes ſuper his opportune provideri, motu proprio, non ad alicujus ſuper hoc nobis oblatæ petitionis inſtantiam, ſed de noſtra certa ſcientia & mera voluntate, concordiam prædictam ac omnia & ſingula per præfatos Epiſcopos & Cardinales ordinata, ad hoc, ut perpetuo inconcuſſa perſiſtant, auctoritate Apoſtolica, & ex certa noſtra ſcientia approbamus, & confirmamus, ac viribus perpetuo ſubſiſtere debere decernimus. Supplentes omnes & ſingulos defectus, tam juris, quam facti, ſi qui forſan intervenerunt in eiſdem. Injungentes nihilominus Archiepiſcopis, Epiſcopis, Plebanis, Rectoribus, Curatis, necnon Prioribus, Guardianis, & ſingulis fratribus, ordinum mendicantium, ſub pœna excomunicationis latæ ſententiæ, quam contra facientes & quemlibet eorum contra facientem incurrere volumus eo ipſo: a qua abſolvi nequeant, niſi de expreſſo conſenſu partis læſæ, & debita ſatisfactione prævia, inviolabiliter obſervent, & quantum in eis eſt, ab aliis obſervari faciant. Et inſuper quaſcunque lites & cauſas, coram quibuſcunque cauſarum palatii Apoſtolici auditoribus, ſeu alibi, occaſione præmiſſorum, inter dilectos filios Decanum & Capitulum Eccleſiæ Spiren. & curatum dicti oppidi, ac fratres prædictos indeciſas pendentes, illarum ſtatus, tenores, & formas, & in eis geſta & actitata, præſentibus pro expreſſis habentes, ad nos harum ſerie, motu, ſcientia & auctoritate prædictis advocamus, & litem, ſeu lites ipſas penitus extinguimus: Et ambabus partibus prædictis litis hujuſmodi conſortibus, ſeu illis adhærentibus, perpetuum ſilentium imponimus: Non obſtantibus conſtitutionibus & ordinationibus Apoſtolicis, ac privilegiis eiſdem fratribus in genere vel in ſpecie conceſſis, cæteriſque contrariis quibuſcunque. Nulli ergo, &c. Datum Romæ apud S. Petrum, Anno incarnationis Dominicæ 1478. XV. Cal. Julii, Pontif. noſtr. Anno 7.

a *Matth.* 16. b *Gal.* 16

a *Cap. omnis utriuſque ſexus, de pœn. & remiſſ.* b *Joan.* 14.

FINIS LIBRI PRIMI S.

# EXTRAVAGANTIUM

## COMMUNIUM

## LIBER SECUNDUS.

### *TITULUS I.*

### DE JUDICIIS.

### CAP. UN.

*Decretalem, Super cathedram, quæ eſt in Clem. in cap. Dudum. innovata, jubet obſervari: neque propter illam debent religioſi mendicantes eſſe moleſti & graves Prælatis, neque Prælati ipſis religioſis. Et ſi ſint aliqua injuria, vel moleſtationes hinc inde facta, Papa vult juſtitiæ complementum breviter exhiberi, ſummario, ſimpliciter & de plano, ſine ſtrepitu & figura judicii, vel aliter, prout qualitas exceſſuum exigit: Non obſtantibus quibuſcunque obſtaculis, quæ poſſent his obviare.*

Joannes XXII. (*an.* 1327. *Avenioni.*)

FRequentes imo innumeroſæ quodammodo de diverſis mundi partibus venerabilium fratrum noſtrorum Epiſcoporum, aliorumque ſuperiorum Prælatorum, nec non dilectorum filiorum, Rectorum, curatorum, & parochialium Sacerdotum querelæ, contra dilectos filios fratres Prædicatorum & Minorum ordinum noſtrum & ſedis Apoſtolicæ excitarunt auditum, & clamoroſis inſinuationibus excitare & fatigare non ceſſant, quod iidem fratres decretalem, Dudum. editam a felicis recordationis Boniſac. Papa VIII. præd. noſt. quæ incipit, Super cathedram. ac per piæ memor. Clem. Papam V. prædec. noſt. in Vienenſi Conc. innovatam temere obſervare non curant: ſed ipſam tranſgredi non timentes, in ejuſdem ſedis contemptum, animarum ſuarum periculum, & earundem & Eccleſiarum parochialium præjudicium & gravamen. Intelleximus quoque, quod plerunque præfatis dictorum Prædicatorum & Minorum, nec non Eremitarum ſancti Aug. & Carmelitarum ordinum fratribus, in cujus ordinis dictorum Eremitarum perſonis idem prædeceſſor Boniſ. conſtitutionem prædictam, in qua tantum de ipſis Prædicatorum & Minorum cavebatur ordinibus, per omnia voluit poſtmodum integraliter & inconcuſſe ſervari, & ad quem prædictorum Carmelitarum fratrum ordinem, nos ſubſequenter conſtitutionem eandem, quo ad omnia in ea contenta, duximus extendendam: a prædictis Epiſcopis, Prælatis, Rectoribus, Curatis, & Sacerdotibus contra tenorem conſtitutionis prædictæ graves injuriæ atque moleſtiæ in diverſis partibus inferuntur. Nuper pro parte Vien. fratris noſtri Archiepiſcopi Burdegal. & dilectorum filiorum Capitulorum majoris Burdegal. & aliarum Eccleſiarum, Prioratuum, Conventuum, Rectorum, Curatorum, Sacerdotum, & Vicariorum parochialium, ac Clericorum, tam regularium, quam ſecularium civitatis & diœceſis prædictarum, nobis extitit intimatum, quod prædicti eorundem Prædicatorum, Minorum, Eremitarum, & Carmelitarum ordinum fratres, contra tenorem decretalis ejuſdem, multa eiſdem & eorum ſingulis gravamina & injurias inferunt & jacturas. Quia igitur parum eſſet jura concedere, niſi qui ea tueatur, exiſtat: Nos volentes de fratrum noſtrorum conſilio decretalem prædictam, Super cathedram. irrefragabiliter obſervari: Diſcret. V. per Apoſtolica ſcripta mandamus, quatenus vos, vel duo aut unus veſtrum, per vos, ſeu alium, vel alios, etiamſi ſint extra loca, in quibus eſtis conſervatores, ſeu Judices deputati, tam eiſdem Archiepiſcopo, Capitulis, Prioribus, Conventibus, Rectoribus, Curatis, Sacerdotibus, Vicariis, ac Clero civitatis, & diœceſis prædictarum, & eorum cuilibet adverſus prædictos, quam econverſo eiſdem fratribus adverſus Archiepiſcopum, Capitula, Prælatos, Priores, Conventus, Rectores, Sacerdotes, Vicarios ad Clerum, præfatos, & ſingulos eorundem efficacibus defenſionibus præſidio aſſiſtentes, ac facientes decretalem prædictam, quoad omnia ejus capitula, prout jacent, firmiter obſervari, non permittatis contra tenorem ipſius per memoratos fratres dictorum ordinum eiſdem Archieſcopis, Capitulis, Prælatis, Prioribus, Conventibus, Rectoribus, Curatis, Sacerdotibus, Vicariis ac Clero, vel alicui ſeu aliquibus eorundem, nec etiam prædictos Archiepiſcopum, Capitula, Prælatos, Conventus, Rectores, Curatos, Sacerdotes, Vicarios, ac Clerum, ſeu aliquem, vel aliquos ipſorum eiſdem fratribus gravamina, ac injurias irrogari: Facturi ipſis hincinde, de quibuſcunque injuriis moleſtationibus, gravaminibus, & damnis viciſſim illatis hactenus, & etiam in poſterum inferendis eiſdem contra tenorem conſtitutionis ejuſdem in illis videlicet, quæ judicialem requirunt indaginem, ſummarie, ſimpliciter & de plano, ſine ſtrepitu judicii & figura, in aliis vero prout qualitas ipſorum exigit, juſtitiæ complementum: Moleſtatores minores & majores hujuſmodi, necnon contradictores quoslibet & rebelles, quandocunque & quotieſcunque expedierit, per cenſuram Eccleſiaſticam appellatione poſtpoſita compeſcendo. Non obſtantibus quibuſcunque exemptionibus, ſpecialibus vel generalibus, tam fratribus & ordinibus prædictis, vel alicui, ſeu aliquibus fratrum & ordinum eorundem, quam præfatis Archiepiſcopo, Capitulis, Prælatis, Prioribus, Conventibus, Rectoribus, Curatis, Sacerdotibus, Vicariis, ac Clero, ſeu ipſorum alicui vel aliquibus, communiter vel diviſim, ſub

ſub quacunque forma vel expreſſione verborum ab eadem ſede conceſſis, ac ejuſdem Bonifacii, quo cavetur, ne aliquis extra ſuam civitatem vel diœceſim, niſi in certis exceptis caſibus, & in illis ultra diætam unam a fine ſuæ diœceſis ad judicium evocetur. Seu ne Judices, & conſervatores a ſede deputati prædicta, extra civitatem & diœceſim, in quibus deputati fuerint, contra quoſcunque procedere, ſive alii vel aliis vices ſuas committere, aut aliquos ultra unam diætam a fine diœceſis ejuſdem trahere præſumant: dummodo ultra duas diætas aliquis extra ſuam civitatem auctoritate præſentium non trahatur. Seu, quod de manifeſtis injuriis, moleſtiis, & aliis, quæ judicialem indaginem exigunt (pœnis in eos ſi ſecus egerint, & etiam id procurantes, adjectis) conſervatores ſe nullatenus intromittant, quam aliis quibuſcunque conſtitutionibus a Romano Pontifice, tam de Judicibus delegatis & conſervatoribus, quam perſonis ultra certum numerum per literas Apoſtolicas ad Judicem non vocandis, aut aliis edictis, quæ noſtræ poſſent juriſdictioni, aut poteſtati, ejuſque exercitio libere quomodolibet obviare. Seu ſi tam eiſdem fratribus, vel eorum ordinibus, aut alicui, ſeu aliquibus fratrum & ordinum prædictorum, quam Archiepiſcopo, Capitulis, Prælatis, Prioribus, Conventibus, Rectoribus, Curatis, Sacerdotibus, Vicariis, ac Clero prædictis, vel aliquibus ipſorum, ſeu quibuſvis aliis communiter vel diviſim a præfata ſede ſit indultum, quod excommunicari, ſuſpendi, vel interdici, ſeu extra vel ultra, citra vel alio quocunque modo ad judicium evocari non poſſint, per literas Apoſtolicas non facientes plenam & expreſſam, ac de verbo ad verbum de indulto hujuſmodi & de eorum perſonis, locis, hominibus, ordinibus, & nominibus propriis mentionem. Ex quibuslibet aliis indulgentiis, ſeu privilegiis dictæ ſedis generalibus vel ſpecialibus, quorumcunque tenorum exiſtant, per quæ præſentibus non expreſſa, vel totaliter non inſerta, noſtræ juriſdictionis explicatio in hac parte valeat quomodolibet impediri. Et de quibus, quorumque totis tenoribus, de verbo ad verbum ſpecialem oporteat in noſtris literis fieri mentionem. Cæterum Judicibus, ſeu conſervatoribus quibuſcunque per literas Apoſtolicas ſub quacunque alia, quam præſenti verborum forma vel expreſſione confectas, eiſdem prædictorum Prædicatorum, Minorum, Eremitarum, ac Carmelitarum ordinum fratribus, ſeu ipſis ordinibus communiter vel diviſim ſuper damnis & injuriis, & aliis quibuſcunque rebus, ſeu negotiis alias deputatis, & ſubdelegatis eorum præſentibus & futuris, auctoritate præſentium diſtrictius inhibemus: ne aliquem, ſeu aliquos auctoritate literarum papalium, prætextu ſeu occaſione quorumcunque damnorum vel injuriarum, ſive gravaminum, contra tenorem prædictæ conſtitutionis, Super cathedram, ipſis fratribus, ſeu eorum ordinibus antedictis communiter vel diviſim a quibuſcunque perſonis illatorum hactenus, & etiam inferendorum in poſterum, coram ſe alicui deinceps ad judicium vel alias quoquo modo vacare, ſeu in cauſam aliquatenus trahere præſumant. Inhibitionem hujuſmodi non ſolum ad futura, ſed etiam ad quovis modo adhuc pendentia & incœpta negotio volentes extendi: ac decernentes præfatas literas & proceſſus eorum auctoritate quacunque habitos & habendos ad damna, gravamina & injurias hujuſmodi contra tenorem dictæ conſtitutionis illata & inferenda (ut dictum eſt) deinceps aliquatenus non extendi: ac etiam irritum & inane, ſi ſecus ſuper præmiſſis per quoſcunque ſcienter vel ignoranter contigerit attentari: Vobis nihilominus injungentes, ut inhibitionem noſtram hujuſmodi ad dictorum Judicum, ſeu conſervatorum & ſubdelegatorum notitiam, de quibus vobis expedire videbitur, deducere procuretis. Inſuper volumus & auctoritate Apoſtolica decernimus, quod quilibet veſtrum proſequi valeat articulum etiam per alium inchoatum, quamvis idem inchoans nullo fuerit impedimento præpeditus canonico: quodque a data præſentium ſit vobis & unicuique veſtrum in præmiſſis omnibus & eorum ſingulis cœptis & non cœptis, præſentibus & futuris & præteritis, licitum procedere, ac ſi prædicta omnia & ſingula coram vobis cœpta fuiſſent, & juriſdictio veſtra, & cujuslibet veſtrum in prædictis omnibus & ſingulis per citationem vel modum alium legitimum perpetuata extitiſſet: conſtitutione prædicta ſuper conſervatoribus & aliis quomodolibet in contrarium edita non obſtante. Datum Avenion. X. Cal. Februarii, Pontificatus noſtri Anno II.



*TITULUS II.*

## DE DILATIONIBUS.

### CAP. UN.

*Præmiſſo eleganti exordio, oſtenſiſque periculis, quæ proveniunt ex falſorum florenorum fabricatione, citantur peremptorie fabricantes, data ſibi dilatione trium menſium, intra quos coram Papa compareant: alias contra ipſos, eorum abſentia non obſtante, procedetur prout juſtitia ſuadebit.*

Joannes XXII. (*an.* 1325. *Avenioni*)

IN delictorum diverſorum nexibus ac tenebris involutos, plerunque trahit in majorum ſcelerum præcipitium moles præponderans peccatorum: nam etſi diverſos diverſa delicta inquinent, ſunt tamen nonnulli, qui propriæ ſalutis immemores, delictis communibus & vulgaribus non contenti, ad profana & vetita prorumpentes, ſic damnata cupiditate lucrorum, ac inexhauſta eorum voragine devolvuntur, quod dummodo ſuas ingluvies, ad quas inhiant, expleant, ſe lucris illicitis, imo jacturis ſpiritalibus temere immergentes, honori Dei, & animarum ſaluti, ac ſacrorum canonum, & imperialibus edictis, & juribus communibus, capturas nefarias, & lucra illicita anteponunt. Sane jamdudum ad noſtri Apoſtolatus auditum multorum fide digna relatio ſæpius etiam repetita perduxit, & fama jam publica per facti evidentiam divulgata effecit notorium, nonnullos eſſe in Lombardiæ ſuperioris, & Marchiæ Januenſis partibus, qui licentiæ temerariæ laxatis habenis, licere ſibi præſumentes illicita, cudunt & fabricant, ſeu cudi & fabricari faciunt florenos auri, ſecundum formam, & ſignum, & coinum ad circumferentias literarum, qui in civitate Florentiæ (a tempore cujus non extat memoria) cudi & fabricari ſunt ſoliti, & cuduntur & fabricantur etiam in præſenti. Et quamvis dicti floreni ad veram florenorum de Florentia ſimilitudinem fabricati, in vero & ſolito florenorum ejuſdem civitatis pondere communiter & bonitate auri, & vero florenorum valore deficiant, ipſi tamen (ſimulata eorum effigie) perſonas utplurimum ſimplices, & quandoque etiam in hujuſmodi rebus expertas decipiunt, ipſaſque damnis rerum, & periculis perſonarum exponunt, dum pro veris florenis ipſos recipiunt: Cum etiam præterea in talibus plurimi non habeant inter florenos, & florenos tantæ ſimilitudinis peritiam diſcernendi. Nos itaque tantis & præcipue animarum periculis affectu paterno occurrere cupientes, monemus omnes & ſingulos talium præſumptores, ipſis nihilominus diſtrictius inhibentes, quatenus deinceps a cuſione & fabricatione florenorum hujuſmodi ceſſent, realiter & effectualiter reſipiſcant: Nihilominus præſentis edicti peremptorii auctoritate citantes eoſdem, ac eorum ſingulos, ſub pœna privationis

nis juris, ſi quod eis ſuper cudendis florenis competit, (quam ipſos ceſſante juſto impedimento, ſi in exequendis mandatis noſtris hujuſmodi remiſſi ſeu negligentes fuerint, incurrere volumus ipſo facto) ut intra trium menſium ſpatium a data præſentium numerandum, per ſe vel per procuratorem idoneum Apoſtolico conſpectui ſe præſentent, propoſituri, quo jure ipſis florenos competat jus cudendi, ac exhibituri privilegium, ſi quod ſuper hoc habeant, vel jus aliud ſi quod ſibi credant competere, oſtenſuri. Et nihilominus ſuper prædictis facturi & recepturi, quod juſtitia ſuadebit: Intimantes eiſdem, quod ſi non venerint, nos contra ipſos ſuper præmiſſis, & ea tangentibus procedemus, prout expedire viderimus, & ſuadebit juſtitia, ipſorum abſentia non obſtante. Ut autem hujuſmodi noſtra nuntiatio atque citatio ad communem omnium notitiam deducatur, chartam ſive membranam, citationem atque monitionem hujuſmodi continentes, in majoris Eccleſiæ Avenionenſis affigi oſtiis faciemus: Quæ proceſſum hujuſmodi ſuo quaſi ſonoro præconio, & patulo indicio publicabunt, ut prædicti moniti, & citati, & alii quicunque, qui ſua crediderint intereſſe, vel quos proceſſus ipſe contingit, nullam poſſint excuſationem prætendere, quod ad eos proceſſus hujuſmodi non pervenerit, vel quod ignoraverint eundem, cum non ſit veriſimile remanere quoad ipſos incognitum *a*, vel occultum, quod tam patenter omnibus publicatur. Datum Avenion. 6 Cal. Decemb. pontificatus noſtri Anno 9.

## *TITULUS III.*

## DE DOLO ET CONTUMACIA.

### C A P. UN.

*Citationes etiam extra dies ſolennes publice facta de mandato Papa, in audientia literarum Apoſtolicarum, vel Papali palatio affixa januis majoris Eccleſia loci, in quo Papa cum curia ſua degit, arctant citatum, ac ſi ad eum perſonaliter deveniſſent. Reſtringitur tamen hac extravagans ad illos, qui impediunt, ne ad eos poſſit citatio pervenire, vel quorum domicilium tute adiri non poteſt, ut c. 1. de jud. in Clem.*

Boniſacius VIII. (*an.* 1301. *Roma.*)

REm non novam aggredimur, neque viam inſolitam ambulamus, ſed anterioris juris calcatam veſtigiis, præſentis conſtitutionis indubitato roboramus ſuffragio, & inconcuſſo munimine ſtabilimus Et ſiquidem jam ſancitum, quod propoſitum publicæ citationis edictum eum arctet, qui impedit, aut facit etiam ſe celando, ne ad eum poſſit pervenire citatio, appareatque contumax, qui ſic agit. Quodque in albo Prætoris hujuſmodi edicta propoſita ſuæ juriſdictioni ſubjectos arceant *a*, & adſtringant magis quam ſi voce præconia (quæ innoteſcit paucis) vel literis citarentur. Jus enim, quod talem modum citationibus propoſuit, violenter præſumpſiſſe credendum eſt, ut quæ in eodem albo tot ipſius albi publicum locum frequentantium oculis paterent legenda, ad citati notitiam devenirent. Unde ad præbendam omnibus eorum, quæ ſanciuntur plenam lectionem & notionem mandatur legem tabulis aut lapidibus ſculptum, ſanctiſſimæ Eccleſiæ deſcribi porticibus & affigi. Præmiſſis igitur in debitam conſiderationem deductis, ac in lance irrefragabilis rationis appenſis: nos qui univerſis (diſponente Domino) præeſſe dignoſcimur, volentes per hanc novellam conſtitutionem aliquid circa prædicta ſtatuta expreſſius inveniri, declaramus de fratrum noſtrorum conſilio, & nihilominus hoc edicto perpetuo valituro firmamus, & ſtatuimus, ut citationes auctoritate Apoſtolica de quibuſcunque perſonis undecunque & ubicunque ſint, cujuſcunque ſtatus, dignitatis vel præeminentiæ, Eccleſiaſticæ vel mundanæ, etiamſi imperiali vel regali fulgeant dignitate, præſertim ſi impediant, vel faciant per ſe vel per alios quoquo modo, ne citationes ipſæ ad eos perveniant, ex quacunque cauſa faciendo, ut citandorum domicilia ſive loca tute vel libere adiri non poſſint: cum (prout ſcriptum eſt) exiſtimare debeamus, an eo ire liceat, ubi eſt citatio facienda, perinde ad inſtar edictorum præfatorum propoſitorum in albo Prætoris, etiam extra ſolennes dies, in quibus Romani Pontifices ſuos facere conſueverunt generales proceſſus, publice id nobis ſpecialiter, & ex certa ſcientia jubentibus, factæ in audientia literarum noſtrarum, aut in aula noſtri palatii, poſtmodum affigendæ januis majoris Eccleſiæ loci, in quo Romana communis omnium Chriſtiani populi nationum reſidebit curia, ut cunctis poſſint parere, & ita deferri citatis; ſic valeant & arctent citatos poſt terminum lapſum, quæ (conſidarata locorum diſtantia) volumus citationibus ipſis competentem apponi, ſicut ſi eos perſonaliter apprehendiſſent: Non obſtantibus aliquibus privilegiis, & literis Apoſtolicis, generalibus aut ſpecialibus, quibuſcunque perſonis Pontificali, imperiali, regali, vel alia Eccleſiaſtica, ſeu mundana dignitate præditis: aliiſque inferioribus Eccleſiis, monaſteriis, locis, collegiis, & univerſitatibus in quacunque forma verborum conceſſis: per quæ talium citationum effectus poſſit quomodolibet impediri, etiamſi de ipſis, & eorum totis tenoribus de verbo ad verbum, aut de propriis nominibus perſonarum, monaſteriorum, Eccleſiarum, locorum illorum, quibus conceduntur, vel eorum ordinibus, aut dignitatibus oporteat in noſtris literis fieri mentionem.

a *Occultum non præſumitur, quod omnibus publicatur.*

a *Fortaſſis legendum, arctent.*

FINIS LIBRI SECUNDI.

EXTRA-

# EXTRAVAGANTIUM
## COMMUNIUM
## LIBER TERTIUS.

### TITULUS I.
### DE VITA ET HONESTATE CLERICORUM.
#### CAP. UN.

*Præmiſſa Muſicæ artis plurima laude, cantorum laſciva melodia reprobatur, qui contra honeſtatem Clericalem, quod ore cantabant, geſtibus ſimulabant. Et cantores ipſi tam exempti, quam non exempti per octo dies ab officio ſuſpenduntur.* Poſſet etiam hæc extravagans apte locari ſub tit. de Celeb. Miſſ.

Joannes XXII. ( *an. 1322. Avenioni.* )

Docta ſanctorum Patrum decrevit auctoritas, ut in divinæ laudis officiis, quæ debitæ ſervitutis obſequio exhibentur, cunctorum mens vigilet, ſermo non ceſpitet, & modeſta pſallentium gravitas placida modulatione decantet. Nam in ore *a* eorum dulcis reſonabat, ſonus. Dulcis quippe omnino ſonus in ore pſallentium reſonat, cum Deum corde ſuſcipiunt, dum loquuntur verbis, in ipſum quoque cantibus devotionem accendunt: inde etenim in Eccleſiis Dei pſalmodia cantanda præcipitur, ut fidelium devotio excitetur: in hoc nocturnum diuturnumque officium, & Miſſarum celebritates aſſidue Clero ac populo ſub maturo tenore, diſtinctaque gradatione cantantur, ut eadem diſtinctione collibeant, & maturitate delectent. Sed nonnulli novellæ ſcholæ diſcipuli, dum temporibus menſurandis invigilant, novis notis intendunt fingere ſuas, quam antiquas cantare malunt, in ſemibreves, & minimas Eccleſiaſtica cantantur, notulis percutiuntur: nam melodias hoquetis interſecant, diſcantibus lubricant, triplis & motetis vulgaribus nonnunquam inculcant, adeo ut interdum antiphonarii & gradualis fundamenta deſpiciant, ignorent ſuper quo ædificant, tonos neſciant, quos non diſcernunt, imo confundunt: cum ex earum multitudine notarum aſcenſiones pudicæ, deſcenſioneſque temperatæ, plani cantus, quibus toni ipſi ſecernuntur ad invicem obfuſcentur: currunt enim, & non quieſcunt: aures inebriant, & non medentur: geſtibus ſimulant, quod depromunt, quibus devotio quærenda contemnitur, vitanda laſcivia propalatur. Non enim inquit fruſtra ipſe Boetius, laſcivus animus vel laſcivioribus delectatur modis, vel eoſdem ſæpe audiens emollitur & frangitur. Hoc ideo dudum nos & fratres noſtri correctione indigere percepimus: hoc relegare, imo prorſus abjicere, & ab eadem Eccleſia Dei profligare efficacius properamus. Quocirca de ipſorum fratrum conſilio diſtricte præcipimus ut nullus deinceps talia, vel his ſimilia in dictis officiis, præſertim horis canonicis, vel cum Miſſarum ſolennia celebrantur, attentare præſumat. Si quis vero contra fecerit, per ordinarios locorum, ubi iſta commiſſa fuerint, vel deputandos ab eis in non exemptis, in exemptis vero per Præpoſitos ſeu Prælatos ſuos, ad quos alias correctio & punitio culparum & exceſſuum hujuſmodi, vel ſimilium pertinere dignoſcitur, vel deputandos ab eiſdem, per ſuſpenſionem ab officio per octo dies auctoritate hujus canonis puniatur. Per hoc autem non intendimus prohibere, quin interdum diebus feſtis præcipue, ſive ſolennibus in miſſis, & præfatis divinis officiis aliquæ conſonantiæ, quæ melodiam ſapiunt, puta octavæ, quintæ, quartæ, & hujuſmodi ſupra cantum Eccleſiaſticum ſimplicem proferantur: ſic tamen, ut ipſius cantus integritas illibata permaneat, & nihil ex hoc de bene morata muſica immutetur: maxime cum hujuſmodi conſonantiæ auditum demulceant, devotionem provocent, & pſallentium Deo animos torpere non ſinant. Actum & datum, &c.

a Eccleſ. 47.

### TITULUS II.
### DE PRÆBENDIS ET DIGNITATIBUS.
#### CAP. I.

*Cum beneficia in curia vacantia idoneis debeant conferri perſonis, illorum collationem Papa ſibi reſervat.* Vide cap. 2. & 3. & cap. præſentis eod. tit. lib. 6.

Bonifacius VIII. ( *an. 1295. Romæ.* )

Piæ ſolicitudinis ſtudio ducimur, ut dignitates, perſonatus, præbendæ, aliaque beneficia Eccleſiaſtica cum cura vel ſine cura, quæ apud ſedem Apoſtolicam vacare noſcuntur, perſonis conferantur idoneis *a*, per quas in eis debita impendantur obſequia, & divinorum cultos exerceatur ſolicite in eiſdem. Inde fit, quod nos hujuſmodi dignitates, perſonatus, præbendas, Eccleſias, & alia Eccleſiaſtica beneficia, quæ apud ſedem eandem intra unum menſem a data præſentium hactenus in curia vacaverint, computandum, & quæ extunc apud eam vacaverint in futurum, proviſioni ſedis ejuſdem auctoritate Apoſtolica reſervamus: Decernentes extunc irritum & inane, ſi ſecus in hac parte ſcienter vel ignoranter, per quemcunque ſeu quoſcunque Apoſtolica, vel alia quavis auctoritate contigerit attentari. Nulli ergo, &c. Datum Later. 3. Nonas Majii, Anno 1.

CAP.

a Vide Concil. Trid. ſeſſ. 24. de reform. c. 12.



UNED

### C A P. II.

*Proviſiones ſub titulo commendæ factas de Eccleſiis Patriarchalibus, Archiepiſcopalibus, Epiſcopalibus, & monaſteriis ad petitionem Regum vel quorumcunque Magnatum, revocat.*

Clemens V. (*an.* 1306. *in Tuſcia.*)

EX ſupernæ providentia majeſtatis, cujus univerſa diſpoſitione reguntur, ad Apoſtolicæ præeminentiam dignitatis (licet inſufficientibus meritis) evocati, gregem Dominicum noſtræ vigilantiæ creditum undique contemplamur: illumque ſalubri ſtudemus paſtoris more, vigili (quantum nobis ex alto permittitur) obſervantia cuſtodire, ut de illo poſſimus ad ipſius laudem, cujus exercemus vices in terris, dignam in extremo judicio reddere rationem. Ideoque nos diligens cura ſollicitat, continua pulſat inſtantia, & curioſa ſolicitudo perurget, ut circa fidelium ſtatum ſalubriter dirigendum, ſic efficacibus ſtudiis & promptis operibus intendamus, quod per noſtræ cooperationis miniſterium erga ſanctam matrem Eccleſiam devotio filiorum concreſcat, ipſorum ceſſent gravamina, & tranquillitatis ei proveniat incrementum: quod tunc recte agere credimus, cum moleſtis eventibus viam præcludimus, indirecta dirigimus, ſubtrahimus noxia, & ſalubria procuramus. Sane pridem nos, licet inſufficientibus meritis, ad ſummum Apoſtolatus apicem (ſicut Domino placuit) evocati, ab ipſo noſtræ promotionis exordio, antiquæ notitiæ Regum, Prælatorum, Magnatum, & aliorum nobilium perſonatum Eccleſiaſticarum & ſecularium memores exiſtentes, ac ipſorum aliquibus, tum quia in terris morantes eorum, gradum hujuſmodi promotionis habuimus, tum quia ſolitæ ad eos amicitiæ ſpecialibus affectibus ducebamur: Aliquibus vero ex aſſueta Romanorum Pontificum liberalitate, quam in ſuis exercere ſunt ſoliti novitatibus, volentes honoris & liberalitatis affluentia complacere, ad eorum importunas tamen & multiplicatas precum inſtantias, nonnullis Clericis, & perſonis Eccleſiaſticis, religioſis & ſecularibus, diverſorum ordinum, dignitatis, conditionum & ſtatuum, Patriarchales, Archiepiſcopales & Epiſcopales Eccleſias, ac monaſteria deſtituta paſtoribus, ſub commendæ vel cuſtodiæ, ſeu curæ vel guardiæ, aut adminiſtrationis titulo, nomineve notabili, duximus perpetuo ad vitam ſeu ad certi temporis ſpatium committenda: ſuper his, an tales videlicet tantaſque gratias per nos fieri decuiſſet, variorum arduorum negotiorum multiplicitate diſtracti, uſque ad tempus, quo infirmitate ſatis periculoſa nos his diebus viſitavit omnipotens, nequivimus cogitare plenarie. Verum in debilitate ipſius ægritudinis conſtituti, a negotiorum utcunque diſcuſſione ſemoti, ad hoc ſub diligenti examine direximus aciem noſtræ mentis, demumque proſpeximus evidenter, quod Eccleſiarum & monaſteriorum eorundem cura negligitur, bona & jura diſſipantur ipſorum, ac ſubjectis eis perſonis & populis ſpiritualiter plurimum & temporaliter derogatur, eiſque redundant ad noxam, quæ dicebantur cedere ad profectum: ac nedum ipſis, ſed etiam Romanæ matri Eccleſiæ (quæ diſponente Domino ipſorum caput fore dignoſcitur & magiſtra) graviora inde futura timentur pericula. Nolentes igitur his tot & tantis diſpendiis ulterius cauſam relinquere, ſed volentes potius opportunum & debitum in hac parte remedium adhibere, omnes & ſingulas promiſſiones hujuſmodi per nos (ut præmittitur) factas, quibuſcunque cujuſcunque ordinis, dignitatis, aut ſtatus, ſed etiam ſanctæ Rom. Eccleſiæ Cardinalibus quocunque modo vel tempore factæ noſcantur, auctoritate Apoſtolica exnunc ex certa ſcientia revocamus, caſſamus, & annullamus, & decernimus de cætero non habere aliquam roboris firmitatem. Nulli ergo, &c. Datum apud Piſatum Burdegalenſ. diœceſ. X. Cal. Martii, Anno 2.

### C A P. III.

*Beneficia majora & minora vacantia & vacatura, præſertim in provincia Burdegalen. Clemens V. certis ex cauſis ſuæ diſpoſitioni reſervavit, cum appoſitione decreti.*

Clemens V. (*an.* 1306. *in Gallia.*)

ETſi in temporalium diſpoſitione bonorum habenda ſit diſcretionis cautela, præcipue ut ea digne & laudabiliter diſponantur: in Eccleſiaſticis tamen rebus multo fortius invigilare noſtra debet intentio, ut juxta perſonarum conditiones & ſtatus, ad Divini nominis laudem, & ipſarum utilitatem provideatur ex merito Eccleſiaſticis perſonis: cum juxta canonicas ſanctiones [a] nihil ſit, quod Eccleſiæ Dei magis officiat, quam quod indigni aſſumantur ad regimen animarum. Hac igitur conſideratione moti ſpecialiter Burdegalen. Eccleſiam, de qua (licet immeriti) ſumus noviter ad hunc ſtatum ſummi Apoſtolatus aſſumpti, & monaſterium ſanctæ crucis Burdegalen. ordinis ſancti Benedicti etiam vacans per obitum quondam fratris Gulielmi de Bombio Abbatis ejuſdem: Et generaliter Patriarchales, Archiepiſcopales, Epiſcopales, monaſteria, prioratus, & quoslibet perſonatus, dignitates vel officia, cujuſcunque ordinis & conditionis exiſtant, necnon Canonicatus, præbendas, Eccleſias cum cura vel ſine cura, & alia quælibet beneficia quocunque nomine appellentur, quæ apud ſedem Apoſt. vacare noſcuntur ad præſens, & quæ toto noſtri Pontificatus tempore vacare contigerit in futurum: proviſioni, collationi & diſpoſitioni noſtræ & ſedis ejuſdem hac vice auctoritate Apoſtolica reſervamus. Decernentes exnunc irritum & inane, ſi quid contra hoc per quoſcunque quavis auctoritate ſcienter vel ignoranter attentatum eſt hactenus, vel in poſterum contigerit attentari: Conſtitutione Clementis IV & Bonifac. VIII. Rom. Pont. prædeceſſ. noſt. & alia qualibet in contrarium edita non obſtante. Et quia plus timeri ſolet, quod ſpecialiter injungitur, quam quod generaliter imperatur, hac reſervatione noſtra & decreto ligari volumus ignorantes. Et quia bullam noſtram non habemus ad præſens, ad cautelam præſentium & memoriam futurorum, hujuſmodi reſervationem cum præmiſſi interpoſitione decreti ſcribi & in publicam formam redigi juſſimus per Bernardum Caprarii publicum Notarium infraſcriptum: quam etiam ſigilli (quo utebamur olim Burdeg. Eccleſiæ præſidentes) fecimus appenſione muniri. Datum Burdeg. 2. Cal. Aug. Pontif. noſt. Anno 1.

### C A P. IV.

*Papa hic primo ambitionem & importunitatem quorundam Religioſorum & ſecularium ſuper obtinendis pluribus beneficiis, diſpenſative, qui inſufficientes quandoque erant pro uno, in diverſis locis, regnis & aliis locis diſtantibus recitans, apponit plures ex hoc contingentes inconvenientias: & tandem ſtatuit, quod omnes (exceptis Cardinalibus ac Regum filiis) qui ſuper pluralitate beneficiorum, quæ alias de jure non poterant obtineri, diſpenſationem obtinent, unum cum cura, aliud ſine cura, poſſint a tempore notitiæ eligere intra menſem, & alia cum effectu dimittere teneantur: alias omnibus ſic diſpenſatis ſint ipſo jure privati. Et idem de beneficiis, in quibus jus eſt ad rem dum vacabunt: de pluribus etiam talibus, injuſte tamen & ſine diſpenſatione detentis, ordinat, quod ultimum retineant, & omnia alia dimittant intra menſem, alioquin omnibus ſint privati. Item vult quod qui amodo talia receperint, dimiſſionem de primo faciant coram Ordinario cum effectu, alioquin ſint omnibus ipſo jure privati: quæ omnia ſic vacantia diſpoſitione Apoſt. ſedis reſervat, interpretans Ordinarios in hoc caſu ſolos diœceſanos beneficiorum ſic dimiſſorum. Item hoc vult de ſolis beneficiis intelligi, in quibus quis per ſe vel vicarium ſuum temporalem curam animarum vel ſpiritualem juriſdictionem exercet de conſuetudine vel de jure.* h. d. de Laud.

Joan-

a *In Concil. Lateran. ſub Innoc. IV. c. 26. refertur in c. nihil eſt. extr de elect.*

Joannes XXII. *Epiſc. ſervus ſervorum Dei, ad perpetuam rei memoriam. (an. 1317. Avenioni, )*

EXecrabilis *a* quorundam tam religioſorum quam ſecularium ambitio, quæ ſemper plus ambiens, eo magis inſatiabilis creditur, quo ſibi amplius indulgetur, & improbitas importuna petentium a nobis & prædeceſſoribus noſtris Romanis Pontificibus non tam obtinuiſſe, quam extorſiſſe plerunque noſcuntur, ut unus interdum etiam ad unum beneficium Eccleſiaſticum minus idoneus in diverſis Eccl. nedum vicinis, ſed ab invicem longe diſtantibus, imo nonnunquam in diverſorum regnorum, partibus ſituatis, plures quam duas vel tres, aut plures etiam dignitates vel perſonatus officia ſeu prioratus, aut diverſa Eccleſiaſtica beneficia curam animarum habentia poſſit diſpenſative, cum alias non liceret de jure communi, recipere, & ſimul licite retinere. Unde inter cætera, inconvenientia infraſcripta naſcuntur, quod videlicet interdum unus, qui unum quamvis modicum vix officium implere ſufficeret, plurimorum ſibi vendicat ſtipendia, quæ multis literatis viris æquæ puritate ac teſtimonio bonæ famæ pollentibus, qui mendicant, poſſent abunde ſufficere, æqua diſtributione collata. Habentibus ipſa paratur vagandi materia, divini cultus minuuntur, hoſpitalitas in ipſis beneficiis debita non ſervatur: & dum non ſunt ſui in utraquaque regione Rectores Eccleſiarum detrahitur commodis & honori, quæ carentes defenſorum auxilio in juribus ſuis & libertatibus multipliciter collabuntur: ruinis patent ædificia nobilia, quæ magnificentia extruxerat deceſſorum: E (quod amarius eſt dolendum) animarum cura negligitur, & vitiorum ſentibus fomentum periculoſe præbetur. Nos itaque tot malis tantiſque diſcriminibus occurrere cupientes, omnes & ſingulas diſpenſationes ſuper receptione ac retentione plurium dignitatum, perſonatuum, officiorum, prioratuum, aut beneficiorum, quibus cura ſit animarum annexa, ſub quacunque forma vel expreſſione verborum a nobis vel dictis prædeceſſoribus noſtris, cuicunque perſonæ conceſſas (Cardinalibus tamen ſanctæ Rom. Eccleſ. qui circa nos univerſali Eccleſiæ ſerviendo, ſingularum Eccleſiarum commoditatibus ſe impendunt, ac Regum filiis, qui propter ſublimitatem eorum ac generis claritatem ſunt potioris prærogativa gratiæ attollendi, dontaxat exceptis) deliberatione ſuper hoc cum fratribus noſtris habita diligenti, de pſorum conſilio & ex certa noſtra ſcientia, in forma ſubſcripta duximus taliter moderandas, quod per moderamen noſtrum effrenatam circa eaſdem perſonas talium beneficiorum multitudinem refrenemus, ipſique impetrantes fructu diſpenſationum hujuſmodi totaliter non fruſtrentur. Statuimus itaque & de fratrum noſtrorum conſilio ordinamus, quod obtinentes nunc ex diſpenſatione legitima pluralitatem hujuſmodi dignitatum, perſonatuum, officiorum, aut Prioratuum ſeu beneficiorum, quæ alias abſque alia diſpenſatione legitima obtinere nequibant, unam tantum ex dignitatibus, perſonatibus, officiis, prioratibus, Eccleſiis vel beneficiis hujuſmodi, quibus cura immineat animarum, cum dignitate, perſonatu, vel officio, prioratu, Eccleſia vel beneficio ſine cura, quæ habere maluerint, prætextu diſpenſationis ſufficientis circa id eiſdem indultæ, poſſint licite retinere: quæ tamen teneantur eligere intra menſem, numerandum a tempore notitiæ conſtitutionis iſtius. Cæteris beneficiis cum cura vel ſine cura, quæ ipſius diſpenſationis prætextu tenebant, & quæ aliter ante non poterant de jure abſque diſpenſatione aliqua licite retinere, quæ nos extunc vacare decernimus, coram ordinariis ſub teſtimonio publico intra idem tempus verbaliter vel realiter cum effectu dimiſſis: abſque eo, quod ad illa nunquam ſine nova collatione, ab eo qui facere poterit facienda, redire, aut eorum adminiſtrationi ſe immiſcere præſumant. Alioquin tam his, quam aliis omnibus beneficiis, quæ virtute hujuſmodi noſtri moderaminis retinere poterant, ut præfertur, ſint ipſo jure privati, & prorſus inhabiles ad ſimilia beneficia obtinenda. Per hoc autem iis, qui dignitates, perſonatus, officia, prioratus, vel alia beneficia curam animatum habentia ex diſpenſatione, quæ jus tribuat, juxta noſtram moderationem præſcriptam obtinent, & alia ſimilia beneficia noſtrarum vel eorundem prædeceſſorum auctoritate literarum expectant, cum quibus eſt, ut illa cum vacaverint recipere, & una cum obtentis retinere licite valeant, diſpenſatum, nolumus derogari, quin ea cum vacaverint, intra dicti temporis ſpatium poſſint eligere; & dimiſſis aliis recipere forma præſcripta, ac licite retinere; pœnas ſimiles incurſuri, ſi hujuſmodi noſtræ contraire praſumpſerint ſanctioni. Porro quia quorundam oculos ſic avaræ cupiditatis vitium excæcavit, quod plura talia beneficia ſimul abſque diſpenſatione canonica retinere præſumunt: nos de illis præſenti decreto ſtatuimus, ut omnia & ſingula beneficia ſic detenta (illo tamen retento, quod ultimo receperunt, dummodo in eo ex collatione canonica competat jus eiſdem) intra tempus, ut præſcribitur, limitatum, verbo & facto ac ſine fraude, coram ordinariis ſub teſtimonio ſimiliter publico dimittere teneantur. Quod ſi non fecerint, & illo ſint ipſo jure privati, in quo jus eis alias competebat, & inhabiles penitus ad quæcunque obtinenda Eccleſiaſtica beneficia cenſeantur. Qui vero deinceps receperint dignitatem vel perſonatum, ſeu officium, aut aliud beneficium, curam animarum habens annexam, ſi antea ſimile beneficium obtinebant, illud quo ipſo jure (poſtquam ſecundi poſſeſſionem habuerint, vel per eos, omni dolo & fraude ceſſantibus, quo minus habeant, ſteterit) privati noſcuntur, abſque moræ diſpendio in ordinariorum manibus dimittere debeant, pari modo: Alioquin extunc ſint ipſo jure ſecundo privati, & nedum ad ſacros ſuſcipiendos ordines, quin etiam ad habendum quodcunque aliud Eccleſiaſticum beneficium inhabiles reputentur. Quæ omnia & ſingula beneficia vacatura, ut præmittitur, vel dimiſſa, noſtræ & ſedis Apoſtolicæ diſpoſitioni, de ipſorum fratrum conſilio reſervamus: Inhibentes, ne quis præter Rom. Pont. quacunque ſit ſuper hoc auctoritate munitus, de hujuſmodi beneficiis diſponere, vel circa illa per medium permutationis, vel alias innovare hoc quoquo modo præſumat. Nos enim ſi ſecus actum vel attentatum fuerit, irritum decernimus & inane. Cæterum ordinarios intelligimus in caſibus ſupraſcriptis Epiſcopos, in quorum civitatibus vel diœceſibus conſiſtunt beneficia, ſeu aliquod eorum, quæ debent ſecundum præmiſſa dimitti, aut ipſi, qui ea debent dimittere, commorantur, vel Eccleſiis cathedralibus vacantibus, Capitula earundem. Et hi de beneficiis tam dimiſſis, quam (ut præmittitur) perditis, nos vel Apoſt. ſedem certificare ſtudeant, quamprimum commode poterunt, indilate, ut de illis ſalubriter diſponere valeamus. Quantum autem ad modificationem perſonatuum attinet antefatam, illa duntaxat, & non alia beneficia Eccleſiaſtica, quocunque nomine nuncupentur, curam habere cenſemus, quæ parochias habent, in quibus eſt animarum cura annexa, non per vicarios perpetuos, ſed per Rectores, aut miniſtros beneficiorum ipſorum, vel illorum temporales vicarios exercenda. Necnon etiam illa quorum miniſtris ratione beneficiorum hujuſmodi competit viſitare, inquirere, procurationes recipere, ſuſpendere, excommunicare, ſeu ab excommunicationis & ſuſpenſionis ſententiis abſolvere de conſuetudine, vel de jure, juribus aliis de animarum cura loquentibus in ſuo robore quoad cætera permanſuris. Nulli ergo omnino ho-

---

*a Vide Conc. Trid ſeſſ. 7. de reform. c. 2. & 4. ſeſſ 24 de reform. cap. 17.*

ſtominum liceat hanc paginam noſtrorum moderationis, ſtatutorum, conſtitutionum, reſervationis, inhibitionis, & voluntatis infringere, vel ei auſu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præſumpſerit, indignationem omnipotentis Dei, & beatorum Petri & Pauli Apoſtolorum ejus ſe noverit incurſurum. Datum Avenion. XIII. Calend. Decembr. Pontif. noſt. Anno 2.

## CAP. V.

*Epiſcopatus Tholoſanus, in reditibus plurimum abundans, in novam metropolim, propter multiplices cauſas hic expreſſas erigitur, cui pro ſuffraganeis Eccleſiis ſunt deputatæ quatuor villæ in novas civitates erectæ, adjecta cum illis Eccleſia Apamiarum. Et quibus Epiſcopis & Archiepiſcopis prius ſuberant, quidque earum cuilibet pro reditibus ſit aſſignatum, hic exprimitur: & tandem cenſuræ Eccleſiaſticæ in rebelles proferuntur.* Adverte, quod Eccleſia de Vauro, & Eccleſia de Mirapice ſunt ſub Eccleſia Tholoſana tanquam ſuffraganeæ, licet de illis hic mentio nulla fiat. Utilitas ex hoc capitulo habetur, quoniam cognoſcimus cauſas erigendi, & dividendi Eccleſias, alias aliis ſubjiciendi, & alias ab aliis eximendi, & ad ſolum Papam hæc omnia ſpectare: cui in ſingulari privilegio majores cauſæ majoraque negotia reſervantur, patet in cap. 1. de translat. Epiſc. cum ſuis concordantiis.

Joannes XXII. ( *an.* 1315. *Avenioni.* )

SAlvator noſter, cujus nutui cuncta ſerviunt *a*, in agro mundi hujus meſſem multam aſpiciens, & operariorum raritatem attendens, Dominum meſſis rogandum eſſe, ut in illam operarios mitteret, cenſuit: & ipſe idem etiam exiens mane, veluti paterfamilias diligens, horis diei variis operarios in vineam ſuam miſit. Romanus itaque Pontifex, ſicut eodem Domino diſponente Vicarius ejus in terris eſſe dignoſcitur, ſic & ipſius actibus ( in quantum ſinit humana fragilitas ) ſe conformare tenetur. Ubi ergo ſuperexcreſcere meſſem, populi videlicet multitudinem, viderit, operarios debet opportunos adjicere, & juxta Propheticum verbum augere cuſtodiam: cuſtodes & cultores idoneos in Dominicam vineam deſtinare. Sane conſiderantes attentius, & intra pectoris clauſtra meditatione ſolicita reſolventes, quod in tanta multitudine populi, quanta fœcundavit altiſſimus civitatem & diœceſim Tholoſanam, ſingulorum vultus nequibat ( ut condecet ) unicus paſtor inſpicere, aut alias partes boni paſtoris implere: quodque durum erat atque difficile, per talem latam & diffuſam diœceſim ad unum tantum a perſonis Eccleſiaſticis & mundanis recurſum haberi. Attendentes etiam, quod licet Tholoſanus Epiſcopatus reditibus abundaret immenſis, non tamen ſupererat hucuſque memoria, quod ex ſuorum opulentia copioſa redituum aliquid in Eccleſia vel diœceſi Tholoſana proveniſſet in divini cultus augmentum: imo ſic ex adipe prodierat & prodibat iniquitas, ut multo jam tempore luxus circa carnis deſideria, evectionum pompa, immenſitas clientelæ, immoderata diffluxio in parentes, ſumptus enormes, aut uſus extraordinarii ſibi vendicaſſent ibidem quaſi totum patrimonium crucifixi: & verendum erat ne præſul unicus Tholoſanus incraſſatus *b* & dilatatus, & exceſſivis hujuſmodi opibus alias ſuperbus periculoſe recalcitrans, Deum factorem derelinqueret, & a ſuo ſalutari recedens, pernicioſum exemplum in ſubditos derivaret. Penſantes quoque, quod ſanctæ memoriæ Clemens Papa quintus, prædeceſſor noſter, eodem etiam tempore, quo civitas & diœceſis antefatæ longe minus in populo, ac reditibus affluebant, tamen extunc benedicente Domino incredibiliter creverint in utroque, & jugiter creſcere dignoſcantur, ſpiritu beatæ conſiderationis inductus, ad diviſionem Epiſcopatus ejuſdem firmiter, dum viveret, intendebat: licet morte præventus ſuum in hac parte nequiverit implere conceptum. Nos pium prædeceſſoris noſtri propoſitum in effectum volentes adducere, & tam diſſipare malum, quod prædictorum redituum copia exceſſiva produxit, quam etiam cultum augere divinum, & ſpiritalem animarum profectum, quo ( ſi juxta facultatis exigentiam, & diffuſam latitudinem dictæ diœceſis ſufficiens numerus in eadem utilitate Præſulum deputetur ) indubio provenire ſperamus, promovere ſalubriter intendentes: Præmiſſis & aliis ſuadentibus juſtis cauſis, ex certa noſtra ſcientia, de fratrum noſtrorum conſilio concordi, & Apoſtolicæ plenitudine poteſtatis, ad laudem Dei, exaltationem Eccleſiæ, fidelium ſalutem, Epiſcopatum ipſum dictamque diœceſim Tholoſanam Apoſtolica auctoritate dividimus in quinque diœceſes, quas per certos diſtingui limites faciemus: Volentes ac decernentes, quod præter civitatem Tholoſanam, quæ ſuam propriam & diſtinctam habebit diœceſ. certis finibus limitandam, ſubſcriptæ quatuor villæ, quarum quamlibet, eiſdem conſilio & auctoritate in civitatem erigimus, & civitatis vocabulo inſignimus: ſcil. de monte Albano, pridem de Caturcen. diœceſ. cui adjicietur certa pars dictæ quondam diœceſis Tholoſanæ: ac ſancti Paeouli de Rivis, & de Lumberiis, & de ipſa quondam Tholoſana diœceſi exiſtentes, IV. ſeparatas diœceſes habeant certis limitibus, diſtinguendas. Quodque beati Martini de monte Albano, ubi corpus ſancti Theodori confeſſoris dicitur eſſe reconditum, prædictæ civitatis montis Albani, & beati Paeouli dictæ civitatis ſancti Papuli, B. Mariæ de Lumberiaco, civitatis præfatæ Lumberiaci, necnon beatæ Mariȩ de Rivis Eccleſiȩ ipſius civitatis Rivenenſis, ſint decȩtero & habeantur perpetuo Eccleſiæ cathedrales. Et quia Eccleſia Tholoſana, ſicut ſolenniori ſtatu, & conditioni potiori reſolget, ſic & grandioris honoris titulis efferenda eſt, ipſam hucuſque ſuffraganeam Eccleſiȩ Narbonenſ. ac totam quondam diœceſ. Tholoſanam de fratrum noſtrorum conſilio, & ex certa noſtra ſcientia, & Apoſtolicȩ plenitudine poteſtatis, ab omni juriſdictione, poteſtate, ac ſubjectione Archiepiſcopi, Capituli & ejuſdem Eccleſiȩ Narbonenſis penitus eximentes, eam ad laudem divini nominis, & honorem Eccleſiæ ſanctȩ ſuȩ, in Archiepiſcopalem; ſeu Metropolitanam erigimus, eamque honoribus & inſigniis ſedis Metropolitanȩ decoramus: auctoritate Apoſtolica decernendo, ut exnunc pro metropolitana Eccleſia in perpetuum habeatur. Et quia etiam dignum eſt, ut ex quo de filia facta mater, metropoliticȩ dignitatis ſuſcepit inſignia, & ſuffraganearum congruum numerum filiarum, ac decentem provinciam habeat, ut ad judicium Archiepiſcopi Tholoſani, qui pro tempore fuerit, omnes cauſȩ ſuffraganeorum Epiſcoporum & perſonarum Eccleſiaſticarum, ac civitatum ejuſdem provinciȩ juxta ſacrorum ſtatuta canonum referantur, Nos præfatas IV. civitates & Eccleſias cathedrales cum earum diœceſibus ( ut præmittitur ) diſtinguendas, necnon civitatem & Eccleſiam Apamiarum cum ſua diœceſi, exnunc ipſius Eccleſiæ Tholoſanæ ſuffraganeas, ac de provincia Tholoſana in perpetuum fore decernimus, & jure metrop. ſubjicimus, & ſubjectas eſſe volumus eas illi. Prȩnominatas montis Albani, quæ de diœceſi Caturcen. & Bituricen provincia, & Apamiarum civitates & Eccleſias, quæ de provincia Narbon. hactenus fuiſſe noſcuntur, necnon reliquas tres civitates & Eccleſias ſancti Papuli, Rivenen. & Lumberiacen. quæ ab olim de diœceſi Tholoſana fuerunt; cum earum diœceſ. conventibus, collegiis, ſive capitulis a juriſdictione, poteſtate, ac ſubjectione quacunque Bituricenſis & Narbonenſis Archiepiſcoporum, ac Caturcenſis, & quondam Tholoſani, Epiſcoporum, Capitulorum, & Abbatum atque Conventuum, & ordinariorum quorumlibet aliorum

Eccle-

*a Matth.* 9. *Matth.* 20. *b Deut.* 8.

UNED

Eccleſiaſticorum, quibus quomodolibet fuerant hucuſque ſubjectæ, auctoritate præſentium perpetuo eximentes, de prædictorum conſilio, & plenitudine poteſtatis. De bonis autem, reditibus, proventibus & juribus dicti quondam Epiſcopatus Tholoſan. ipſi Tholoſ. decem millia, & ſingulis aliis prædictis Eccleſiis (Apamiarum excepra, cui de ipſis bonis, reditibus, proventibus & juribus, ultra illa, quæ habere dignoſcitur, certam aſſignabimus portionem noſtris aliis literis diſtinguendam) ſingula quinque milla librarum Turonen. annui reditus, & perpetui proventus, quæ quidem unicuique illarum, ſuiſque Pontificibus (dignitate ac onere, & circumſtantiis aliis attente penſatis) debere ſufficere vidimus, præter reditus, proventus, & jura, quæ ad prædictas Eccleſias, & conventus earum antea pertinebant, de quibus ad honorem Dei, & ipſarum Eccleſiarum commodum intendimus ordinare: exnunc auctoritate prædicta de conſilio ac plenitudine memoratis concedimus, donamus, ac etiam deputamus percipienda integraliter per ipſarum Eccleſiarum præſules, qui pro tempore fuerint, in rebus & locis cuilibet magis adjecentibus & vicinis, juxta diſtinctionem, ſeu limitationem diœceſium ſingularum, per alias noſtras literas faciendam. Interim tamen diſtinctione, ſeu limitatione prædicta pendente, volumus quod eorum quilibet ſummam eum contingentem pro rata accipiat annuatim de bonis, reditibus, proventibus & juribus antedictis, per manus eorum, quos ad hoc providerimus deputandos. Reſiduum vero redituum, proventuum, & jurium ipſorum, quod facta de illis (ut præmiſſum eſt) aſſignatione ſupererit, necnon juriſdictionem ſpiritalem & temporalem, quæ ad dictum quondam Epiſcopatum Tholoſan. uſque ad tempus diviſionis hujuſmodi pertinebat, & quæ diſtinctione, ſeu limitatione poſt facta pendente faciemus per idoneas exerceri perſonas. Ac beneficia, etiamſi dignitates, perſonatus ac officia exiſtant (exceptis his, ad quæ quis per electionem aſſumitur, & in quibus, vel ad quæ auctoritate literarum Apoſtolicarum alicui, ſeu aliquibus jus eſt aliquod acquiſitum, quibus per id nullum volumus præjudicium generari) nunc & in antea uſque ad diſtinctionem diœceſ. vacatura diſpoſitione noſtræ ac ſedis Apoſtolicæ de fratrum ipſorum conſilio reſervamus. Hæc igitur per dictæ ſedis prudentiam circumſpectam ſic ſtatuta ſalubriter & utiliter ordinata, perpetuis eſſe valitura temporibus, & robur incommutabilis firmitatis obtinere volentes: auctoritate prædicta diſtrictius inhibemus, ne aliquis cujuſcunque præeminentiæ, ordinis, conditionis, aut ſtatus, etiamſi Archiepiſcopali, vel Epiſcopali, ſeu Regia præfulgeat dignitate, hujuſmodi ordinationem, Apoſtol. reſervationem, & alia ſupradicta quovis modo turbare, ſeu quomodolibet impedire præſumat, Nos enim exnunc irritum decernimus & inane, ſi ſecus ſuper his a quoquam quavis auctoritate contigerit attentari. Et nihilominus in eos, qui ex certa ſcjentia contrarium præſumpſerint, niſi intra octo dierum ſpatium poſt publicationem præſentium reſipuerint cum effectu, excommunicationis in perſonas & interdicti in univerſitates, ac ſuſpenſionis in Conventus, Capitula ſive collegia, de conſilio & auctoritate prædictis ſententias promulgamus: e quibus non, niſi per Romanum Pontificem, abſolutionis beneficium (præterquam in mortis a articulo) valeant obtinere. Nulli ergo hominum liceat hanc paginam noſtratum diviſionis, voluntatis conſtitutionum, erectionum, inſignitionum, exemptionum, decorationis, ſubjectionis, conceſſionis, donationis, deputationis, reſervationis, inhibitionis, promulgationis, infringere, vel ei auſu, &c. Datum Aven. VII. Calend. Julii Pont. noſt. An. 1.

## CAP. VI.

*Impedientes Epiſcopatus Tholoſani erectionem in Eccleſiam cathedralem, & ejus diviſionem in V. diœc. ultra pœnas in conſtitutione ſuperoiri declaratas perdunt feuda, & quæcunque beneficia ſpiritualia & temporalia. Et ſi ſint perſonæ Eccleſiaſticæ, efficiuntur inhabiles ad quæcunque beneficia Eccleſiaſtica.*

Idem. (*An. 1316. Avenioni*).

I. NUper certis ex cauſis, quæ noſtrum & fratrum noſtrorum animos ad id rationabiliter induxerunt, quondam Epiſcopatum Tholoſanum in Archiepiſcopalem, ſeu Metropolitanam ereximus Eccleſiam: quatuor villas, quarum quamlibet inſignivimus vocabulo civitatis, quatuor cathedrales Eccleſias creavimus: unam videlicet in villa moutis Albani, quondam Caturcen. diœc. adjicienda ſibi certa parte quondam diœc. Tholoſan. alteram in villa Lumberiaci, aliam in villa ſancti Papuli, & aliam in villa de Revis & de Robeſtria quondam Tholoſan. diœc. Quas quidem Eccleſias una cum Apamiarum Eccleſia, tanquam ſuffraganeas ſubjecimus ipſi Metropolitanæ Tholoſanæ Eccleſiæ. De bonis quoque & reditibus dicti quondam Epiſcopatus Tholoſan. tam ipſi Tholoſan. quam prædictis Eccleſiis ſuffraganeis certam portionem, quam unicuique illarum debere ſufficere vidimus, providimus aſſignandam: totali bonorum & redituum ipſorum reſiduo, diſpoſitioni noſtræ & ſedis Apoſtolicæ reſervato. Alia etiam circa præmiſſa fecimus, decrevimus, & ordinavimus ex certa noſtra ſcientia, de ipſorum fratrum concordi conſilio, & Apoſtolicæ plenitudine poteſtatis, diſtrictius inhibentes, ne quis cujuſcunque præeminentiæ, ordinis, conditionis, aut ſtatus, etiamſi Archiepiſcopali dignitate fulgeret, ipſam ordinationem noſtram impedire præſumeret vel turbare, ac decernentes exnunc irritum & inane, ſi ſecus ſuper his a quoquam quavis auctoritate contigerit attentari. Et nihilominus in eos, qui ex certa ſcientia contrarium facerent, niſi reſipuerint cum effectu, intra octo dierum ſpatium poſt publicationem ordinationis ipſius excommunicationis in perſonas, interdicti in univerſitates, ac ſuſpenſionis ſententias in Capitula, Conventus, ſive Collegia duximus promulgandas, prout hæc & alia in Apoſtolicis literis inde confectis plenius continentur. Verum quia ipſa noſtra ordinatio eo efficacius & inviolabilius ſperatur ſervari, quo plurium & graviorum vallata fuerit adjectione pœnarum: Nos ad obſervationem inconcuſſam ipſius eo amplius anhelantes, quo evidentius in divini cultus augmentum, & ſalutem fidelium animarum noſcitur redundare, præfatis adjiciendo ſententiis, omnes & ſingulos ſcienter turbantes aut impedientes ordinationem eandem, aut aliqua in illa contenta: ſeu turbantibus vel impedientibus dantes conſilium, auxilium vel favorem, directe vel indirecte, publice vel occulte, cujuſcunque ſint conditionis, dignitatis, ordinis, aut ſtatus, Eccleſiaſtici vel mundani, etiamſi Archiepiſcopali vel Epiſcopali, aut majori vel ſuperiori præfulgeant dignitate: niſi intra octo dierum ſpatium poſt publicationem præſentium ab hujuſmodi impedimento ſeu turbatione, ac impenſione conſilii, auxilii vel favoris reſipuerint cum effectu, feudis, locationibus, officiis & beneficiis, quibuſcunque ſpiritualibus & temporalibus, etiamſi dignitates vel Prælaturæ quævis fuerint, quæ ab Eccleſiis ſeu in Eccleſiis quibuſcunque obtinebunt, ſeu obtinent, ex certa noſtra ſcientia, & de ipſorum fratrum conſilio, & Apoſt. plenitudine poteſtatis, privatos eſſe decernimus ipſo facto. Et ſic libere ipſa feuda, locationes vel officia aut beneficia ſpiritualia & temporalia, dignitates, & Prælaturæ ad ipſas, ad quas

a *In articulo mortis nulla eſt caſuum reſervatio: atque ideo omnes Sacerdotes quoslibet pœnitentes a quibuſvis peccatis & cenſuris abſolvere poſſunt. Conc. Trident. ſeſſ. 14. cap. 7. de caſuum reſervat.*

quas ſpectant, revertantur Eccleſias, & devolvantur ad Rectores, Capitula ſeu Collegia eorundem, quod de illis pro ſua voluntate diſponant, & ad dignitates & Prælaturas per electionem aut alium modum licitum idoneas perſonas aſſumant: Perſonaſque Eccleſiaſticas, quæ culpabiles fuerint in præmiſſis, inhabilitamus ad quæcunque Eccleſiaſtica beneficia obtinenda. Nulli ergo omnino hominum, &c Datum Avenion. IV. Non. Aug. Pont. noſt. Anno 1.

## C A P. VII.

*Executores quatuor dantur, ad pœnas ſuperiores ſolenniter publicandas.*

Idem *Bartholomæo electo Narbon. diœceſ. Aguelmo de Blavla Engolimen. Eduen. Archid. & magiſtro Berengario de Lagiis Lemovicen. & Narbon. Eccleſiarum Canonico.* (*An.* 1323. *Avenion.*)

II. Nuper ex certis cauſis, quæ noſtrum & fratrum noſtrorum animos, ad id rationabiliter induxerunt, &c. (*ut ſupra proxime uſque ad, beneficia Eccleſiaſtica obtinenda*). Quocirca Diſcretioni veſtræ, per Apoſt. ſcripta mandamus, quatenus privationem & inhabilitationem noſtram hujuſmodi vos omnes, ſeu tres, vel duo, ſive unus ex vobis, per vos vel alium, ſeu alios, in Eccleſiis & ſolennibus locis & aliis, de quibus & quoties expedire videritis, ſolenniter publicetis: ne quiſquam valeat circa id ignorantiam allegare. Datum Avenion. II. Idus Novemb. pont. noſt. Anno 8.

## C A P. VIII.

*Diſpenſat cum quodam Abbate, ut Epiſcopus poſſit eſſe, licet defectum patiatur in ordinibus & ætate. Ex hac & ſequenti cognoſcimus cauſas & formas diſpenſandi. Quæcunque enim ſcripta ſunt, ad noſtram doctrinam ſcripta ſunt*. ad Rom. 15.

Idem *Arnoldo electo Lumbanen.* (*An.* 1319. *Avenion.*)

III. Nuper ex certis rationabilibus & manifeſtis cauſis, quæ ad hoc noſtrum animum induxerunt, civitatem Lumbanen. olim villam de Lumbanis, tunc intra Tholoſanæ diœceſ. limites conſtitutam, qui locus inſignis, ac multiplici commoditate dotatus exiſtit, de fratrum noſtrorum conſilio, & Apoſtolicæ plenitudine poteſtatis, per literas noſtras ſub certa forma in civitatem ereximus, civitatiſque vocabulo duximus decorandam: ſtatuentes, ac etiam decernentes, ut Eccleſia Abbatiæ illius loci de Lumban. ordinis ſancti Auguſtini extunc haberetur & exiſteret cathedralis: ac deinde volentes eidem Eccleſiæ de Paſtore idoneo ſalubriter providere, in te Abbatem ejuſdem Eccleſiæ, virum utique literatum & literarum ſcientia præditum, vitæ ac morum honeſtate decorum, diſcretionis & conſilii maturitate conſpicuum, direximus oculos noſtræ mentis, teque (non obſtante defectu ætatis & ordinum, quem pateris, cum tonſuratus modo in Clericum, & in XXVII. ætatis tuæ anno, vel circa conſtitutus eſſe dicaris, ſuper quo rerum gratioſe duximus diſpenſandum) de fratrum noſtrorum conſilio ipſi Eccleſiæ præfecimus in Epiſcopum & Paſtorem, curam & adminiſtrationem ipſius Eccleſiæ tibi in ſpiritualibus & temporalibus committendo. Unde licet nondum ſit tibi munus conſecrationis impenſum, nec Apoſtolicas literas promotionem tuam hujuſmodi continentes (cum illas non habeas) poſſis oſtendere: Nos tibi, ut (conſtitutione felicis record. Greg. Papæ VIII. præd noſt. & qualibet alia ſuper hoc in contrarium edita, nequaquam obſtante) poſſis ejuſdem Eccleſiæ Lumban. & quorumcunque bonorum ipſius adminiſtrationem accipere, ipſamque adminiſtrationem libere exercere, auctoritate præſentium indulgemus. Contradictis, &c. Datum Anno 4. ut ſupra.

## C A P. IX.

*Hortatur quendam in multis commendatum, ut curam paſtoralem adminiſtret in Eccleſia, quæ de novo fuerat in cathedralem erecta.* Hic autem invenies multa notatu digniſſima, quæ debeant lectores ad devotionem accendere.

Idem *Venerabili fratri Bertrando Epiſcopo montis Albani, ad univerſalis Eccleſiæ regimen exercendum divina diſpenſatione vocato.*

Ad cujuslibet ſtatus Eccleſiæ aciem ſolicitæ conſiderationis extendimus, paſtorales partes officio vigilanti adhibentes, ut earum ſingulæ paſtoribus gubernentur idoneis, & providis Rectoribus diſponantur, quorum diſpenſatione provida, & providentia circumſpecta (illius cooperante clementia, qui vere Paſtor & Rector agnoſcitur) ſpiritualium & temporalium proficiant incrementis. Nuper ſiquidem ex certis & rationabilibus cauſis, quæ ad hoc noſtrum animum induxerunt, civitatem, olim villam montis Albani, tunc intra limites Caturcen. diœceſ. conſtitutam, qui locus inſignis exiſtit, ac ubertate multiplici hominum & rerum exuberat, de fratrum noſt. conſ. & Apoſt. plenitudine poteſtatis, civitatis vocabulo duximus decorandam: ſtatuentes ac etiam decernentes, ut Eccleſia monaſterii illius loci montis Albani monaſterii caſa Dei ad Rom. Eccl. nullo medio pertinentis, ordinis ſancti Benedicti Claremonten. diœc. tunc immediate ſubjecta, extunc haberetur & exiſteret Eccleſia cathedralis: poſtmodum vero de celebri ac ſalubri proviſione ipſius Eccleſiæ montis Albani, ut ſponſi ſolatio lætaretur, ſolicite cogitantes, ac volentes illum eidem præficere in paſtorem, de quo certam haberemus notitiam, quod eum clara morum inſignia redimerent, nec eſſet dubia ejus charitas, circa plebem ſuo regimini committendam, & in cujus fiducia conſiſteret ſalubriter ſecuritas ſubditorum. Ad te nunc monaſterii prædicti Abbatem, quem literarum ſcientia præditum, vitæ & morum honeſtate decorum, diſcretionis & conſilii maturitate conſpicuum, in temporalibus providum, in ſpiritualibus circumſpectum, nobis & fratribus noſtris placida tua converſatio continuata, diu apud ſed. Ap. approbavit, direximus oculos mentis noſtræ: quibus omnibus debita meditatione penſatis, de perſona tua, nobis & eiſdem fratribus ob tuorum exigentiam meritorum accepta, de ipſorum fratrum conſilio & Apoſtolicæ plenitudine poteſtatis, eidem Eccleſiæ montis Albani providimus, præficientes eidem ſanctæ Eccleſiæ teipſum in paſtorem, tibi curam & adminiſtrationem illius in ſpiritualibus & temporalibus committendo, ac tibi poſtmodum faciendo, per venerabilem fat. noſt. Berengarium Epiſcopum Tuſculan. munus conſecrationis impendi: Firma ſpe, fiduciaque tenentes, quod eadem Eccleſia monaſterii Albani (dominica aſſiſtente clementia) per tuæ circumſpectionis & induſtriæ ſtudium fructuoſum ſervabitur a noxiis & adverſis, & ſpiritualibus & temporalibus proficiet incrementis. Tolle igitur Dei jugum, tam leve collis humilium, quam ſuave, ac dilectione paſcendum ſuſcipe gregem ejus, ſuper quem noctis vigilias dilectus ſolicituſque cuſtodit, ut liber non pateat aditus invaſori, & dominus inſuſpicabili hora venturus, ſi te invenerit ſic agentem, curſu conſummato, qui tuo labori proponitur, & horum fide ſervata, quæ tuæ ſolicitudini committuntur, te repertum fidelem in modico ſupra multa conſtituat, ac in dilecta gaudiorum ſuorum tabernacula introducat. Datum, &c. Anno 4.

## C A P. X.

*Declaratur, an collector fructuum primi anni omnium beneficiorum Eccleſiaſticorum vacantium & vacaturorum, uſque ad certi temporis ſpatium deputatorum, pro camera Apoſt. oneribus facilius ſupportandis poſſit cum obtinentibus beneficia convenire, & an altaria dotata cadant ſub tali reſervatione, &c.*

Idem *Hugani de Mirabello Canonico Ebredun. collectori fructuum primi anni, &c.*

POſtulati per Apoſtolicæ declarationis evidentiam edoceri, quid tibi ſuper dubiis infra ſcriptis circa commiſſam tuæ induſtriæ recollectionem fructuum prædictorum ( alias præbendarum, aut beneficiorum ) imminentibus ſit agendum. Tuæ itaque conſultationi brevites reſpondentes, te ſcire volumus beneplaciti noſtri eſſe ſuper fructibus beneficiorum, quæ ita reperies in ſolutione decimæ juxta verum taxata valorem, quod illum nequaquam excedunt, cum obtinentibus hujuſmodi beneficia, prout melius & utilius diœceſanis locorum ( in quibus hujuſmodi beneficia fuerint, quorum conſilia in hac parte requiras ) & tibi videbitur, valeas convenire. Nos enim ipſorum diœceſanorum, & tuam conſcientiam ſuper his oneramus. Licet autem quotidianæ diſtributiones per eos fuerint a perceptione fructuum prædictorum excluſæ, hoc tamen volumus de diſtributionibus ipſis intelligi, quæ dantur eis, qui horis interſunt: ſic quod illæ, quæ ſolvuntur his, qui ſunt in civitate vel loco præſentes, quamvis horis non interſint eiſdem, non ſint ab onere dictæ recollectionis immunes. Porro declarationem illam factam per nos in deputatione ſeu reſervatione fructuum prædictorum, ut videlicet non extendatur ad vicarias ſeu capellanias, ut plurimum a decedentibus inſtitutas ad Miſſas pro ipſis decedentibus celebrandas, certis conſtitutis reditibus Presbytero inibi celebranti, locum habere volumus in altaribus dotatis certis feudis uſuaticis ſeu cenſibus, ut Capellanus inibi celebrare debeat pro dotantium animabus certis vicibus, ſingulis ſeptimanis, & in Eccleſia cathedrali horis intereſſe divinis, dummodo valor annuus ipſorum altarium ſumma XX. librarum Turon. non excedat. Alioquin includantur in deputatione ſeu reſervatione prædictis. Ubi vero Præbenda fuerit in decima pro tanto taxata, quod parum poſſet Canonico hebdomadario ( cui certum pro illa ſervitium imminet in Eccleſia faciendum ) poſt perceptionem taxationis hujuſmodi remanere: volumus quod de taxatione ipſa pro hujuſmodi ſervitii onere portionem aliquam congruam prædicto hebdomadario dimittas, pro jam dicta camera noſtra reſiduum percepturus. Cæterum præbendas illorum, qui taxationem decimæ ſolvere recuſantes abeſſe velle ſe ſimulant, ut taxationem ipſam diminuere compellantur: ne per illorum abſentiam hujus perceptione taxationis frauderis, quaſi nihil de præbenda percipere valeas, de qua non percipiunt aliquid, niſi ſaltem in loco vel in civitate præſentes, cum tamen Eccleſiæ fabrica tales præbendas ex integro percipere dignoſcatur: declaramus ſub deputatione ſeu reſervatione comprehendi præfata, ut videlicet eas juxta deputationis noſtræ modum percipere valeas, Canonicorum ipſorum abſentia non obſtante. Ridiculum enim eſſet, ut eadem fabrica potiori quam nos privilegio in talibus uteretur. De illis denique, qui licet per multos menſes tenuerint Eccleſias vel præbendas, nihil tamen ſe percepiſſe aſſerunt ex eiſdem, cum juxta conſuetudinem patriæ prædeceſſores eorum teſtati fuerunt de bonis illarum, propter quod ipſi obtinentes tales Eccleſias tibi ſatisfacere nequeunt de fructibus antedictis: nihilominus offerentes, quod tamdiu fructus Eccleſiarum ipſarum percipias, donec tibi fuerit inde plenarie ſatisfactum: placet nobis & volumus, ut ſi eſt ita, oblationi hujuſmodi condeſcendas: per hoc tamen non intendimus conſuetudinem approbare prædictam. Datum Avenion. V. Idus Octobr. Pontificatus noſtri Anno 2.

C A P. VI.

*Cum Romanus Pontifex pro Eccleſia Romana neceſſitatibus fructus beneficiorum vacantium uſque ad certum tempus reſervaſſet, circa illam reſervationem plurima ambiguitates orta ſunt; quas hic ſolvit.*

Idem. ( *an.* 1319. *Avenioni.* )

1. CUm nonnullæ Eccleſiaſticæ perſonæ in cathedralib. Eccleſiis Canonicatus, præbendas, dignitates, perſonatus, & officia, ac alia beneficia Eccleſiaſtica obtinentes, revocare conentur in dubium, an fructus, reditus, & proventus primi anni beneficiorum Eccleſiaſticorum etiam vacantium, & quæ in diverſis orbis partibus uſque ad triennium vacare contingeret, quos pro Eccleſ. Rom. neceſſitatibus per noſtras ſub certa forma literas duximus reſervandos, juxta tenorem literarum ipſarum cameræ noſtræ ſolvere teneantur: præſertim cum Archiepiſcopales & Epiſcopales Eccleſiæ, ac regulares Abbatiæ ab hujuſmodi ſolutione fructuum ( ut dicunt ) in dictis literis eximantur: Nos dubitationem hujuſmodi amputare volentes, auctoritate Apoſt. declaramus, quod cum ſub appellatione Archiepiſcopalis vel Epiſcopalis Eccleſiæ, aut regularis Abbatiæ, hujuſmodi præbendæ, dignitates, perſonatus, & officia nequaquam intelligantur, nec etiam includantur, prædictos, necnon & præbendarum, & officiorum Monachorum, monaſteriorum regularium, ac reditus Abbatiarum ſeu Abbatum earundem, quæ in beneficiis Eccleſiaſticis aſſignantur, diſtinctos fructus, reditus & proventus includi in deputatione prædicta, & dictæ cameræ juxta prædictarum literarum tenorem debere perſolvi: ac id idem ſuper ſolutione omnium fructuum, redituum, & proventuum commendatariarum, curtuum ſeu grangiarum, monaſteriorum, domorum & locorum conventualium, quæ pro beneficiis Eccleſiaſticis ( ut prædicitur ) conceduntur ( niſi duntaxat in fructibus illorum, quæ ſunt forſan excepta ) declaramus & præcipimus obſervari. Præterea cum in aliquibus Eccleſiis tam cathedralibus, quam aliis, panis & potus pro quotidianis diſtributionibus ipſarum Eccleſiarum Canonicis & perſonis de præbendarum ipſarum corporibus pro die quolibet deputetur: & etiam interdum certa quantitas bladi, & quandoque certa pecuniæ ſumma, & aliquando alterum pro altero pro ſingulis menſibus vel hebdomadis etiam Canonicis ſtudiorum cauſa, aut alias pro eorum negotiis, de licentia Capitulorum Eccleſiarum ipſarum, ab Eccleſiis eiſdem abſentibus exhibeantur, & etiam perſolvantur: declaramus auctoritate prædicta, illam bladi quantitatem, & pecuniæ ſummam, quæ pro qualibet menſe vel hebdomada dictis Canonicis ( ut prædicitur ) miniſtrantur, non debere pro quotidianis diſtributionibus computari, ſed illa tantum, quæ præfatis Canonicis quotidie pro diurnis & nocturnis horis diſtribuuntur ſine fraude. Adjicimus inſuper declarationi prædictæ, quod ſi obtinenti curatum beneficium, aliud ſibi conſimile collatum fuerit, vel etiam in poſterum conferatur, poſt ſecundi beneficii pacificam poſſeſſionem adeptam, & fructuum perceptionem ipſius, nihil de fructibus ejuſdem primi beneficii ( niſi forſan ſuper hoc diſpenſatione canonica ſit munitus ) percipere poſſit: ſed pro dicta camera noſtra juxta formam dictarum literarum recipiantur, & etiam exigantur. Ubi vero fructuum, redituum & proventuum beneficiorum Eccleſiaſticorum non reperiretur certa taxatio: declaramus auctoritate prædicta, quod fructus, reditus & proventus beneficiorum hujuſmodi, cum vacare contigerit, per medium dividantur, quod medietas recipiatur pro camera prædicta, reliquam vero medietatem ille pro ſua ſuſtentatione percipiat, qui beneficium hujuſmodi dignoſcitur obtinere. Grangias autem, & alia loca Ciſtercien. ordinis & aliorum locorum regularium, in quibus gubernatores ſeu cuſtodes, vel adminiſtratores ponuntur ad tempus, & removentur ad voluntatem ſuperiorum ſuorum, eorumque fructus, reditus & proventus auctoritate declaramus eadem in deputatione prædicta, ac literis noſtris ſuper illa confectis aliquatenus non includi. Nulli ergo omnino, &c. Datum Avenion. Nonis Januar. Pontif. noſt. Anno 4.

CAP.

UNED

## C A P. XII.

*Fructus amborum beneficiorum, quibus quandoque beneficiatus privatur, cameræ Apoſtolicæ deputantur.*

Idem. ( *c. a.* 1319. )

II. CUm nonnullæ Eccleſ. perſonæ revocare conentur in dubium, an ſi obtinenti dignitatem, vel aliud beneficium Eccleſiaſticum, cui cura imminet animarum, aliud beneficium conferatur, eo caſu, quo ambo Beneficia ipſa ſucceſſive vacare contingit, eorundem amborum fructus primo anno, quo vacant, ratione deputationis fructuum, redituum & proventuum Eccleſiaſticorum tunc vacantium, & quæ uſque ad certum tempus vacare contingeret, quos pro Eccleſiæ Romanæ neceſſitatibus reſervandis per noſtras literas duximus deputandos, noſtræ cameræ debeantur: Nos ambiguitatem hujuſmodi removere volentes, auctoritate Apoſtolica declaramus, amborum eorundem beneficiorum fructus, reditus & proventus ( cum utrumque ipſorum vacet ) pro eadem camera debere percipi & haberi. Nulli ergo, &c.

## C A P. XIII.

*Diſpoſitioni Apoſtolicæ reſervantur beneficia curialium, & aliorum ad curiam accedentium, vel ab ea recedentium, ſi moriantur in locis ultra duas diætas legales ab ipſa curia non diſtantibus.*

Benedictus XII. ( *an.* 1335. *Avenioni.* )

AD regimen Eccleſiæ generalis, quanquam immeriti, ſuperna diſpoſitione vocati, gerimus in noſtris deſideriis, ut debemus, quod per noſtræ diligentiæ ſtudium ad quarumlibet Eccleſiarum & monaſteriorum regimina & alia beneficia Eccleſiaſtica, juxta divinum beneplacitum, & noſtræ intentionis effectum, viri aſſumantur idonei, qui præſint & proſint committendis eis Eccleſiis, monaſteriis, & beneficiis prælibatis. Præmiſſorum itaque conſideratione inducti, & ſuadentibus nobis aliis rationabilibus cauſis, nonnullorum prædeceſſorum noſtrorum Romanorum Pontificum veſtigiis inhærentes, omnes Patriarchales, Archiepiſcopales & Epiſcopales Eccleſias, & etiam monaſteria, prioratus, dignitates, perſonatus & officia, necnon canonicatus, & Præbendas, & Eccleſias, cæteraque beneficia Eccleſiaſtica cum cura vel ſine cura, ſecularia & regularia, quæcunque & qualiacunque fuerint, etiamſi ad illa perſonæ conſueverint ſeu debuerint per electionem, ſeu quemvis alium modum aſſumi, nunc apud ſedem Apoſtolicam quocunque modo vacantia, & in poſterum vacatura, necnon per depoſitionem, vel privationem, ſeu translationem, aut muneris conſecrationis ſuſpenſionem, per felicis recordationis Joan. Papam XXII. præd. noſt. ſeu ejus auctoritate factas, & per nos ſeu auctoritate noſtra in antea faciendas ubilibet. Necnon ſi forſan tempore jam dicti prædeceſſoris aliqui in concordia vel diſcordia electi, vel poſtulati fuerint, quorum electio caſſata ſeu poſtulatio repulſa, vel per eoſdem facta renuntiatio, & admiſſa per ipſum prædeceſſorem, vel auctoritate ipſius extiterint, ſeu quorum electorum, vel poſtulatorum, & in antea eligendorum ſeu poſtulandorum ac renuntiantium electionem caſſari, vel poſtulationem repelli, aut renuntiationem admitti per nos, vel auctoritate noſtra contingeret apud ſedem prædictam, vel alibi ubicunque. Ac etiam per obitum Cardinalium ejuſdem Eccleſ. Rom. ac officialium dictæ ſedis, videlicet Camerarii, Vicecancellarii, Notariorum, auditorum literarum contradictarum, & Apoſtolici palatii cauſarum auditorum, correctorum, & ſcriptorum literarum Apoſtolicarum, ac pœnitentiarii præfatæ ſedis, ac abbreviatorum, nec non commenſalium, & aliorum quorumlibet Capellanorum ſedis ejuſdem, & etiam quorumcunque Legatorum ſive Nuntiorum, ac in terris Eccleſiæ Romanæ Rectorum, & theſaurariorum, per dictum Joan. prædeceſſorem, vel nos ſpecialiter deputatorum ſeu miſſorum hactenus, vel a nobis deputandorum, aut mittendorum in poſterum: nunc vacantia & in antea vacatura, ubicunque dictos Legatos, vel nuntios, ſeu Rectores aut theſaurarios, antequam ad Romanam curiam redierint ſeu venerint, rebus eximi contigerit ab humanis. Necnon quorumlibet pro quibuſcunque negotiis ad Romanam curiam venientium, ſeu etiam recedentium ab eadem, ſi in locis a dicta curia ultra duas diætas legales non diſtantibus jam forſan obierint, vel eos in antea tranſire contigerit de hac luce. Ac etiam ſimili modo quorumcunque curialium peregrinationis, infirmitatis, aut recreationis, ſeu alia quacunque cauſa ad quævis loca ſecedentium, ſi eos antequam ad dictam curiam redierint, in locis ultra duas diætas ab eadem curia ( ut præmittitur ) non remotis, dummodo eorum proprium domicilium non exiſtat ibidem, jam forſitan deceſſerint, vel in poſterum eos contigerit de medio ſubmoveri: nunc per obitum hujuſmodi vacantia, & in poſterum vacatura. Rurſus monaſteria, prioratus, decanatus, dignitates, perſonatus, adminiſtrationes, officia, canonicatus, præbendas, & Eccleſias, cæteraque beneficia Eccleſiaſtica, ſecularia & regularia, cum cura vel ſine cura, quæcunque & qualiacunque fuerint, etiamſi ad illa perſonæ conſueverint & debuerint per electionem aut quemvis alium modum aſſumi, quæ promoti per dictum prædeceſſorem, vel ejus auctoritate ad Patriarchalium, Archiepiſcopalium, & Epiſcopalium Eccleſiarum, necnon monaſteriorum regiminis obtinebant tempore promotionum de ipſis factarum nunc vacantia. Et qui per nos ſeu auctoritate noſtra in poſterum ad eadem regimina promovendi tempore promotionis hujuſmodi obtinebunt. Necnon etiam, quæ per aſſecutionem pacificam quorumcunque Prioratuum, dignitatum, perſonatuum, officiorum, canonicatuum & præbendarum Eccleſiarum, & beneficiorum aliorum per nos, vel eundem Joan. prædeceſſorem, ſeu auctoritate literarum noſtrarum, vel ipſius Joan. prædeceſſoris collatorum, & conferendorum in poſterum, nunc vacantia, & in antea vacatura ( plena ſuper præmiſſis omnibus & ſingulis cum fratribus noſtris collatione præhabita, & matura deliberatione ſecuta ) ordinationi, diſpoſitioni, & proviſioni noſtræ ( donec miſerationis divinæ clementia nos univerſalis Eccleſiæ regimini præſidere conceſſerit ) de ipſorum fratrum conſilio auctoritate Apoſtolica reſervamus, decernentes exnunc irritum & inane, ſi ſecus ſuper præmiſſis & quolibet eorum per quoſcunque quavis auctoritate ſcienter vel ignoranter contigerit attentari. Nos obſtantibus quibuſcunque conſtitutionibus a prædeceſſoribus noſtris Rom. Pontif. editis, quatenus obſiſtere poſſent ſuper enarratis articulis vel alicui, ſive aliquibus eorundem. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam noſtræ reſervationis & conſtitutionis infringere, vel ei auſu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præſumpſerit, indignationem omnipotentis Dei, & beatorum Petri & Pauli Apoſtolorum ejus ſe noverit incurſurum. Datum Avenion. 3. Idus Januarii, Pontificatus noſtri Anno 1. M CCCXXXV.

## C A P. XIV.

*Beneficia, quacunque ſint, diſpoſitioni Apoſtolicæ reſervata, per talem reſervationem ſunt affecta: ita quod illorum collatio non tenet, ſi per alium a Romano Pontif. fuerit facta.*

Paulus Venetus *Papa II.* ( *an.* 1467. *Romæ.* )

AD Romani Pontificis providentiam, & circumſpectionem providam ſpectare dignoſcitur, dubia juris ( ex quibus lites graves oriuntur in dies ) ſuæ declarationis oraculo terminare, prout negotiorum qualitate, & temporum conditione inſpectis, conſpexerit in Domino ſalubriter expedire. Cum itaque nonnulli Romani Pontifices, prædeceſſores noſtri, per diverſas eorum conſtitutiones, quas ſuo tempore duntaxat durare voluerunt,

quæ-

UNED

quæcunque beneficia Eccleſiaſtica, quæ ſui, & ſanctæ Romanæ Eccleſiæ viventium & tunc exiſtentium Cardinalium familiares continui commenſales obtinebant, & in poſterum obtinerent, eorum familiaritate durante, etiamſi ab ipſa familiaritate per obitum Cardinalium eorundem vel alias receſſiſſent: necnon illa, quæ etiam fructuum & proventuum cameræ Apoſtolicæ debitorum collectores, & qui ipſorum prædeceſſorum temporibus ſua officia exercerent, uniti ſuccollectores durantibus eorum officiis obtinebant, ac in quibuſcunque locis vacaverint, cum irritantis appoſitione decreti, & deinde prædeceſſoribus ipſis ſublatis de medio, ac eorum beneficiorum occurrentibus vacationibus, inter utriuſque juris interpretes, etiam officiales Romanæ curiæ ſæpenumero hæſitatum extiterit, an beneficia hujuſmodi propter reſervationem & decretum prædicta reſervata vel affecta remanſerint: ita quod nullus præter Romanum Pontif. de illis diſponere potuerit ſive poſſit, reſervatione & decreto obſiſtentibus ſupradictis. Ac cum propter ambiguitatem hujuſmodi, varias quoque Juriſperitorum opiniones & diſcrepationes ipſas adverteremus, plerunque pro reſervatione & affectione præmiſſis, interdum vero econtra pronuntiatum & definitum fore. Nos qui vigilis more paſtoris ſuper his maturo providendum eſſe conſilio non indigne cenſuimus, & propterea in ſingulis cauſis ſuper quibuſvis beneficiis Eccleſiaſticis eandem ambiguitatem quomodolibet concernentibus, uſque ad noſtrum beneplacitum ſuperſedere mandavimus: cupientes (quemadmodum noſtro incumbit officio) dubiis hujuſmodi finem imponere, ſubditorum obviare diſpendiis, & (ne lites fiant penitus immortales) de opportuno remedio providere: Felicis recordationis Urbani V. Gregor. IX. Bonif. VIII. Romanorum Pontificum, etiam prædeceſſorum noſtrorum, qui ad ſubmovenda altercationum fomenta & ambiguitates hujuſmodi lucidandas, declarationes ſimiles per ſuas literas ediderunt, veſtigiis inhærendo, ac provide conſiderantes effectum: per reſervationem, manuſque appoſitionem eorundem prædeceſſorum in dictis beneficiis in eſſe productum, per obitum ipſorum nequaquam cenſeri debere revocatum. Romani quoque Pontificis manus appoſitionem prædictam tantæ efficaciæ, tantæque virtutis exiſtere, ut etſi literæ Apoſtolicæ ſuper proviſionibus beneficiorum, aut de providendo mandatis, in quibus decretum & reſervatio hujuſmodi apponuntur, ex aliqua cauſa ſuum debitum non ſortiantur effectum: facultatem tamen providendi de beneficiis taliter reſervatis quibuſcunque aliis fuiſſe ademptam hujus perpetuæ & irrefragabilis conſtitutionis edicto de venerabilium fratrum noſtrorum ſanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinalium conſilio omnia & ſingula beneficia Eccleſiaſtica, ſecularia, & cujuſvis ordinis regularia, etiamſi præpoſitatus, canonicatus, præpoſituræ & præbendæ, dignitates, perſonatus, adminiſtrationes, vel officia fuerint: etiamſi ad illa conſueverint, qui illis præficiuntur, per electionem aſſumi, eiſque cura immineat animarum (ut præmittitur) reſervata, & per Romanos Pontifices ſucceſſores noſtros canonice intrantes in poſterum reſervanda, ac etiam quovis modo vacantia & in antea vacatura, per hujuſmodi reſervationem & decretum remanſiſſe & remanere ſemper affecta, nullumque de illis (cum primum vacare contigerit) præter eundem Romanum Pontificem ea vice quovis modo diſponere potuiſſe, harum ſerie decernimus, & pariter declaramus. Quod tam in pendentibus etiam per appellationem, quam in futurum ſuper eiſdem beneficiis (ut præmittitur) reſervatis, committendis cauſis, per dilectos filios magiſtros Capellanos noſtros, cauſarum palatii Apoſtolici auditores, atque alios quoſcunque delegatos & Judices ubilibet inviolabiliter obſervari, & ſecundum præmiſſa, nec aliter ſententiari & definiri volumus atque mandamus eis & eorum cuilibet, quavis alia ſuper præmiſſis interpretandi facultate ſublata: Decernentes exnunc irritum & inane, ſi ſecus ſuper his a quoquam quavis auctoritate ſcienter vel ignoranter contigerit attentari. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam noſtræ conſtitutionis, declarationis, voluntatis, mandati & decreti infringere, vel ei auſu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præſumpſerit, indignationem omnipotentis Dei, & beatorum Petri & Pauli Apoſtolorum ejus ſe noverit incurſurum. Datum Romæ apud ſanctum Marcum, Anno incarnationis Dominicæ MCCCCLXVII. Cal. Sept. Pontif. noſtr. An. 3.

## TITULUS II.

## NE SEDE VACANTE ALIQUID INNOVETUR.

### CAP. UN.

*Papa volens providere divino cultui & miniſtris ejuſdem, & occurrere diſpendiis, quæ ipſis quotidie imminent propter occupationes vacantium Eccleſiarum primi anni, quæ competunt ex diverſis titulis aliquibus Eccleſiis ſeu perſonis: ſtatuit quod quando talis occupatio imminebit in beneficiis, quæ conſueverunt in decimæ ſolutione taxari, collectores ipſorum annalium ſint contenti ipſa ſumma, pro qua conſuevit dari decima, ſi ipſam eligendam duxerint, totali reſiduo penes eum, cui collatum eſt beneficium, remanente: vel dimiſſa eidem ſumma prædicta, poſſint dictum reſiduum ſibi aſſumere, dum tamen alterum intra X. dies dicti eligant collectores: alias poſt X. dies ipſorum optio in beneficiatum tranſeat ipſo jure. In non taxatis autem fructus decimales illius anni dividantur per medium, & utrique eorum medietas tribuatur: ita quod ſi alter dimidia noluerit contentari, ipſa in volentem tranſeat ipſo jure: Et ſi quicquam aliquis contra dictam ordinationem receperit, pœnas hic contentus incurrat.*

Joan. XXII. *Epiſcopus, ſervus ſervorum Dei, ad perpetuam rei memoriam. (An. 1318. Avenioni).*

SUſcepti regiminis nos cura ſolicitat, ut quæ in Eccleſiis non abſque diſpendio miniſtrorum & cultus detrimento divini ſervari videamus, per appoſitionem congrui moderaminis in melius reformemus. Cum itaque in nonnullis Eccleſiis obſervetur, & a longis retroactis temporibus fuerit obſervatum, quod fructus a primi vel ſecundi, aut alterius cujuſque ſequentis anni beneficiorum vacantium in eiſdem, defuncto vel fabricæ, aut Eccleſiis vel perſonis habentibus annalia de conſuetudine, privilegio, vel ſtatuto applicetur in totum: ita quod illi, qui hujuſmodi beneficia canonice obtinent, & ad quos alias de jure fructus ipſi ſpectare deberent, nihil inde percipiunt: unde illud inconveniens ſequitur, quod commode nequeunt ad impendendum ſervitium debitum reſidere in Eccleſiis, in quibus beficiati exiſtunt. Nos de illo ſuper his remedio providere volentes, per quod hi & illi in fructuum perceptione prædictorum participent, & Eccleſiæ debitis ſervitiis non fraudentur: præſenti decreto ſtatuimus de fratrum noſtrorum conſilio, quod illi, qui fructus prædictos ſibi hactenus integre vendicabant ex privilegio, de conſuetudine vel ſtatuto, nihil exinde ultra ſummam, pro qua unumquodque beneficiorum ipſorum conſuevit in decimæ ſolutione taxari, prætextu cujuſvis privilegii, conſuetudinis vel ſtatuti quovis modo percipiant, ſed ipſius ſummæ perceptione duntaxat ſint omnino contenti, totali reſiduo prædicta obtinentibus beneficia remanſuro: niſi

a *Vide extravagantem Pii V. Pontificis Maximi, incip. Durum nimis.*

UNED

niſi forſan illi, qui fructus eoſdem ſoliti fuerint (ut præfertur) cum integritate percipere, pro ſe mallent ipſum habere reſiduum, & obtinentibus ipſa beneficia ſummam dimittere memoratam, quo caſu percipiendi quod maluerint illis relinquimus optionem: ſic quod intra X. dies, poſtquam ſciverint beneficia ipſa vacare, ii, quibus annalia ipſa debentur ex privilegio, conſuetudine vel ſtatuto, aut ipſorum annalium collectores, quam partem habere voluerint, an ſcilicet decimæ taxationem, vel illa dimiſſa reſiduum (nulla ſubhaſtatione præmiſſa) eligere teneantur. Quam electionem ſi intra dictos X. dies non fecerint, ut eſt dictum, extunc ad eum, cujus eſt beneficium, hujuſmodi optio vel electio tranſeat ipſo jure. Et hoc in Eccleſiis & partibus illis, in quibus beneficia majora & alia quantum ad ſolutionem decimæ ſunt taxata, volumus obſervari. In illis vero partibus & Eccleſiis, in quibus decimarum taxatio non eſt facta, ſervetur, quod fructus & obventiones beneficii tunc vacantis, quos in decima ſolvere conſuevit, per medium dividantur, quorum medietatem habeat is, cui annalium per alterum de prædictis modis perceptio eſt conceſſa; reliquam vero medietatem percipiat ille, cui beneficium eſt conceſſum pro ſuſtentatione ſua, & aliis Eccleſiæ oneribus ſupportandis. Quod ſi alter de prædictis prædicta medietate voluerit eſſe contentus, altero contentari nolente, pars nolentis ipſo jure tranſeat ad volentem, & volens fructus & obventiones illius beneficii percipiet univerſos, eidem beneficio congrue faciens deſerviri, ac ejus ſupportans onera conſueta. Et ſi quicquam aliquis prædictorum ultra præmiſſa perceperit, illudque his, ad quos pertinebit, intra menſem non reſtituerit cum effectu, eo ipſo, ſi Epiſcopus vel ſuperior Prælatus fuerit, a Pontificalibus & ingreſſu Eccleſiæ noverit ſe ſuſpenſum: Si autem capitulum, univerſitas vel collegium, Eccleſiaſtico interdicto ſe noverit (donec prædicta cum integritate reſtituerit) ſubjacere. Si vero aliqua ſingularis perſona Eccleſiaſtica vel mundana id fecerit, excommunicationis incurrat ſententiam ipſo facto, a qua, niſi reſtitutione præmiſſa (præterquam in mortis articulo minime abſolvatur: non obſtantibus quibuſcunque privilegiis vel indulgentiis, aut contrariis conſuetudinibus, aut contrariis ſtatutis, juramento, confirmatione Sed. Apoſtol. aut alia quacunque firmitate vallatis. Quæ omnia quoad hæc auctoritate Apoſtolica revocamus, caſſamus, & irritamus, & nullius deinceps eſſe volumus firmitatis. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam noſtræ conſtitutionis, revocationis, caſſationis, & voluntatis infringere, vel ei, &c. Si quis, &c. Datum Avenion. Calend. Nov. Pont. noſtri Anno 2.

## TITULUS IV
## DE REBUS ECCLESIÆ NON ALIENANDIS.
### CAP. UN.

*Bonorum Eccleſiaſticorum alienatio non tenet, & alienantes & recipientes ſunt excommunicati, Prælatiſque diverſa pœnæ imponuntur.*

Paulus Venetus *Papa II.* (*An. 1468. Romæ*),

Ambitioſæ a cupiditati, illorum præcipue, qui divinis & humanis affectati, damnatione poſtpoſita, immobilia & pretioſa mobilia Deo dicata, ex quibus Eccleſiæ, monaſteria & pia loca reguntur, illuſtranturque, & eorum miniſtri ſibi alimoniam vendicant, profanis uſibus applicare, aut cum maximo illorum ac divini cultus detrimento exquiſitis mediis uſurpare præſumunt, occurrere cupientes, omnium rerum & bonorum Eccleſiaſticorum alienationem, omneque pactum, per quod ipſorum dominium transfertur, conceſſionem, hypothecam, locationem & conductionem ultra triennium, necnon infeudationem vel contractum emphyteuticum, præterquam in caſibus a jure permiſſis, ac de rebus & bonis in emphyteuſim ab antiquo concedi ſolitis, & eum Eccleſiarum evidenti utilitate, ac de fructibus & bonis, quæ ſervando ſervari non poſſunt, pro inſtantis temporis exigentia, hac perpetuo valitura conſtitutione præſenti fieri prohibemus: prædeceſſorum noſtrorum conſtitutionibus, prohibitionibus, & decretis aliis ſuper hoc editis, quæ tenore præſentium innovamus, in ſuo nihilominus robore permanſuris. Si quis autem contra hujus noſtræ prohibitionis ſeriem de bonis & rebus eiſdem quicquam alienare præſumpſerit, alienatio, hypotheca, conceſſio, locatio, conductio & infeudatio hujuſmodi, nullius omnino ſint roboris vel momenti. Et tam qui alienat, quam is qui alienatas res & bona prædicta receperit, ſententiam excommunicationis incurrat. Alienanti vero bona Eccleſiarum, monaſteriorum, locorumque piorum quorumlibet inconſulto Roman. Pont. aut contra præſentis conſtitutionis tenorem, ſi Pontificali ſeu Abbatiali præfulgeat dignitate, ingreſſus Eccleſiæ ſit penitus interdictus. Et ſi per ſex menſes immediate ſequentes, ſub interdicto hujuſmodi animo (quod abſit) perſeveraverit indurato, lapſis menſibus eiſdem e regimine & adminiſtratione ſuæ Eccleſiæ vel monaſterii, cui præſidet in ſpiritualibus & temporalibus, ſit eo ipſo ſuſpenſus. Inferiores vero Prælati, Commendatarii, & aliarum Eccleſiarum Rectores, beneficia vel adminiſtrationem quomodolibet obtinentes, prioratibus, præpoſituris, præpoſitatibus, dignitatibus, perſonatibus, adminiſtrationibus, officiis, canonicatibus, præbendis, aliiſque Eccleſiaſticis cum cura & ſine cura ſecularibus & regularibus beneficiis, quorum res & bona alienarunt duntaxat, ipſo facto privati exiſtant, illaque abſque declaratione aliqua vacare cenſeantur, poſſintque per locorum ordinarios, vel alios, ad quos eorum collatio pertinet, perſonis idoneis (illis exceptis quæ propterea privatæ fuerint) libere de jure conferri, niſi alias diſpoſitioni Apoſt. ſedis ſint ſpecialiter aut generaliter reſervata: nihilominus alienatæ res & bona hujuſmodi ad Eccleſias, monaſteria & loca pia, ad quæ ante alienationem hujuſmodi pertinebant, libere revertantur. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam noſtræ prohibitionis & innovationis infringere, vel ei auſu temerario contraire. Si quis hoc attentare præſumpſerit, indignationem omnipotentis Dei, & beatorum Petri & Pauli Apoſtolorum ejus ſe noverit incurſurum. Datum Romæ apud ſanctum Marcum, An. Dom. Incarn. M. CCCC. LXVIII. Cal. Mart. Pontif. noſt. An. 4.

a *Vide Conc. Trident. ſeſſ. 25. de reform. cap. 11.*

## TITULUS V.
## DE EMPTIONE ET VENDITIONE.
### CAP. I.

*Contractus emptionis & venditionis annui cenſus, cum conditione revenditionis declaratur hic non eſſe uſurarius. Et in fine mandatur, quod hujuſmodi bulla publicetur.*

Martinus V. *venerabilibus Fratribus Treveren. & Lubicinen. ac Almicen. Epiſc.* (*An. 2420. Romæ in Germaniam*).

Regimini a univerſalis Eccleſiæ, quanquam immeriti, diſponente Domino præſidentes, curis angimur aſſiduis, ut juxta creditæ nobis diſpenſationis officium, ſubditorum quorumlibet paci & quieti (quantum nobis ex alto conceditur) intendamus. Et dubia, quæ

a *De materia hujus extravagantis vide gloſſ. & doctores in c. conqueſtus. de uſur. Butrium & Imolam in cap. ad noſtram. de empt. & vend. Anch. conſil. 30. incip. Dubitari ſolet. Felin. in c. ſi cautio. de fide inſtr. & Sot. l. 6. de juſt. & jur. q. 5. art. 3.*

quæ inter eos oriuntur pro tempore, ne litis anfractum, ſeu ſcandalorum parturiant fomentum, noſtro moderamine declarentur. Sane petitio dilectorum filiorum univerſorum cleri, nobilium, incolarum, & habitatorum civitatis & diœceſ. Vratislavien. nobis exhibita continebat, quod a centum annis citra, & ſupra, & a tanto tempore, & per tantum tempus, cujus contrarii memoria hominum non exiſtit, in eiſdem civitate & diœc. ac partibus aliis vicinis, quædam conſuetudo rationabilis obſervata, præſcripta, ac moribus utentium approbata, ad communem hominum utilitatem introducta fuiſſet. Pro quibus Princeps, Baro, miles, civis, ſive oppidanus partium earundem, cum hoc expedire videbatur, melius pro tunc non valentes ſibi conſulere, perſonæ Eccleſiaſticæ, aut ſeculari collegio, aut univerſitati, oppido vel civitati, ſuper bonis ſuis, dominiis oppidis, terris, agris, prædiis, domibus, & hæreditatibus vendere conſuevit, & vendidit annuos cenſus unius vel plurium marcarum, aut groſſorum Pragenſium nummi Polonici, & pagamenti conſueti, ad rationem, & pro qualibet marca annui cenſus X. XI. XIII. XIV. marcæ, aut plus vel minus, ſecundum temporis qualitatem, prout ipſi contrahentes tunc inter ſe convenerant. Ipſi venditori tunc integraliter in pecunia numerata ſolvi conſueverant, bonis in ipſo contractu tunc expreſſis, pro ipſius cenſus annui exolutione in perpetuum obligatis. Et ſemper in ipſis contractibus expreſſe ipſis venditoribus data fuit facultas atque gratia, quod ipſum annuum cenſum in toto vel in parte pro eadem ſumma denariorum, quam ab ipſis emptoribus receperunt, quandocunque vellent, libere abſque alicujus inquiſitione, contradictione, vel aſſenſu poſſent extinguere & redimere, ac ſe ab ipſius cenſus ſolutione extunc penitus liberare. Sed ad hoc hujuſmodi cenſus venditores inviti nequaquam per emptores arctari vel adſtringi valerent, etiam ipſis poſſeſſionibus & bonis obligatis penitus interemptis ſeu deſtructis. Fuitque, & eſt talis contractus emptionis & venditionis per Epiſcopos Vratislavien. pro tempore exiſtentes, & eorum Officiales, necnon per diverſos dominos temporales locorum & terrarum, in quibus cenſus hujuſmodi conſtituti exiſtunt, tanquam licitus & communi utilitati deſerviens, ſæpius confirmatus pariter & approbatus. Quod etiam ſuper hujuſmodi cenſibus plurima beneficia Eccleſiaſtica, collegia, canonicatus, & præbendæ, dignitates, perſonatus & officia, vicariæ, altaria numero pluſquam duo millia, de expreſſo conſenſu & voluntate dominorum temporalium, ſub quorum territoriis dicta bona obligata conſiſtunt, erecta, dotata, & fundata, authenticis eorundem dominorum temporalium literis, ſigillis ſigillatis & roboratis fore noſcuntur. Quodque etiam venditores eorundem cenſuum ſe nonnunquam ad ipſorum cenſuum ſolutionem, pœnis & cenſuris Eccleſiaſticis ordinariorum locorum ſponte & libere ſubmiſerunt: ſicuti etiam aliqui eorum tractu temporis compulſi fuerunt, & compelli conſueverunt. Tamen nonnulli ex venditoribus ipſis in arcum pravum converſi, cupientes cum alterius pecunia locupletari, hujuſmodi cenſus hucuſque per eos antea libere, & abſque ulla contradictione ſolutos, eiſdem emptoribus, tam Eccleſiaſticis, quam ſecularibus ſolvere contradicunt & recuſant, confingentes hujuſmodi emptionis & venditionis contractus fore & eſſe uſurarios & illicitos, ipſos emptores Eccleſiaſticos & ſeculares necnon collegia, canonicatus, & præbendas, & dignitates, perſonatus & officia, vicarias & altaria, ac beneficia hujuſmodi ipſorum annuorum cenſuum ſpoliant perceptione, & detinent ſpoliatos, in animarum ſuarum periculum, eorumque emptorum præjudicium, damnum & gravamen. Et propterea, an contractus emptionis & venditionis hujuſmodi liciti exiſtant, a nonnullis hæſitatur. Quare pro parte eorundem cleri, nobilium, incolarum, & habitatorum civitatis & diœceſ. Vratislavien. nobis fuit humiliter ſupplicatum, ut an contractus hujuſmodi liciti vel illiciti cenſeri debeant, declarare, & alias eis in præmiſſis opportune providere de benignitate Apoſtolica dignaremur. Nos igitur hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, quia etiam ex relatione dilecti filii noſtri Gulielmi tituli ſancti Marci Presbyteri Cardinalis, cui negotium hujuſmodi cum peritorum conſilio commiſimus examinandum, comperimus contractus hujuſmodi juridicos, & juxta determinationem doctorum licitos fore. Ad hujuſmodi ergo ambiguitatis tollendum dubium in præmiſſis, præfatos contractus, licitos, & juri communi conformes, ac ipſorum cenſuum venditores, ad illorum ſolutiones (remoto contradictionis obſtaculo) obligari, auctor. Apoſt. tenore præſentium ex certa ſcientia declaramus: Non obſtantibus præmiſſis, cæteriſque contrariis quibuſcunque. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam noſtræ declarationis infringere, vel ei auſu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præſumpſerit, indignationem omnipotentis Dei ac beatorum Petri & Pauli Apoſtolorum ejus ſe noverit incurſurum. Volentes, quod prædictæ literæ noſtræ debitum ſortiantur effectum, Fraternitati veſtræ per Apoſtolica ſcripta mandamus quatenus vos, vel duo aut unus veſtrum, per vos, vel alium ſeu alios, præfatis emptoribus in præmiſſis opportuni favoris præſidium efficaciter impendentes, dictaſque literas, ubi, quando & quoties expedire videritis, auctoritate noſtra ſolemniter publicantes, faciatis eadem auctoritate eiſdem emptoribus, vel ipſorum procuratoribus eorum nominibus, per venditores, ſeu debitores cenſuum hujuſmodi de præfatis cenſibus juxta contractuum & conventionum inter ipſos habitorum formam & tenorem, plenam & debitam ſatisfactionem impendi. Contradictores per cenſuram Eccleſiaſticam, appellatione poſtpoſita compeſcendo. Non obſtante ſi aliquibus communiter vel diviſim a ſede Apoſt. ſit indultum, quod interdici, ſuſpendi, vel excommunicari non poſſint, per literas Apoſtolicas non facientes plenam & expreſſam, ac de verbo ad verbum de indulto hujuſmodi mentionem. Datum Romæ, apud ſanctos Apoſt. 6. Nonas Jul. Pontific. noſt. Anno 8.

## CAP. II.

*Contractum quendam emptionis & venditionis præcedenti ſimilem declarat eſſe juri conſonum & ab uſuris alienum. Et tandem jubet præſentem bullam cunctis manifeſtari.*

Clemens III. *Epiſcop. Magdeburgen. Nurembergen. & Halberſtaden. Eccleſiarum Decanis. (an. 1455. Roma in Germaniam.)*

II. REgimini a univerſalis Eccleſiæ quamquam immeriti diſponente Domino præſidentes, curis angimur aſſiduis, ut juxta nobis crediti diſpenſationem officii ſubditorum quorumlibet paci & quieti (quantum nobis ex alto conceditur) intendamus; Et dubia, quæ inter eos oriuntur pro tempore (ne litium anfractus exinde, ſeu ſcandala proveniant) debito (prout juſtitia perſuaſerit) declarationis noſtræ miniſterio ſopiantur. Sane pro parte venerabilis fratris noſtri Joannis Epiſcopi Merſburgen. & dilectorum filiorum univerſi Cleri civitatis & diœceſis Merſburgen. nobis nuper exhibita petitio continebat: quod licet a tanto tempore, cujus contrarii memoria non exiſtit, in diverſis Alemaniæ partibus, pro communi hominum utilitate, inter habitatores & incolas partium earundem talis inoleverit, hactenuſque obſervata fuerit legitime præſcripta, ac moribus utentium & ordinariorum permiſſione, & plerunque expreſſa ratificatione approbata conſuetudo: quod ipſi habitatores & incolæ, ſive illi ex eis, quibus id pro ſuis

a *Vide Doct. in proxima præcedenti extravaganti citatos.*



UNED

ſuis ſtatu & indemnitatibus expedire viſum fuerit, ſuper eorum bonis, domibus, agris, prædiis, poſſeſſionibus, & hæreditatibus annuos marcarum, florenorum, ſeu groſſorum monetæ in partibus illis currentis, reditus ſeu cenſus vendentes pro ſingulis ex marcis, florenis ſive groſſis hujuſmodi ab eis, qui illas, vel illos, ſive reditus ſive cenſus ipſos emerint, certum competens pretium, in numerata pecunia ſecundum temporis qualitatem, prout ipſi vendentes & ementes in contractibus ſuper his inter ſe firmaverunt, & recipere ſoliti fuere, illa ex domibus, terris, agris, prædiis, poſſeſſionibus & hæreditatibus prædictis, qui in hujuſmodi contractibus expreſſi fuerunt, prædictorum ſolutione redituum & cenſuum efficaciter obligantes, in illorum vendentium favorem: Hoc adjecto, quod ipſi pro rata, qua hujuſmodi per eos receptam dictis ementibus reſtituerent in toto vel in parte pecuniam, a ſolutione redituum ſeu cenſuum hujuſmodi reſtitutam pecuniam contingentium, liberi forent penitus & immunes. Sed iidem ementes, etiamſi bona, domus, terræ, agri, poſſeſſiones, & hæreditates hujuſmodi proceſſu temporis ad omnimodæ deſtructionis ſive deſolationis reducerentur opprobrium, pecuniam ipſam etiam agendo repetere non valent. Apud aliquos tamen hæſitationis verſatur ſcrupulus, an hujuſmodi contractus liciti ſint cenſendi, Unde nonnulli illos uſurarios fore prætendentes, occaſionem quærunt reditus & cenſus hujuſmodi ab eis debitos non ſolvendi. Quare pro parte Epiſcopi & Cleri prædictorum, aſſerentium, quod in talibus hic emptis cenſibus & reditibus fructus, reditus & proventus plurium Eccleſiarum, monaſteriorum, hoſpitalium, & Eccleſiaſticorum beneficiorum, civitatis & diœceſis, ac partium prædictarum, necnon fere omnes quotidianæ diſtributiones, quæ in pleriſque ex Eccleſiis ipſis divinis intereſſentibus miniſtrari ſolent, conſiſtere noſcuntur: nobis fuit humiliter ſupplicatum, ut ſuper his Apoſtolicæ ſedis declarationis oraculum impertiri & adjicere paterna dilectione curaremus. Nos igitur hujuſmodi in hac parte ſupplicationi inclinati, & factas ex commiſſione felicis recordationis Martini Papæ quinti, prædeceſſoris noſtri, deſuper examinationem, & ejuſdem prædeceſſoris noſtri declarationem attentius perſtringentes, ſuiſque veſtigiis inhærentes, ad omne ſuper his ambiguitatis tollendum dubium, præfatos contractus licitos, jurique conformes, & vendentes eoſdem ad ipſorum ſolutionem cenſuum & redituum, juxta dictorum contractuum tenores (remoto contradictionis obſtaculo) efficaciter teneri, auctoritate Apoſtolica præſentium ſerie declaramus. Nulli ergo hominum liceat hanc paginam noſtræ declarationis infringere, vel ei auſu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præſumpſerit, indignationem omnipotentis Dei, & beatorum Petri & Pauli Apoſtolorum ejus ſe noverit incurſurum. Datum Romæ apud ſanctum Petrum, Anno incarnationis Dominicæ, M. CCCC LV. pridie Nonas Maij, Pontificatus noſtri Anno primo. Volentes itaque, quod prædictæ literę debitum ſortiantur effectum, fraternitati veſtrę per Apoſtolica ſcripta mandamus, quatenus vos, vel duo, aut unus veſtrum, per vos vel alium, ſeu alios, dictis Præpoſito, Decano, Capitulo, ac aliis beneficiatis, opportunæ defenſionis præſidio aſſiſtentes, dictaſque literas (ubi & quando, ac quoties expedire videritis) auctoritate noſtra ſolenniter publicantes, faciatis, & eadem auctoritate per venditores ſeu debitores redituum & cenſuum hujuſmodi dictis emptoribus, ſeu illis, quibus ipſorum redituum & cenſuum ſolutio præſtanda fuerit, de eiſdem cenſibus & reditibus juxta contractuum & conventionum ſuper his habitorum formam & tenorem, plenam & debitam ſatisfactionem impendi, contradictores vero per cenſuram Eccleſiaſticam appellatione poſtpoſita compeſcendo: non obſtante ſi aliquibus communiter vel diviſim a ſede Apoſt. indultum exiſtat, quod interdici, ſuſpendi, vel excommunicari, non poſſint, per literas Apoſtolicas non facientes plenam & expreſſam, ac de verbo ad verbum, de indulto hujuſmodi mentionem. Datum ut ſupra.

## *TITULUS VII.*

## DE SEPULTURIS

### CAP. I.

*Corpora defunctorum exenterantes, & ea immaniter decoquentes, ut oſſa a carnibus ſeparata ferant ſepelienda in terram ſuam, ipſo facto ſunt excommunicati.*

Bonifacius VIII. (*an.* 1300. *Romæ.*)

DEteſtandæ feritatis abuſum, quem ex quodam more *a* horribili nonnulli fideles improvide proſequuntur, nos piæ intentionis ducti propoſito, ne abuſus prædicti ſævitia ulterius corpora humana dilaceret, mentéſque fidelium horrore commoveat, & perturbet auditum, digne decrevimus abolendum. Præfati namque fideles hujus ſuæ improbandæ utique conſuetudinis vitio intendentes, ſi quiſquam ex eis genere nobilis, vel dignitatis titulo inſignitus, præſertim extra ſuarum partium limites debitum *b* naturæ perſolvat, in ſuis vel alienis remotis partibus ſepultura electa, defuncti corpus ex quodam ineptæ pietatis affectu truculenter exenterant, ac illud membratim, vel in fruſta immaniter concidentes, ea ſubſequenter aquis immerſa exponunt ignibus decoquenda. Et tandem ab oſſibus tegumento carnis excuſſo, eadem ad partes prædictas mittunt ſeu deferunt tumulanda Quod non ſolum divinæ Majeſtatis conſpectui abominabile plurimum redditur, ſed etiam humanæ conſiderationis obtutibus occurrit vehementius abhorrendum. Volentes igitur (prout officii noſtri debitum exigit) illud in hac parte remedium adhibere, per quod tantæ abominationis, tantæque immanitatis & impietatis abuſus penitus deleatur, nec extendatur ad alios; Apoſt. auctoritate ſtatuimus & ordinamus, ut cum quis cujuſcumque ſtatus aut generis ſeu dignitatis exiterit, in civitatibus, terris, ſeu locis, in quibus Catholicæ fidei cultus viget, diem decætero claudet extremum, circa corpora defunctorum hujuſmodi abuſus vel ſimilis nullatenus obſervetur, nec fidelium manus tanta immanitate fœdentur. Sed ut defunctorum corpora ſic impie ac crudeliter non tractentur, deferantur ad loca, in quibus viventes elegerint ſepeliri, aut in civitate, caſtro vel loco, ubi deceſſerint, vel loco vicino, Eccleſiaſticæ ſepulturæ tradantur ad tempus, ita quod demum incineratis corporibus, aut alias ad loca, ubi ſepulturam elegerint, deportentur & ſepeliantur in eis. Nos enim ſi prædicti defuncti executor vel executores, aut familiares ejus, ſeu quivis alii cujuſcunque ordinis, conditionis, ſtatus, aut gradus fuerint, etiam ſi pontificali dignitate præfulgeant, aliquid contra hujuſmodi noſtri ſtatuti & ordinationis tenorem præſumpſerint attentare, defunctorum corpora ſic inhumaniter & crudeliter pertractando, vel faciendo pertractari, excommunicationis ſententiam (quam exnunc in ipſos proferimus) ipſo facto ſe noverint incurſuros; a qua non niſi per Apoſtolicam ſedem (præterquam in mortis articulo) *c* poſſit abſolutionis beneficium obtinere. Et nihilominus ille, cujus corpus ſic inhumane tractatum fuerit, Eccleſiaſtica careat ſepultura. Nulli ergo, &c. Datum Lateran. XII. Cal. Martii Pont. noſt. Anno 6.

### CAP. II.

*Super prædicationibus, confeſſionibus & ſepulturis, providet hoc cap. ut tollat contentiones, quæ olim erant inter curatos*

a *Al. modo* b *Mori, eſt natura debitum ſolvere.* c *Vide Conc. Trid. ſeſſ. 14. c. 7. de caſuum reſervat.*

UNED

*tos ex una parte, & Jacobitas, & Chordigeros ex altera. Hoc cap. li et fuiſſet ſublatum per extravagantem, Inter cunctas, quæ eſt infra de privil. eſt tamen hodie innovatum per Clem. Dudum. de ſepult.*

Bonifacius VIII.

SUper cathedram præeminentiæ paſtoralis divina diſponente clementia conſtituti, etſi multis & arduis, quæ in amplum Romanæ curiæ alveum undique confluunt quaſi torrens, prægravemur negotiis, curis excitemur innumeris, cogitationibus plurimis diſtrahamur: circa id tamen ferventibus votis intendimus, vacamus inſtantius, ac operoſæ ſtudium ſolicitudini impertimur, ut ad divini nominis gloriam, exaltationem catholicæ fidei, & profectum fidelium animarum (præciſis radicitus diſſidiorum vepribus, & litigiorum anfractibus omnino ſubductis (inter Eccleſiarum antiſtites, ad curam & regimen gregis Dominici deputatos, cæteraſque perſonas, quas ordo clericalis includit, pacis tranquillitas vigeat, fervor charitatis exaſtuet, invaleſcat concordiæ unitas, animorum indentitas perſeveret. Scimus enim & ex evidentia facti colligimus, quod non niſi in pacis tempore bene colitur pacis auctor: nec ignoramus, quod diſſenſiones & ſcandala pravis actibus aditum præparant, rancores & odia ſuſcitant, & illicitis moribus auſum præbent. Ab olim ſiquidem inter Prælatos & Rectores, ſeu Sacerdotes, ac Clericos parochialium Eccleſiarum per diverſas mundi provincias conſtitutos ex una parte, & Prædicatorum & Minorum ordinum fratres ex altera (pacis æmulo ſatore zizaniæ procurante) gravis & periculoſa diſcordia extitit ſuſcitata, ſuper prædicationibus fidelium populis faciendis, eorum confeſſionibus audiendis, pœnitentiis injungendis eiſdem, & tumulandis defunctorum corporibus, qui apud fratrum ipſorum Eccleſias ſive loca noſcuntur eligere ſepulturam. Nos autem (pii patris more laudabili) moleſte ferentes incommoda filiorum, reducentes ad exactæ conſiderationis examen, ac intra pectoris clauſtra ſolicite revolventes, quam ſit plena periculis, quam onuſta diſpendiis, quamque in divinæ majeſtatis conſpectu reddatur exoſa diſcordia ſupradicta: Et propterea intendentes paternæ ſolicitudinis ſtudio illam prorſus evellere, ac omnimode ſubmovere, nullis unquam futuris temporibus favente Domino ſuſcitandam: grandi quoque deſiderio cupientes, ut hujuſmodi negotium, quod potiſſime inſidet cordi noſtro, finem ſalubrem & celerem per Apoſtolicæ ſolertiæ ſtudium conſequatur: diligenti cum fratribus noſtris deliberatione præhabita ſuper eo, ad honorem Dei, & exaltationem catholicæ fidei, quietum ſtatum partium prædictarum, ac ſalutis animarum fidelium incrementum, de ipſorum fratrum conſilio, auctoritate Apoſtolica ſtatuimus & ordinamus, ut dictorum ordinum fratres in Eccleſiis & locis eorum, ac in plateis communibus libere valeant Clero & populo prædicare ac proponere verbum Dei, hora illa duntaxat excepta, in qua locorum Prælati prædicare voluerint, vel coram ſe facere ſolenniter prædicari, in qua prædicare ceſſabunt, præterquam ſi aliud de Prælatorum ipſorum voluntate proceſſerit, ac licentia ſpeciali. In ſtudiis autem generalibus, ubi ſermones ad Clerum ex more fieri ſolent, diebus illis, quibus prædicari ſolenniter conſuevit, ad funera etiam mortuorum, & in feſtis ſpecialibus ſive peculiaribus eorundem fratrum, poſſint iidem fratres, & liceat eis libere prædicare: niſi forte illa hora, quæ ſolet ad Clerum in prædictis locis Dei verbum proponi, Epiſcopus vel Prælatus ſuperior Clerum ad ſe generaliter convocaret, aut ex aliqua ratione vel Cauſa urgente Clerum ipſum duceret congregandum. In Eccleſiis autem parochialibus fratres illi nullatenus audeant vel debeant prædicare, vel proponere verbum Dei, niſi fratres prædicti a parochialibus Sacerdotibus invitati fuerint vel vocati: & de ipſorum beneplacito & aſſenſu, ſeu petita licentia fuerit & obtenta, niſi Epiſcopus vel Prælatus ſuperior, per eoſdem fratres prædicari mandaret. Statuimus etiam & ordinamus auctoritate prædicta, ut in ſingulis civitatibus & diœceſibus, in quibus loca fratrum ipſorum conſiſtere dignoſcuntur, vel in civitatibus & diœceſibus locis ipſis vicinis, in quibus loca hujuſmodi non habentur, Magiſtri, Priores, Provinciales prædicatorum, aut eorum Vicarii & generales & Provinciales Miniſtri, & Cuſtodes minorum ordinum prædictorum, ad præſentiam Prælatorum eorundem locorum ſe conferant, per ſe vel per fratres, quos ad hoc idoneos fore putaverint, humiliter petituri, ut fratres qui ad hoc electi fuerint, in eorum civitatibus & diœceſibus confeſſiones ſubditorum ſuorum confiteri ſibi volentium audire libere valeant, & hujuſmodi confitentibus (prout ſecundum Deum expedire cognoverint) pœnitentias imponere ſalutares, atque eiſdem abſolutionis beneficium impendere de licentia, gratia, & beneplacito eorundem. Ac deinde præfati Miniſtri, Priores, Provinciales, & Miniſtri ordinum prædictorum, eligere ſtudeant perſonas ſufficientes, idoneas, vita probatas, diſcretas, modeſtas, atque peritas, ad tam ſalubre miniſterium & officium exequendum: quas ſic ab ipſis electas repræſentent, vel faciant præſentari Prælatis, ut de eorum licentia, gratia, & beneplacito in civitatibus & diœceſibus eorundem hujuſmodi perſonæ ſic electæ confeſſiones confiteri ſibi volentium audiant, imponant pœnitentias ſalutares, & beneficium abſolutionis impendant, prout ſuperius eſt expreſſum: extra civitates & diœceſes, in quibus fuerint deputatæ, per quas eas volumus, & non per provincias deputari, confeſſiones nullatenus audituræ. Numerus autem perſonatum aſſumendarum ad hujuſmodi officium exercendum eſſe debet, prout univerſitas Cleri & populi, ac multitudo vel paucitas exigit eorundem. Et ſi iidem Prælati petitam licentiam confeſſionum hujuſmodi audiendarum conceſſerint, illam præfati Magiſtri, Miniſtri, & alii cum gratiarum recipiant actione, dictæque perſonæ ſic electæ commiſſum ſibi officium exequantur. Quod ſi forte jam dicti Prælati quenquam ex dictis fratribus præſentatis eidem ad hujuſmodi officium nollent habere, vel non ducerent admittendum, eo amoto vel ſubtracto, loco ipſius ſimiliter eiſdem præſentandus Prælatis poſſit & debeat alius ſurrogari. Si vero iidem Prælati præfatis fratribus ad confeſſiones (ut præmittitur) audiendas electis, hujuſmodi exhibere licentiam recuſarint, nos exnunc ipſis, ut confeſſiones ſibi confiteri volentium libere liciteque audire valeant, & eiſdem pœnitentias imponere ſalutares, atque eiſdem beneficium abſolutionis impertiri, gratioſe concedimus, de plenitudine Apoſtolicæ poteſtatis. Per hujuſmodi autem conceſſionem nequaquam intendimus perſonis ſeu fratribus ipſis, ad id taliter deputatis, poteſtatem in hoc impendere ampliorem, quam in eo curatis vel parochialibus Sacerdotibus eſt a jure conceſſa, niſi forſan eis Eccleſiarum Prælati uberiorem in hac parte gratiam ſpecialiter ducerent faciendam. Hujuſmodi quoque ſtatuto, & ordinationibus noſtris adjicimus, ut fratres dictorum ordinum in Eccleſiis vel locis ſuis, ubilibet conſtitutis, liberam (ut ſequitur) habeant ſepulturam: videlicet, quod omnes ad eam recipere valeant, qui ſepeliri elegerint in locis & Eccleſiis memoratis. Verum, ne parochiales Eccleſiæ, & ipſarum curati ſive Rectores, qui miniſtrare habent Eccleſiaſtica ſacramenta, quibus noſcitur de jure competere, prædicare, ſeu proponere verbum Dei, confeſſiones audire fidelium, debitis & neceſſariis beneficiis defraudentur, cum operariis mercedis exhibitio debeatur: Auctoritate Apoſtolica conſtituimus & ordinamus eadem, ut dictorum ordinum fratres de obventionibus omnibus tam funeralibus,

quam quibuſcunque & quomodocunque relictis, diſtincte vel indiſtincte, ad quoſcunque certos vel determinatos uſus, de quibus etiam quarta ſive canonica portio dari, ſive exigi non conſuevit, vel non debet de jure, nec non de datis vel qualitercunque donatis in morte, ſeu mortis articulo in infirmitate donantis vel dantis, de qua deceſſerit, quomodocunque, directe vel indirecte, fratribus ipſis, vel aliis pro eiſdem, quartam partem (quam auctoritate Apoſtolica taxamus, & etiam limitamus) parochialibus Sacerdotibus & Eccleſiarum Rectoribus ſeu curatis largiri integre teneantur, facturi & curaturi, quod nec alii, nec aliis, a quibus quarta hujuſmodi minime deberetur, ad ipſorum fratrum utilitatem vel commodum hujuſmodi fiant relicta, aut in eos taliter data vel donata procedant, ſeu quod in morte, vel ab infirmis hujuſmodi dandum vel donandum fratribus ipſis exiſteret, in eorundem dantium vel donantium ſanitate, ſibi dari vel donari procurent: In quibus per ipſos vitandis eorum intendimus conſcientias onerare, ut ſi (quod abſit) per fratres ipſos dolo vel fraude quicquam in hac parte agi fortaſſe contigerit (præter id quod eos propterea dictis Sacerdotibus, Rectoribus, & curatis teneri volumus) etiam diſtricta ratio in extremi judicii examine requiratur ab eis. Ultra portionem autem hujuſmodi nihil valeant parochiales Rectores, curati & Prælati exigere ſupradicti, neque illis dicti fratres amplius impendere ſint adſtricti, neque ad id a quoquam poſſint aliqualiter coerceri. Nos etenim (ut in cunctis æqualiter & pacifice favente Domino procedatur) univerſa privilegia, gratias, indulgentias, verbo ſeu ſcripto ſub quacunque forma, vel expreſſione, ſeu conceptione verborum, a nobis, vel prædeceſſoribus noſtris Romanis Pontificibus, cuicunque ordinum prædictorum conceſſa, necnon conſuetudines, conventiones, ſtatuta & pacta, in quantum ſunt præmiſſis, vel alicui præmiſſorum contraria, ea penitus revocamus, vacuamus, caſſamus, & irritamus, quinimo caſſa, vel vacua, & irrita nuntiamus, & decernimus nullius prorſus exiſtere firmitatis. Cæterum univerſos, Eccleſiarum Prælatos, cujuſcunque præeminentiæ, ſtatus, vel dignitatis exiſtant, ac Sacerdotes parochiales, & curatos, ſive Rectores prædictos præſentium tenore rogamus, & hortamur attente, nihilominuſque eis diſtricte præcipiendo mandamus, quatenus pro divina & Apoſtolicæ ſedis reverentia prædictos ordines & Profeſſores eorum habentes affectu benevolo commendatos, fratribus ipſis non ſe difficiles, graves, duros, aut aſperos, ſed potius favorabiles, propitios, ac benignos, piaque munificentia liberales ſe ſtudeant exhibere: ſic eos in prædicationis officio, & propoſitionibus verbi Dei, ac in omnibus aliis ſupradictis, tanquam cooperatores eorum idoneos, & laborum ſuorum participes prompta benignitate recipiant, ac affectuoſe admittere non omittant: ut proinde illis æternæ beatitudinis præmium augeatur, & animarum ſalutis incrementa felicia procurentur. Nec ipſos lateat, quod ſi ſecus ab eis agi fortaſſe contigerit in hac parte, Apoſtolicæ ſedis benignitas, quæ ordines & profeſſores eoſdem ubere favore proſequitur, & gerit in viſceribus charitatis, contra eos non immerito turbaretur, nec eadem æquanimiter pati poſſet, quin ſuper hoc proviſionis opportunæ remedium adhiberet, ipſoſque nihilominus cœleſtis indignatio Principis digna pro meritis rependentis, cujus obſequia fratrum ipſorum ſedulitas curioſa proſequitur, minime præteriret. Nulli ergo omnino, &c.

---

## TITULUS VII.
## DE DECIMIS.
### CAP. UN.

*Cum Bonif. cius decimam certis ex cauſis in principio expreſſis, ab Eccleſiis & Eccleſiaſticis perſonis exigi ſtatuiſſet, multa dubia circa illam ſuborta ſunt, quæ hic clare & prolixe manifeſtantur, vide textum cum gl. in Clem. 2. eod. tit. ubi hæc extravagans in multis declaratur.*

Bonifacius VIII. *collectori decimæ. (An. 1300. in Latio.)*

DEclarationes, quas in negotio decimæ per nos nuper impoſitæ pro proſecutione guerræ ac negotii regni Siciliæ contra hoſtes, de Eccleſiis & perſonis Eccleſiaſticis per totam Italiam & cætera loca conſtitutis, volumus obſervari (cujus quidem decimæ in illis partibus te ſuperintendentem ſeu collectorem duximus deputandum) tales ſunt: De reditibus & proventibus leproſariorum, domorum Dei, & hoſpitalium pauperum, qui in uſus leproſorum, infirmorum, & pauperum convertuntur, decima non ſolvetur. Moniales etiam aliæque regulares perſonæ, quarum reditus & proventus Eccleſiaſtici adeo ſunt tenues & exiles, quod de illis ſuſtentari non poſſunt, ſed pro habendo vitæ ſuæ ſuſtentationem neceſſe habent publice mendicare, & eleemoſynas publice petere, dictam decimam non perſolvent. Seculares quoque Clerici, quorum Eccleſiaſtici reditus, & proventus annui ſummam ſeptem florenorum auri non excedunt, eandem decimam non præſtabunt. Si vero una perſona plura habeat beneficia, quorum nullum per ſe acceptum dictam ſummam ſeptem florenorum auri annuatim attingat, ſimul tamen collecta in minimis proventibus ſummam memoratam excedant, quotquot, vel quantumcunque modica fuerint, de omnibus & ſingulis decima perſolvetur, ſed non ſolvetur de pitantiis Monachorum. Similiter de his, quæ a Chriſti fidelibus relinquuntur Eccleſiis, ut ex eis perpetui emantur reditus. Item de xeniis Prælatis & aliis perſonis Eccleſiaſticis liberaliter factis, decima non ſolvatur. Solventium decimam electioni ſeu arbitrio committitur, utrum ipſam velint ſolvere per totum tempus, quod durabit decima, pro rata proventuum, quos ſingulis annis dicti temporis ipſos percipere contigerit, an per ipſum tempus pro rata communis æſtimationis proventuum eorundem. Sed una via electa non licebit alicui variare ad aliam revertendo. Et fiat & redigatur per collactores in ſcriptis electio hujuſmodi expreſſe in prima ſolutione decimæ ſupradictæ: alioquin juxta æſtimationem communem per totum tempus ſolvere tenebuntur. Declaramus autem, quod hi, qui elegerint ſolvere decimam pro rata eorum, quæ perceperint annuatim, vendant proventus beneficiorum ſuorum, quæ perſonalem reſidentiam non requirunt, & ſolvant decimam pro ſolo pretio, quod receperint de eiſdem: dum tamen contra hoc in fraudem decimæ nihil omnino agatur. Sed Eccleſiaſtica perſona, quæ in Eccleſia ſua, vel beneficio (quod reſidentiam perſonalem requirit) non reſidet, ſed facit in eodem per Firmarium vel Vicarium deſerviri, deputando ipſi Vicario vel Firmario certam ſuorum proventuum portionem: non de vicariatus ſeu firmarii portione, ſed de univerſis ipſius Eccleſiæ vel beneficii proventibus decimam exhibebit. Declaramus etiam, quod de ſylvis ſeu nemoribus, quæ non conſueverunt vendi, nil ſolvetur, niſi forte aliquid de illis venditum fuerit durante decima: & tunc æſtimabitur, quantum valere debent annui reditus partis venditæ ſecundum aſſiſam, quæ conſuevit fieri de nemoribus in partibus illis, in quibus nemus ſituatum fuerit, & de ſola æſtimatione decima perſolvetur, & non de eo quod perciperetur de dictis ſylvis ſeu nemoribus, quæ vendi non conſueverunt, niſi forte vendantur durante decima, quæ tunc ſolvetur ex venditione paſcuagii ſeu herbagii) aut alterius conſimilis proventus eorundem nemorum & ſylvarum. Et ſi non vendantur hujuſmodi paſcuagia & ſimilia, non ſolvetur decima de his: ita

ita tamen, quod in fraudem decimæ nihil contra hoc attentetur. Idemque de paſcuis, herbagiis, & conſimilibus obventionibus ſylvarum volumus obſervari. De ſtagnis & piſcariis decima ſic ſolvetur, videlicet quod fiet relatio de numero annorum, quibus ante venditionem ultimam vendita non fuerunt, ad quantitatem pretii ex ipſa venditione ultima recepti: ut pretio diviſo in partes ſecundum annorum terminum, durante decima, ſolvatur decima ipſa de tot partibus pretii ex ipſa venditione recepti, quot fuerunt anni prædicti, ut ſi forte ſunt quinque anni elapſi, ex quo fuerit ſtagnam venditum, & tunc vendatur pro centum florenis, fiant de pretio quinque partes, & pro tribus annis, quibus durabit decima, ſolvetur ipſa decima de tribus partibus pretii tantum, videlicet LX. florenorum, & multiplicabuntur, & minuentur partes pretii, prout plures & pauciores fuerint dicti anni. De piſcariis autem fluminum & lacuum, & venationibus ſi vendantur, & ſylvis cæduis, idem quod de ſtagnis fiet. De piſcibus ſtagnorum, vel belluis garenarum, quos pro uſu vel eſu ſuo conſumi, vel ſine fraude donari contigerit, decima non ſolvetur. Et quia nonnulli obtinent a monaſteriis & Eccleſiis prioratus, grangias, domos, reditus, penſiones & cenſus, in ſolvenda de his decima credimus diſtinguendum: videlicet, an talia in beneficium habeantur, an ex contractu, an ex mera gratia. Si talia in beneficium habeantur, ſive hoc ſit conceſſum per ſedem Apoſtolicam, ſive per ipſorum monaſteriorum vel Eccleſiarum perſonas, de illorum proventibus ſolvetur decima. Cum autem obtinentur talia ex contractu, puta ad penſionem, vel firmam annuam, in qua non eſt facta gratia obtinenti, ſed in hoc uterque contrahentium ſtuduit conditionem ſuam facere meliorem: perceptores penſionis vel firmæ de ipſa penſione vel firma decimam exhibebunt. Si autem quis ante vel poſt conceſſionem hujus decimæ ad vitam propriam emit proventus Prioratuum, vel aliorum prædictorum pro aliqua pecunia, ita quod in hoc ei ſcienter gratia non eſt facta, conſiderabitur quantum æſtimatione communi veleant annui proventus, prioratus, grangiæ, domus, terrarum ſeu redituum hujuſmodi, & ſecundum hoc ab illis, quorum eſt horum proprietas, qui inde pretium pro futuro tempore receperint, per tres annos decima exhibebitur. Si autem in his gratia facta ſit obtinentibus, quia ſcienter pro minori pretio, quam valeant, ſunt talia vendita, vel locata, ipſi obtinentes, & non monaſterium vel Eccleſia de illo, in quo gratia facta eſt ipſis, & de reliquo illi, quorum eſt proprietas, decimam exhibebunt. Si autem perſonis aliquibus pro juſta mercede ſeu remuneratione laboris vel obſequii præſtiti vel præſtandi talia ſunt conceſſa, ii, quorum eſt illorum proprietas in decimatione proventuum ſuorum, etiam horum proventus merito numerabunt, & de illis (ſicut de aliis, quos pro certis ſuis utilitatibus expendunt) decimam exhibebunt. Quod ſi hæc per illos, qui ea obtinebant, in alios ſunt translata, (quia res tranſit cum onere ſuo) etiam circa illos, quæ prædiximus, ſervabuntur. Nec deducentur expenſæ quæ pro Monachis (qui in talibus prioratibus, grangiis, ſeu domibus, in beneficium ſeu ex mera gratia conceſſis, ex pacto teneri debent) fieri dignoſcuntur. Expenſæ autem illorum Monachorum vel perſonarum, quæ teneri debent ex pacto in Prioratibus, grangiis ſeu domibus ad juſtam firmam ſeu penſionem conceſſis, ſive determinate, ſive non, æſtimabuntur æſtimatione communi, & talem æſtimationem monaſterium vel Eccleſia, cujus illorum eſt proprietas, cum ſuis proventibus decimabit. Prælati de procurationibus, quas in victualibus percipiunt, decimam non perſolvent: ſed qui eis præſtant hujuſmodi victualia, in decimatione ſuorum proventuum & redituum numerabunt, & ſolvent decimam de eiſdem. De illis autem procurationibus, quas Prælati in pecunia numerata rite percipiunt ab antiquo, & quas perciperent, etiamſi non viſitarent, decimam præſtare tenentur. Prælatus autem, qui procurationem (quam ſine viſitatione potuit de jure percipere in pecunia numerata) remittit: quia remittit quod ſibi debetur, & de quo ſolviſſet decimam, ſi recepiſſet illud, tenetur ex tali procuratione decimam exhibere. Si vero procurationem, quam tantum in victualibus licet percipi, fortaſſe remittit, perſona Eccleſiaſtica, cui remiſſio facta eſt, hujuſmodi victualia cum aliis proventibus ſuis, cum ſolvet, decimam æſtimabit: cum etiamſi non eſſet remiſſa, hoc facere teneretur. In ſolvendo decimam ſupradictam ſolæ expenſæ neceſſariæ, quæ fiunt in re, ex qua fructus percipiuntur arando, colendo, & colligendo fructus, ſine quibus non poſſunt inde fructus percipi, deducentur. Expenſæ autem, quæ fiunt in caſtrorum cuſtodibus, cum fiunt extra rem, vel etiam in ædificiis conſtruendis vel conſervandis, nullatenus deducentur: ſicut nec illæ, quæ in villis tuendis fierent in guerris ſeu etiam cavalcatis. De iis quoque, quæ conſiſtunt in juriſdictione, mero imperio, regalibus atque ſimilibus, ſolvetur decima deductis ſalariis moderatis, quæ ante conceſſionem decimæ conſueverunt ſolvi Judicibus & Officialibus, ſimilibuſque perſonis, ſine quibus juriſdictio, & cætera ſimilia nequeunt expediri: ita tamen, quod in fraudem decimæ nihil contra hoc penitus attentetur. Sed expenſæ Officialium, Judicum & conſimilium perſonarum, factæ in veſtibus ſive victualibus, minime deducentur, ſicut nec aliæ expenſæ ſimiles factæ circa familiam Prælatorum. Ratione autem æris alieni, quo perſona ſolvens decimam obligata conſiſtit, nihil de decima minuetur, etiamſi certæ res Eccleſiaſticæ propter hoc a quoquam fuerint obligatæ. Item de furnis, & de molendinis decima præſtabitur. Solvetur autem de oblationibus, ſive fiant pro benedictione nubentium, ſivei pro exequiis mortuorum, necnon de proventibus ſingulorum Prælatorum, & de emendis, quæ ab excommunicatis recipiuntur. De Legatis quoque ſibi & aliis perſonis Eccleſiaſticis non perſonarum, ſed Eccleſiarum, vel officiorum ratione relictis, decima perſolvetur. Pro decima ſupradicta non exhibebitur pecunia, niſi illa communiter curreret de mandato Domini terræ, & quæ eſt moneta in locis, in quibus conſiſtent fructus & reditus unde decima perſolvetur, nec aliqui pecuniam cambire cogentur eandem. Sed ſi ex probabilibus ſeu veriſimilibus præſumptionibus apparuerit, quiſquam penſatis ejus proventibus minus debito notabiliter de decima perſolviſſe, ita quod ſuper hoc merito ſuſpectus debeat reputari: ex officio noſtro per viros idoneos deputandos a nobis faciemus inquiri ab illis, qui ſuper hoc ſcire valeant veritatem, videlicet de conſilio diœceſani Epiſcopi, vel alicujus deputandi ab ipſo, ſit ſit ejus ſubditus, & non aliter, ſi Epiſcopus ipſe vel deputatus ab eo commode poſſit haberi: & tunc demum, & non prius, ille, cujus proventus fuerint taliter æſtimati, pro eo quod minus ſolverit, etiam nominatim excommunicabitur: ſi ejus contumacia exegerit, & viſum fuerit expedire. Epiſcopi autem & Abbates cæteræque perſonæ Eccleſiaſticæ, honorabiles non ſuſpectæ, propriæ conſcientiæ relinquantur: ita quod ſufficiat quoad tales excommunicationis ſententia, quæ in nullo modo ſolventes, vel ſcienter adhibentes fraudem vel malitiam circa ipſius decimæ ſolutionem generaliter proferetur. Super his autem fiet compulſio per cenſuram Eccleſiaſticam, prout nobis & illi, cui hoc committendum duxerimus, viſum fuerit expedire. Proferatur autem (ſi expediens viſum fuerit) excommunicatio generaliter vel ſpecialiter in eos, qui contra ſolutionem decimæ vel ſuorum æſtimationem proventuum, cum fuerit facienda, fraudem vel malitiam ſcienter duxerint adhibendam.



UNED

§. 1. Fiet autem ſolutio decimæ non ex ipſis rebus, quæ percipiuntur de proventibus, ſed in pecunia numerata.

§. 2. Solvetur autem decima illis, quos ad hæc contigerit deputari.

Rector parochialis, qui urgente neceſſitate Eccleſiæ, puta quia ipſe reſidendo perſonaliter in eadem per ſe non ſufficeret ipſi curæ propter multitudinem parochianorum vel diviſionem parochiæ ſuæ, ſed neceſſe habet unum, vel duos, vel plures Capellanos conducere, & eis propter victum ſalarium conſtituere, ſalarium hujuſmodi poterit in decimæ ſolutione deducere: ſed ratione victus Capellanorum ipſorum aliquid non deducet.

§. 3. Quod ſi in diverſis civitatibus & diœceſib. diverſa beneficia obtineantur, de unoquoque beneficio in civitate vel diœceſi, in qua illud fuerit, decima perſolvetur.

§. 4 De eleemoſynis vero ſeu oblationibus datis ad opus fabricæ, maxime de his oblationibus, quæ in civitatibus & aliquibus caſtris & locis dictarum provinciarum in certis feſtivitatibus, in candelis & aliis conſueverunt dari & offerri ad opus fabricæ deputatis, decima non ſolvetur.

§. 5. Similiter nec de illis oblationibus, quæ colliguntur interdum per Laicos, qui conſortiales dicuntur, interdum per Clericos, quæ ad opus conſortii reducuntur, & quæ offeruntur ut luminaria in Eccleſia, cruces & calices fiant & reparentur, & etiam ex illis pauperibus ſubveniatur, & ſepeliantur corpora pauperum defunctorum. Prælati autem & Clerici exules, cujuſcunque conditionis aut dignitatis exiſtant, de ſuis proventibus Eccleſiaſticis decimam perſolvent. Illæ quoque expenſæ, quæ fiunt pro foſſatis & alias, pro terris ædificandis, ut uberiores fructus producant, & illæ quæ fiunt in conſervandis & reparandis ædificiis molendinorum, domorum, ſeu apothecarum & ſimilium, & ex quibus fructus & penſiones recipiuntur, & niſi repararentur, fructus ex eis percipi non valerent: de decima hujuſmodi minime deducentur. Nec etiam illæ, quæ fiunt pro cuſtodia caſtrorum, quamvis fiant majores ſolito.

§. 6. Inſuper de oblationibus minutiſſimis, quas percipiunt Eccleſiaſticæ perſonæ ratione Eccleſiarum ſuarum, pro ſepulturis & dandis pœnitentiis, decima perſolvetur. Et quia non occurrit nobis, quin quotidianæ diſtributiones proventus Eccleſiaſtici ſint, de diſtributionibus quæ dantur in horis canonicis præſentibus, debere ſolvi decimam declaramus.

§. 7. Illi quoque qui deputati fuerint ad collectionem decimæ, cum eis qui debent ſolvere decimam, de aliqua certa ſumma ſolvenda pro decima, nequeunt convenire.

§. 8. De fructibus arborum & hortorum ſolvetur decima.

§. 9. De his autem, quæ conſumuntur uſu vel eſu animalium, ſi ſint Eccleſiarum, ſolvetur decima, deductis expenſis neceſſariis, quæ fiunt pro cuſtodia: ſi vero ſunt perſonarum, decima non ſolvetur.

§. 10. Tu ergo in his ſolum Deum & juſtitiam pro præmiſſis præ oculis habens, ex prædictis declarationibus in decidendis hujuſmodi dubitationibus, quæ pro parte leviter decidi poterunt, confirmationem accipias: ſuper majoribus vero deciſionem Apoſtolici oraculi expectes.

§. 11. Volumus quoque & præſentium tibi auctoritate mandamus, ut in unamquamque perſonam Eccleſiaſticam deputatarum tibi partium, cujuſcunque ordinis, conditionis, vel dignitatis exiſtat, quæ decimam ipſam nullo modo vel non integre ſcienter, aut non ſecundum verum valorem fructuum ſuorum perceptorum, ſive non in terminis conſtitutis exhibuerint, ſeu in illorum exhibitione malitiam commiſerit ſive fraudem, excommunicationis ſententiam auctoritate noſtra promulges: Et etiam in ſingulos, qui ſcienter impedimentum præſtiterint, directe vel indirecte, publice vel occulte quo minus decimæ prædictæ ſolvantur. Et omnes & ſingulos, qui hujuſmodi ſententias latas incurrerint: per te & alios, ſingulis diebus Dominicis & feſtivis, pulſatis campanis, & candelis accenſis, uſque ad ſatisfactionem condignam excommunicatos publice nunties, & facias ab omnibus publice evitari: Aggravaturus alias manus tuas contra ipſos prout proterviam & contumaciam exigere videris eorundem: quod ſi ſatisfacere decreverint, poſt plenam & integram ſatisfactionem ab hujuſmodi excommunicationibus juxta Eccleſiæ formam abſolves eoſdem, & diſpenſes cum eis ſuper irregularitate, ſi taliter ligati non abſtinuerint a divinis: Proviſo hactenus, quod contra decimam hujuſmodi non ſolventes nullatenus ſine ſpeciali mandato Apoſtolicæ ſed. invocetur brachium ſeculare. Quodque ad vaſa ſacra, paramenta, calices, cruces, & libros, aliaque bona mobilia ad cultum deputata divinum, vel ad privilegia Eccleſiarum & monaſteriorum, aliorumque locorum Eccleſiaſticorum, ipſius occaſione decimæ manus nullatenus extendatur. Data Anagniæ Cal. Octobr. Pont. noſt. Anno 7.

---

## *TITULUS VIII.*
## DE REGULARIBUS ET TRANSEUNTIBUS AD RELIGIONEM.

### CAP. I.

*Religioſi mendicantes ſub excommunicationis pœna prohibentur convolare ad religionem non mendicantium, quocunque quæſito colore, quam ipſo facto incurrant tam recepti, quam recipientes, quacunque licentia non obſtante, Quid juris ſit de jam receptis, ſubdit.*

Martinus IV. (*An.* 1281.)

Viam ambitioſæ cupiditatis religioſis, potiſſime mendicantium præcludere cupientes, ad alios ordines, præſertim monaſticos (fucatis tamen coloribus aſſerentibus ob frugem melioris vitæ, aut arctioris obſervantiæ) tam ſancti Benedicti, quam Ciſtercienſis, Camaldulenſis, Vallis umbroſæ, Canonicorum regularium ſancti Auguſtini, vel aliorum monaſteriorum ordinum convolare nitentibus, licentiam a ſede Apoſtolica ſeu Legatis aut Nuntiis ejuſdem ſed. ad transferendum ſe de mendicantium ordinibus ad alios ordines, præſertim ea ratione (ut veriſimile eſt, prout facti evidentia docet) ut liberius degant, dignitateſque & beneficia monaſtica conſequi valeant, & ex certis aliis cauſis honeſtati non conſonis obtinentibus. Ac volentes etiam conſervationi ordinum mendicantium providere: auctoritate Apoſtolica ex certa ſcientia tenore præſentium declaramus & etiam decernimus, ſtatuentes, quod decætero nullus religioſus ordinum mendicantium quorumcunque, cujuſcunque gradus, ſtatus, conditionis, vel religionis exiſtat, quantumcunque & qualitercunque poſſit & debeat virtute cujuſcunque licentiæ, etiam indulti Apoſtolici ſeu Pœnitentiarii noſtri curam gerentis, vel alia quavis auctoritate hactenus, etiam per literas Apoſtolicas facultatum quarumvis tam Legatorum vel Nuntiorum ſed. Apoſtolicæ quam alia auctoritate, maxime de transferendis fratribus, aut aliquibus præſertim ordinum mendicantium profeſſoribus in genere vel in ſpecie ab ordinibus hujuſmodi mendicantium, ſub quacunque verborum forma appareant, admitti aut recipi per aliquos etiam ſuperioris ordinis, ſeu monaſterii, aut loci monaſtici, ſeu alias in Monachum vel in fratrem alicujus ex ordinibus monaſticis ſupradictis vel aliis expreſſis (ordine Charthuſienſum duntaxat excepto) ſub pœna excommunicationis: quam tam recipientes, quam recepti ipſo facto incurrunt. Et quam exnunc prout extunc contra quemlibet transgreſſorem quomodolibet in præmiſſis, ſcientia & auctoritate antefatis proferimus in his ſcriptis. Et a nemine, niſi duntaxat a Rom. Pontif.

UNED

Pontif. ( præterquam in mortis articulo *a* ) excommunicati hujuſmodi poſſunt abſolutionis beneficium quomodolibet obtinere. Et nihilominus ſecus facta non teneant, & nullius exiſtant efficaciæ vel momenti. Decernentes etiam & volentes, quod ſi quis hactenus virtute cujuſvis licentiæ ſeu mandati hujuſmodi fuiſſet receptus ad aliquem monaſticum ordinem, & habitum conſuetum geſtari per Monachos talis ordinis ſuſcepiſſet, ſive profeſſionem emiſerit, ſive non, ſub dicta pœna teneatur in monaſterio, in quo receptus fuerit ( etiamſi beneficia Eccleſiaſtica ſeu rectorias Eccleſiarum quarumvis obtineat ) ſtare in ejus totali ordinatione, & in hujuſmodi ordine monaſtico, altiſſimo deſervire. Si quis autem prætextu hujuſmodi licentiæ vel ſine habitu vel cum habitu vagando incederet, monitione prævia teneatur & debeat intra terminum XV. dierum a die monitionis hujuſmodi computandorum, ad ejus religionem vel ordinem, unde cum licentia, vel ſine licentia receſſerat, remeare. Quod ſi efficere neglexerit, poſt ipſum terminum tanquam notorius apoſtata excommunicatus in omnibus & per omnia debeat per quemlibet reputari, & ab omnibus tractari: etiam per invocationem auxilii brachii ſecularis, quoties fuerit opportunum. In futuris autem nullus ex profeſſoribus alicujus ex ordinibus mendicantium hujuſmodi in aliquem monaſticum ordinem ( Carthuſienſium duntaxat excepto ) poſſit aut debeat per quemcunque recipi vel admitti, virtute alicujus licentiæ vel indulti, abſque ſedis hujuſmodi licentia ſpeciali ſub dictis pœnis, & nihilominus ſecus facta non teneant ipſo jure. Hujuſmodi licentiis & indultis, necnon conſtitutionibus Apoſtolicis, & mendicantium ordinum prædictorum, etiamſi de illis ſpecialis, & expreſſa, ac de verbo ad verbum in noſtris literis mentio habita foret, & aliis contrariis non obſtantibus quibuſcunque. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam noſtræ declarationis, decreti, ſtatuti, prohibitionis, & voluntatis infringere, vel ei auſu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præſumpſerit, indignationem omnipotentis Dei, & beatorum Petri & Pauli Apoſtolorum ejus ſe noverit incurſurum. Datum Sebennis 4 Cal. Aug. Pont. noſt. Anno 1.

## C A P. II.

*Religioſi ſine ſui ſuperioris licentia ultra mare euntes ſunt ipſo facto excommunicati, nec ibi ſunt ad prædicationem vel divinorum celebrationem admittendi.*

Joannes XXII. ( *an.* 1324. *Avenioni.* )

AD noſtrum nuper relatio fide digna perduxit auditum, quod nonnulli religionis geſtantes habitum, ſed a veritate religionis omnino vacui, & a modeſtia penitus alieni, ad partes quandoque tranſmarinas ſe transferant, in quibus pauci fideles reſpectu infidelium commorantur. Et ut illi decipere facilius ſimplicium animos, ac ipſos & alios in errores præcipitare ſeu retinere valeant, ſub ovilla veſte, ac humilitatis habitu lupinum animum occultantes, per doctrinas ſuas reprobas & erroneas, fidelium mentes, quantum in eis eſt, corrumpere ſatagunt: In ipſis partibus periculum nimium ſpargere non omittunt, necnon & os ſuum ponentes in cœlum, lingua eorum falſidica tranſeunte ſuper terram, S. Rom. Eccleſ. detrahere conſtitutionibus, & alia multa a fide devia in ſuis ſermonibus & ſecretis collocutionibus evomere inſanis auſibus non verentur: ex quibus Deus offenditur, periculoſa ſuſcitantur ſcandala, paratur ſimplicibus laqueus, ipſique talium præſumptores de hæreſi vehementer arguunt ſe ſuſpectos. Nos itaque tantis obviare periculis paternæ diligentiæ ſtudiis cupientes, univerſis & ſingulis religioſis cujuſcunque conditionis, religionis, ordinis vel ſtatus exiſtant: de fratrum noſtrorum conſilio diſtrictius auctoritate præſentium inhibemus, ne ipſorum aliquis abſque ſuperioris ordinis ſui licentia, ſibi per ipſius literas patentes conceſſa, decætero ad partes ſe transferat antedictas. Superioribus ipſis nihilominus injungentes, ne quibuſvis ſui ordinis fratribus ( niſi duntaxat viris literatis, providis & expertis ) hujuſmodi licentiam impertiri præſumant. Nos enim quoſcunque præſumentes contrarium quovis modo, excommunicationis ſubjacere ſententiæ volumus ipſo facto. A qua nullus ab alio, quam a Rom. Pont. poſſit ( niſi duntaxat in mortis articulo ) abſolutionis beneficium obtinere. Cæterum univerſis Eccleſiæ Prælatis in virtute ſanctæ obedientiæ diſtricte præcipiendo, præſentium tenore mandamus, quatenus nullos religioſos ad partes ſe transferentes prædictas, niſi per patentes ſuperioris ſui ordinis literas, de licentia ſpeciali ſe illuc transferendi ſibi conceſſa, Prælatis eiſdem fecerint plenam fidem, in civitatibus ſuis & diœceſibus ac locis & terris aliis ad prædicationis officium, vel divinorum celebrationem admittant: ſed ipſos potius velut apoſtatas capiant, ſeu capi faciant, eos carcerali cuſtodiæ ( donec de dicta licentia ſpeciali modo prædicto ſibi conſtiterit ) detinendo. Et nihilominus ſi quos religioſos approbare, quæ ſedes Apoſt. reprobavit, vel quæ alias ſunt fidei obvia, in ſuis prædicationibus ſeu ſecretis collocutionibus dogmatizare perſenſerit: ut tales ( quibuſcunque ceſſantibus privilegiis ) poſſunt licite capere, & carcerali cuſtodiæ, ſicut ſuos poſſent ſubditos mancipare, licentiam impertimur. Et inſuper tenore præſentium mandamus eiſdem, ut de præmiſſis ſummarie, ſimpliciter & de plano, ac ſine ſtrepitu judicii & figura, per ſe vel alium ſeu alios ſolerter & fideliter ſtudeant informare: quouſque de prædictis, ſeu eorum aliquo receperint reos eſſe, juxta ſtatuta canonum in aliorum exemplum caſtigare pœnis debitis non poſtponant: Non obſtantibus exemptionibus, & aliis quibuſcunque privilegiis, & literis Apoſtolicis eiſdem Religioſis, vel eorum ordinibus ab eadem ſede conceſſis, vel in poſterum concedendis: etiamſi de illis plena & expreſſa mentio, ac de verbo ad verbum in præſentibus ſit habenda. Quæ quantum ad prædicta vel aliquod eorundem eiſdem in nullo volumus ſuffragari. Nulli ergo, &c. Datum Avenion. VI. Idus Maji, Pont. noſt. Anno 9.

a *Vide Conc. Trid. ſeſſ.* 14. *c.* 7. *de caſuum reſervatione.*

# *TITULUS IX.*

## DE RELIGIOSIS DOMIBUS.

## C A P. UN.

*Licet Beguinarum ſtatus ſit propter multas rationes per Clementem V. reprobatus, permittitur tamen mulieribus fide dignis, quæ nec ſunt culpabiles, nec ſuſpectæ, ſub habitu Beguinarum vivere: nec ſunt tales per ordinarios moleſtandæ.* Vide cap. 1. eod. tit. in Clement.

Joannes XXII. ( *an.* 1325. *Avenioni.* )

RAtio recta non patitur, ut innocentes ad paria cum nocentibus judicentur. Sane felic. rec. Clemens Papa V. prædeceſſ. noſt. cum de mulieribus quæ Beguinæ vulgariter nuncupantur, nonnulla ei fuiſſent præcipue de Alemaniæ partibus inſinuata ſiniſtra, & præſertim quod earum quædam de ſumma Trinitate & divina eſſentia diſputarent, & prædicarent, ac circa articulos fidei & Eccleſiaſtica ſacramenta opiniones catholicæ fidei contrarias introducerent, & multorum ſimplicium animas in diverſos errores inducerent: ex his & aliis frequenter de illis auditis habens eas non indigna ratione ſuſpectas, in illas, quæ ſtatum hujuſmodi noviter aſſumptum ſectarentur ulterius, aut quæ illum de novo aſſumerent, excommunicationis ſententiam promulgavit. Verum quia in multis mundi partibus plu-

rimæ ſunt mulieres, quæ ſimiliter vulgo Beguinæ vocate, ſegregate quandoque in parentum, aut ſuis, interdum vero in aliis, aut conductis ſibi communibus domibus inſimul habitantes, vitas deducunt honeſtas, Ecleſias de nocte frequentant, diœceſanis locorum, & parochialium Eccleſiarum Rectoribus reverenter obediunt, curioſitatem diſputandi, aut auctoritatem, ſeu temeritatem potius prædicandi, nullo modo ſibi uſurpant, nec ſe vel alias ſeu alios quoslibet præmiſſis opinionibus, erroribuſque involvunt: nec ulla ſuper his eſt aut fuit hactenus nota ſeu ſuſpicio contra eas, quæ ipſas diſſimiles a luce ſua conſtringeret, ut nullis earum, quæ perpetuam forte Domino continentiam devoverunt, occaſio præbeatur ad lapſum: & ne periculis, damnis, & ſcandalis plurimis, quæ proinde veriſimiliter ſequerentur, pro proviſione Eccleſiæ moderna occupentur: Beguinas hujuſmodi inculpabiles ( ut præmittitur ) nec ſuſpectas ſub prohibitione & abolitione præmiſſis ( quia de ipſis prædeceſſor noſter præfatus nullatenus ſenſiſſe dignoſcitur ) de fratrum noſtrorum conſilio declaramus & volumus non includi. Locorum ordinariis nihilominus injungentes, ut eas ſub prætextu hujuſmodi nullatenus moleſtari permittant. Et ſi quid forſan ex hoc in bonis aut juribus a quibuſcunque contra eas attentatum eſt hactenus, vel attentari contigerit in futurum, per illos prædictos ordinarios auct. noſt. in ſtatum reduci debitum volumus: Invocato ( ſi opus fuerit ) auxilio brachii *a* ſecularis. Cæterum ſtatum Beguinarum hujuſmodi, quas eſſe permittimus ( niſi de his per ſedem Apoſtolicam aliter ordinatum extiterit ) nullatenus ex præmiſſis intendimus approbare. Locorum autem ordinarios, & alios, ad quos prædicta ſpectabunt, curam pervigilem & ſolicitudinem debitam præcipimus adhibere, ne præmiſſarum ſequentes invia, & ipſarum actus temerarios imitando, præmiſſis erroribus, & diſputationum & prædicationum temeritatibus ſe involvant: eas, quæ contra prædicta præſumpſerint, per cenſuram Eccleſiaſticam ( appellatione poſtpoſita ) compeſcendo. Porro mulieres, quodcunque nomen habentes, quæ de illis, ex quibus prohibitio præceſſerit, culpabiles ſe reddiderint, aut merito notabiles vel ſuſpectas eſſe, ſi ſtatum vel habitum quoquo modo mutaverint, vere ſub prædicta decernimus remanere cenſura: & taliter contra eas, per illos, ad quos pertinuerit, procedi volumus & mandamus, quod ab errore de more revocatæ, non ultra inficiant ſanas oves.

## *TITULUS X.*
## DE CENSIBUS, EXACTIONIBUS, ET PROCURATIONIBUS.
### C A P. UN.

*Taxat procurationes, pabula charitatis, & ſubſidium charitativum. Salvat privilegia, conventiones, conſuetudines, & præſcriptiones, & indemnitatem pauperum: inhibet contraveniri: punit tranſgreſſores, & eorum familiares, &c.* Et locari debet ſub rubrica, de cenſibus, & procurationibus.

Benedictus XII. *Epiſcopus, ſervus ſervorum Dei, ad perpetuam rei memoriam.*

( *an.* 1336. *Aven.* )

VAs electionis Paulus Apoſtolus egregius prædicator, ſe & eos qui ſecum erant propriis manibus exhibebat *b*, ut pſeudo & ſubdolis operariis ſub prædicationis ſpecie lucra ſectantibus locum præcluderet, & his, quos ipſe paſcebat pabulo verbi Dei, non exiſteret oneroſus. Sane licet circa modeſtiam in exigendis procurationibus obſervandam a prædeceſſoribus noſtris Romanis Pontificibus ſalubria emanaverint inſtituta, quia tamen ( ſicut experientia docet ) nonnulli Prælatorum, necnon diœceſis Nuntiorum, vel Legatorum Apoſtolicæ ſedis, de quibus nullam faciunt mentionem expreſſe, ſic ſe reddiderint & reddunt in dictarum procurationum exactionibus oneroſos, ut oppreſſi ſubditi hujuſmodi onera nequeant ſupportare, & victum longi temporis brevis hora conſumat. Nos attendentes, quod parentes debent theſaurizare filiis, non delitiis faſtidioſis eorum ſubſtantiam abſorbere: ac cupientes pro diverſitate conditionum viſitantium Prælatorum & Provinciarum, ac Eccleſiaſticarum etiam facultatum, certum modum ſufficientem viſitantibus, & ſupportabilem viſitatis in præmiſſis fore decætero obſervandum: de fratrum noſtrorum conſilio præſentis conſtitutionis edicto ſtatuimus, quod cum in Franciæ, Navarræ, Majoricarum regnis, ac terris, provinciis, & partibus adjacentibus, & in vicinis eiſdem, necnon in Delphinatu, Burgundiæ, Sabaudiæ, Provinciæ, & Forcalquerii Comitatibus, Archiepiſcopi & Epiſcopi, ac alii Prælati & perſonæ Eccleſiaſticæ, quibus id de jure vel conſuetudine competit, ſuos ſubditos perſonaliter viſitabunt: Iidem Archiepiſcopi a ſuis, vel Suffraganeorum ſuorum cathedralibus Eccleſiis pro procuratione unius diei, ſive in victualibus, ſive a volentibus in pecunia, ultra trecentorum: a monaſteriis vero & aliis Eccleſiis, vel Prioratibus ſecularibus vel regularibus, habentibus collegium vel conventum duodecim vel plurium perſonarum, ultra ducentorum ac quinquaginta. Ab habentibus vero paucarum perſonarum collegium ſeu conventum, & quibuſvis aliis Eccleſiis, Prioratibus & locis, ultra ducentorum. Epiſcopi vero ab Eccleſiis cathedralibus ultra ducentorum. A monaſterio vero & Eccleſiis aliis, ac Prioratibus ſecularibus vel regularibus, habentibus collegium vel conventum duodecim vel plurium perſonarum, ultra ducentorum quinquaginta. Ab habentibus vero paucarum perſonarum collegium ſeu conventum, & quibuſvis aliis Eccleſiis, Prioratibus & locis, ultra ducentorum. Epiſcopi vero ab Eccleſiis cathedralibus, ultra ducentorum. A monaſteriis vero & Eccleſiis aliis ac prioratibus ſecularibus vel regularibus, collegium habentibus duodecim vel plurium perſonarum, ultra centum & quadraginta. Ab habentibus vero perſonarum collegium pauciorum, & quibuslibet aliis Eccleſiis, Prioratibus & locis, ultra centum & quadraginta. Abbates quoque a monaſteriis vel Prioratibus habentibus collegium duodecim vel plurium perſonarum, ultra centum. Ab aliis quoque habentibus minus collegium, ac Eccleſiis, Prioratibus & locis quibuſcunque ultra lxxx. Archidiaconi quoque, ultra xxxv. Archipresbyteri quoque, ultra VIII. Turonen. argenti valorem recipere non præſumant. Si vero præfati Archiepiſcopi, Prælati, & perſonæ Eccleſiaſticæ ex privilegio Apoſtolico per alios viſitare, & procurationes recipere valeant in pecunia numerata: Iidem Archiepiſcopi a ſuis & aliis cathedralibus Eccleſiis, ultra centum xx. a monaſteriis vero & Eccleſiis aliis, ac Prioratibus ſecularibus & regularibus, habentibus collegium duodecim, vel plurium perſonarum, ultra centum. Ab habentibus vero minus collegium, & quibuslibet aliis Eccleſiis, Prioratibus & locis, ultra lxxx. Epiſcopi etiam ab eiſdem Eccleſiis, monaſteriis, Prioratibus, atque locis, ultra lxxx. Abbates, ultra lx. Archidiaconi, ultra xxx Turonen. argenti valorem, non recipiant quoquo modo. In Alemaniæ quoque, Angliæ, Hungariæ, Bohemiæ, Poloniæ, Norvegiæ, Daciæ, Scotiæ, & Sueciæ regnis, terris, ac provinciis, & partibus eiſdem adjacentibus Archiepiſcopi & Epiſcopi, alii quoque Prælati, & perſonæ Eccleſiaſticæ, cum ( ut præmittitur ) perſonaliter viſitabunt, iidem Archiepiſcopi & Epiſcopi etiamſi primates

---

*a Brachium ſeculare poteſt quandoque ab Eccleſia invocari. c. 1. de off. ord. in antiq.* b *Act. c.* 3.

mates exiſtant, a ſuis vel Suffraganeorum ſuorum Eccleſiis cathedralibus, & perſonis earum pro procuratione unius diei, ſive victualibus, ſive a volentibus in pecunia, ultra trecentum & viginti. A monaſteriis vero & aliis Eccleſiis, Prioratibus, ſecularibus, vel regularibus, habentibus collegium duodecim vel plurium perſonarum, ultra CC. & LX. ab aliis vero monaſteriis, Eccleſiis, ſeu Prioratibus minus collegium habentibus, aliis quoque Eccleſiis, Prioratibus & locis, ultra ducentorum & viginti. Epiſcopi etiam a cathedralibus Eccleſiis, ultra ducentorum & viginti. A monaſteriis vero & aliis Eccleſiis & Prioratibus, ſecularibus vel regularibus, habentibus collegium duodecim vel plurium perſonarum, ultra C. & LXXX. Ab habentibus vero collegium minus, & quibuslibet aliis Eccleſiis & Prioratibus atque locis, ultra centum & quinquaginta. Abbates inſuper a monaſteriis, Prioratibus, ſeu Eccleſiis habentibus collegium XII. vel plurium perſonarum, ultra centum. Ab habentibus vero minus collegium, ac Eccleſiis, Prioratibus, & aliis locis quibuslibet, ultra LXXX. Archidiaconi vero ultra quinquaginta. Archipresbyteri etiam, ultra decem Turonen. argenti valorem recipere non præſumant. Si vero iidem Archiepiſcopi, Epiſcopi, & Prælati, ac perſonæ Eccleſiaſticæ ex privilegio Apoſtolico per alios viſitare, & procurationes recipere valeant in pecunia numerata, dicti Archiepiſcopi, etiamſi primates exiſtant, ab hujuſmodi Eccleſiis, monaſteriis, Prioratibus, atque locis, ultra centum, Epiſcopi, ultra octoginta. Abbates ultra LX. Archidiaconi ultra XXX. Turon. argenti valorem pro procuratione qualibet unius diei recipere non præſumant. In Caſtellæ quoque, Legionis, Aragoniæ, & Portugalliæ regnis & dominiis, terris & provinciis Regum Caſtellæ, Aragoniæ & Portugalliæ, & partibus adjacentibus etiam viciniis eiſdem, excepto Sardiniæ & Corſicæ regno, Archiepiſcopi, Epiſcopi, & Prælati, ac perſonæ Eccleſiaſticæ, cum (ut præmittitur) perſonaliter viſitabunt, iidem Archiepiſcopi a ſuis & Suffraganeorum ſuorum Eccleſiis cathedralibus, pro procuratione, unius diei, ſive in victualibus, ſive a volentibus in pecunia, ultra centum & quadraginta; a monaſteriis vero & Eccleſiis aliis, ac Prioratibus ſecularibus vel regularibus, habentibus collegium duodecim vel plurium perſonarum, ultra centum & viginti. Ab habentibus vero minus collegium, aliiſque Eccleſiis, Prioratibus atque locis, ultra centum. Epiſcopi etiam a cathedralibus Eccleſiis, ultra centum: a monaſteriis vero & Prioratibus ſecularibus vel regularibus, habentibus, collegium duodecim vel plurium perſonarum, ultra LXXX. Ab habentibus vero minus collegium, aliiſque Eccleſiis, Prioratibus & locis, ultra LX. Abbates etiam a monaſteriis vel Prioratibus, habentibus collegium XII. vel plurium perſonarum, ultra quinquaginta. Ab habentibus minus collegium, & quibuslibet aliis Eccleſiis, Prioratibus & locis, ultra XL. Archidiaconi vero, ultra XXV. Archipresbyteri vero, ultra V. Turonen. argenti valorem recipere non attentent. Si vero proxime nominati Archiepiſcopi, Epiſcopi, & Prælati, & aliæ perſonæ Eccleſiaſticæ, ex privilegio Apoſtolico, per alios viſitare & procurationes recipere poſſint, in pecunia numerata: Iidem Archiepiſcopi, ab eiſdem ſuis & Suffraganeorum ſuorum Eccleſiis ultra LXXX. A monaſteriis vero & Eccleſiis aliis, ac Prioratibus ſecularibus vel regularibus, habentibus collegium duodecim vel plurium perſonarum, ultra LX. Ab habentibus vero minus collegium, & quibuslibet aliis Eccleſiis, Prioratibus ſive locis, ultra L. Epiſcopi etiam ab eiſdem Eccleſiis, monaſteriis, Prioratibus ſive locis, ultra XL. Abbates vero, ab eorum monaſteriis, Prioratibus, Eccleſiis ſive locis, ultra XXX. Archidiaconi vero, ultra LX. Turon. argenti valorem recipere non attentent. In Apuliæ vero, Calabriæ, terræ Laboris, Siciliæ, Lombardiæ, Tuſciæ, Sardiniæ, Corſicæ, & cæteris aliis Italiæ partibus, necnon Sclavoniæ, Achajæ, Cypri, & cæteris regnis, inſuliſque & aliis provinciis & partibus omnibus ultramarinis, & etiam transmarinis, Patriarchæ, Archiepiſcopi, Epiſcopi, ac Prælati alii & perſonæ Eccleſiaſticæ conſiſtentes, cum (ut præmittitur) perſonaliter viſitabunt: iidem Patriarchæ & Archiepiſcopi a ſuis vel Suffraganeorum ſuorum Eccleſiis cathedralibus pro procuratione unius diei, ſive in victualibus, ſive a volentibus in pecunia, ultra LX. A monaſteriis vero & Eccleſiis aliis, ac Prioratibus ſecularibus vel regularibus, habentibus collegium XII. vel plurium perſonarum, ultra quinquaginta. Ab habentibus vero minus collegium, & quibuslibet aliis Eccleſiis, Prioratibus atque locis, ultra quadraginta. Epiſcopi etiam a cathedralibus Eccleſiis, ultra quinquaginta: a monaſteriis vero, aliiſque Eccleſiis, & Prioratibus ſecularibus vel regularibus, habentibus collegium duodecim vel plurium perſonarum, ultra quadraginta. Ab habentibus vero minus collegium, & Eccleſiis aliis, ſeu Prioratibus, vel locis quibuslibet, ultra triginta. Abbates vero a ſuis monaſteriis vel Prioratibus, ſimile collegium vel majus habentibus, ultra viginti. Ab habentibus vero minus collegium, & quibuslibet aliis Eccleſiis, Prioratibus atque locis, ultra ſexdecim: Archidiaconi ultra decem Turonen. argenti valorem non audeant recipere quoquo modo. Si vero Prælati, Patriarchæ, Archiepiſcopi, Epiſcopi, & perſonæ Eccleſiaſticæ proxime nominati, ex privilegio Apoſtolico per alios viſitare, & procurationes recipere valeant in pecunia numerata: dicti Patriarchæ ſeu Archiepiſcopi ab eiſdem ſuis vel Suffraganeorum ſuorum Eccleſiis cathedralibus, ultra quadraginta. A monaſteriis quoque & Eccleſiis aliis, ac Prioratibus, ſecularibus vel regularibus, habentibus collegium duodecim vel plurium perſonarum, ultra triginta. Ab habentibus vero minus collegium, & Eccleſiis aliis, Prioratibus, ſive locis & ſubditis quibuſcunque, ultra viginti octo. Epiſcopi quoque a ſuis cathedralibus, & quibuslibet aliis Eccleſiis, monaſteriis, Prioratibus atque locis, ultra viginti. Abbates etiam ultra decem, necnon Archidiaconi ultra quinque Turon. argenti valorem recipere non præſumant. Ita, quod expenſæ ſeu ſumptus univerſi, ſeu taxatio pecuniaria hujuſmodi procurationis totius diei, videlicet in pecunia, vel victualibus & neceſſariis aliis, prædictam ſummam vel valorem aliquatenus non excedat: nec ultra dictas ſummas vel taxationes ſeu valores earum prætextu cujuſvis conſuetudinis, vel alias, vel ab ipſis Prælatis vel familiaribus earundem quicquam exigere vel recipere liceat etiam a volentibus, quando ex conventione vel conſuetudine minus ſolvere conſueverunt, quod propter prædicta non plus ſolvant. Illud quoque quod de Archidiaconis ſuperius diximus ordinandum, locum habere volumus etiam in Decanis, Præpoſitis, aliiſque perſonis Eccleſiaſticis ſuperius non expreſſis, quibus viſitationis officium & procurationis receptio ex privilegio ſed Apoſtolicæ, vel de jure ſeu conſuetudine competere dignoſcuntur: Decanis ruralibus duntaxat exceptis, qui in aliquibus regionibus Archipresbyteri nominantur, circa quos in receptione hujuſmodi procurationis, id quod ſupra ſtatutum eſt de aliis Archipresbyteris, volumus obſervari. Noſtræ tamen intentionis exiſtit, quod ſi ex conventione, vel conſuetudine, tam Eccleſiæ cathedrales, quam collegiatæ, & aliæ quælibet ſeculares, ac etiam monaſteria, Prioratus conventuales, & loca alia quævis Eccleſiaſtica, earumque Capitula, collegia ſeu conventus, Rectores etiam & perſonæ, Prælatis quibuſvis ſuis viſitantibus (ut præfertur) minus debeant, vel conſueverint, quam per nos ſuperius eſt ſtatutum, ad ſolvendum ultra conventionem vel conſuetudinem hujuſmodi nullatenus aſtringantur, ſed ſuper his circa eos conſuetudo & conventio hujuſmodi obſerventur. Hujuſmodi

etiam

etiam moderationes & taxationes ad Prælatos quoſlibet, qui prætextu cujuſvis conſuetudinis in monaſteriis, ſive locis aliis Eccleſiaſticis gratis recipiantur ad pabulum charitatis, extendimus & etiam prorogamus: proviſo nihilominus, quod in locis quibuslibet, ſecundum quod major vel minor rerum copia fuerit in eiſdem, necnon juxta majorem vel minorem perſonarum & evectionum numerum hujuſmodi viſitantium, expenſarum majorum vel minorum debita moderatio teneatur: ita tamen, quod majores expenſæ non excedant ſummam ſuperius limitatam. Inſuper prædictis omnibus Archiepiſcopis, Primatibus, Epiſcopis, & aliis ſuperius nominatis viſitantibus, ne ultra conventionem vel conſuetudinem hujuſmodi circa perſonas, & loca ubi fuerint, nec ultra moderationes & taxationes prædictas, quicquam præſumant recipere, diſtrictius nihilominus inhibemus. Volentes etiam conſtitutionem præſentem pœnæ adjectione juvari, ſtatuimus, quod ſi dicti viſitantes per ſe, vel (ſi ex privilegio eis competat) per alios viſitationis officium exercuerint, & procurationes receperint (ut præfertur) ipſi, vel familiares eorum ultra taxationes prædictas, aliquid ſcienter exegerint, vel receperint etiam a volente, duplum ejus, quod ipſi iidem Prælati, vel eis ſcientibus aut ratum habentibus eorum familia taliter exegerint vel receperint, intra duos menſes poſt receptionem ſeu ſcientiam hujuſmodi Eccleſiis, monaſteriis, & aliis locis, a quibus illa receperint, reſtituere teneantur. Si vero dictis Prælatis per alios viſitantibus, hi, qui pro eis viſitationis officium exercebunt, per ſe vel per alios ultra moderationes ſeu taxationes prædictas quicquam exegerint, ſeu receperint etiam a volentibus, duplum ejus, quod ultra receperint, Eccleſiis & monaſteriis vel locis aliis, a quibus id receptum fuerit, intra præfatum terminum reſtituere teneantur. Alioquin extunc dicti Prælati, qui ultra moderationes & taxationes prædictas, ſeu conventionem vel conſuetudinem hujuſmodi receperint in pecunia numerata, duplum ipſum eiſdem Eccleſiis, monaſteriis, ſive locis ultra dictum tempus reſtituere differentes, ingreſſum Eccleſiæ ſibi noverint interdictum. Hi vero pro dictis Prælatis viſitationem hujuſmodi (ut præmittitur) exercentes, ab officio & beneficio noverint ſe ſuſpenſos, quouſque gravatis Eccleſiis, monaſteriis ſive locis de hujuſmodi duplo plenariam ſatisfactionem impendant. Adjicientes conſtitutioni præſenti, quod ſi quis de familia Prælati perſonaliter viſitantis, aliquid ultra moderationes & taxationes præfatas per ſe vel alios, Prælato ignorante, nec ratum habente, receperit ab Eccleſiis, monaſteriis & locis aliis viſitatis, duplum ejus, quod ultra receperit, de ſuo proprio intra duos menſes poſt receptionem hujuſmodi Eccleſiis, monaſteriis & locis aliis, a quibus illa receperit, reddere teneantur: Alioquin extunc recipiens, ſi Clericus fuerit, tamdiu ab officio & beneficio ſit eo ipſo ſuſpenſus: Si vero Laicus, tamdiu ingreſſum Eccleſiæ ſibi noverit interdictum, & a communione Euchariſtiæ ipſo facto noverit ſe ſuſpenſum, donec de duplo hujuſmodi gravatis Eccleſiis, monaſteriis, ſive locis ſatisfecerit cum effectu: Nulla eiſdem ultra moderationes & taxationes prædictas recipientibus in his donantium remiſſione, liberalitate, vel gratia valitura. Cæterum moderationes & taxationes hujuſmodi in illis locis volumus obſervari, in quibus id fieri poterit ſecundum Eccleſiæ, monaſterii, vel loci alterius facultates. In aliis autem tantum præcipimus modeſtiam adhiberi, quod per hæc, quæ ad exonerationem locorum Eccleſiarum ſtatuendam providimus, non doleant ſe gravari: nec per hoc dicti Prælati exigendi amplius quam ipſi ſubditi pati poſſint, indultam ſibi exiſtiment poteſtatem. Præmiſſis quoque adjiciendo ſtatuimus, quod ſi dicti Prælati, vel aliquis eorundem ex Apoſtolica indulgentia, vel conſuetudine, ſeu de jure, petant ſibi ab Eccleſiis, monaſteriis, & locis aliis, eorumque Capitulis, Collegiis, vel Conventibus, Rectoribus, ſeu perſonis moderativum, ſeu charitativum ſubſidium exhiberi, non poſſint a ſingulis Eccleſiis, monaſteriis, ſive locis pro ſubſidio hujuſmodi ultra petere, vel recipere (etiam a volentibus) niſi quantum aſcenderent ſingulæ procurationes, in pactum per nos ſuperius moderatum, quas iidem Prælati poſſent recipere, quando ex privilegio per alium viſitarent. Porro Turonenſes prædictos tales fere intellimus, quod XII. ipſorum valeant unum florenum auri boni, puri, & legalis ponderis, ac cunii Florentini. Per conſtitutionem autem hujuſmodi nolumus, quod prædicti Prælati, vel alii, quibus viſitationis officium, & procurationum receptio ex privilegio ſed. Apoſtolicæ, vel alias de conſuetudine vel de jure competere dignoſcuntur, jus viſitandi, ſeu procurationes recipiendi, ſibi valeant vendicare. Nec per conſtitutionem eandem aliis conſtitutionibus ſuper præmiſſis, per prædeceſſores noſtros dudum editis, quoad alia contenta in eis, aliquatenus derogetur. Inſuper Abbates Ciſtercien. ordinis ſua monaſteria viſitantes, ſub præfata conſtitutione noſtra nolumus comprehendi, cum ſuper his per aliam conſtitutionem noſtram duxerimus ſpecialiter providendum. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam noſtrarum conſtitutionis, intentionis, inhibitionis, adjectionis, & præcepti ac voluntatis infringere, vel ei auſu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præſumpſerit, indignationem omnipotentis Dei, ac beatorum Petri & Pauli Apoſtolorum ejus ſe noverit incurſurum. Datum Aven. XV. Calend. Januarii, Pontificatus vero noſtri Anno 2.

## *TITULUS XI*
## DE CELEBRATIONE MISSARUM.

### C A P. UN.

*Narratis perturbationibus plurimis, quæ Eccleſiæ præſertim per hæreticos inferuntur, ordinat Romanus Pontifex, quod dum Miſſæ celebrantur, in quibus devotius oratur, certæ preces hic expreſſæ ad Deum effundantur. Et ut Chriſtiani ad id ſint promptiores, viginti dies indulgentiarum cunctis hoc facientibus elargitur.* Adverte, quod ſub hoc tit. apte potuiſſet locari Extravagans, *Docta*. quæ eſt ſupra, De vita & honeſt. Cler. ut ibi tractatum eſt.

Joan. XXII. (*An. 1327. Avenioni*).

DISCIPULORUM Chriſti *a* geſta nos inſtruunt, ut in pelago hujus mundi procella ſurgente, ad divinum confugium recurrere debeamus. Illi quidem commotione maris adeo grandi facta, ut fluctus naviculam, inquam JESUM ſequentes intraverant, operirent, Chriſtum dormientem vocibus excitarunt ſupplicibus, & adverſus ingruentes tempeſtatis impetus ab eo ſalutis præſidium poſtularunt. Cum itaque catholicam Eccleſiam, quæ congregationem *b* fidelium comprehendit, videamus (quod dolentes referimus) pacis æmuli, zizaniorumque ſatoris malitia procurante, diſcordiarum flatibus concitatam, earumque fluctus adeo elevatos, quod quaſi operiant ipſam totam: hæreticos inſuper Eccleſiam ipſam cernamus, & ſchiſmaticos impugnare ferociter, ac ut inconſutilem Domini tunicam ſcindant, multipliciter laborare: Cum fratribus noſtris deliberatione præhabita diligenti, expediens, (imo neceſſarium potius) æſtimamus, ut ad illum, qui ad dexteram Patris reſidet in excelſis, qui caput eſt congregationis ejuſdem, cuique poteſtas omnis, tam in cœlo, quam terra noſcitur tradita, eique venti & maria obſecundant *c*, levemus cum manibus corda noſtra,

a *Luc. 8.* b *Vide Turrecrem. in ſumma de Eccleſ. I. cap. 1.*
c *Luc. 8.*

ſtra, ipſumque devotis pulſantes precibus, apud eum ſedulis orationibus inſiſtamus, ut inſurgentes præmiſſæ fremitus tempeſtatis, quæ quaſi univerſorum Chriſticolarum regna concutit, ſubditos contra dominos violato fœdere erigit, hæreticis & ſchiſmaticis ac rebellibus Eccleſiæ Dei, inſurgendi contra ipſam, ejuſque jura uſurpandi, inſania damnabili auſum pandit: flatus ceſſare, fluctuſque prædictos quieſcere ſua faciat omnipotenti virtute: Cordaque hæreticorum, ſchiſmaticorum, aliorumque, rebellium ad Dei Eccleſiæ unitatem ac devotionem inclinet & habilitet, vel forſan, cum præmiſſis pertinaciter intendant perſiſtere, ipſorum elidat ſuperbiam, eorumque obſtinatam malitiam ſuæ virtute dexteræ conterat & proſternat. Corda quoque ſubditorum ad eorum ſuperiores & eorum ſuperiorum convertat ad ſubditos, ipſoſque diffidentes in concordiæ unitate conciliet & confirmet: ſicque det ipſis ſuperioribus præſidere, quod ſic regnent, ut dirigantur, eorumque regimen cedat ſubditis ad ſalutem perpetuam, quietem & pacem: nobiſque ipſe, cujus providentia in ſui diſpoſitione non fallitur, modos & vias aperiat, per quas hoc, quod in votis gerimus, efficaciter promovere poſſimus. Et quia in Miſſarum ſolennis ad Deum conſueverunt preces effundi devotius, de eorundem frat. con-ordinamus, quod in ſingulis Miſſarum celebrationibus poſt dictum a celebrante Pater noſter, reſponſioneque ſecuta antequam in Miſſa ulterius procedatur, illud Canticum, Lætatus *a* ſum in iis quæ dicta ſunt mihi, totum, cum Gloria Patri, a Religioſis, Clericis & aliis literatis præſentib. cum devotione dicatur *b*. Et primo dicantur Kyrie eleiſon, Chriſte eleiſon, Kyrie eleiſon, Pater noſter. Et poſt iſti verſiculi ſubſequantur, Domine ſalvos fac Reges. Et exaudi nos in die, qua invocaverimus te. Salvum fac populum tuum Domine, & benedic hæreditati tuæ. Et rege eos, & extolle illos uſque in æternum. Fiat pax in virtute tua, & abundantia in turribus tuis. Domine exaudi orationem meam, & clamor meus ad te veniat. Dominus vobiſcum, Et cum ſpiritu tuo.

Collecta.

Eccleſiæ tuæ, quæſumus Domine, preces placatus admitte, ut deſtructis adverſitatibus & erroribus univerſis, ſecura tibi ſerviat libertate. Per Dominum noſtrum.

Hoſtium noſtrorum quæſumus Domine elide ſuperbiam: & eorum contumaciam dexteræ tuæ virtute proſterne. Per Chriſtum Dominum noſtrum. Amen.

Benedicat celebrans conſequenter.

Nos autem Chriſti fideles ad exequendum ſupradicta promptius donis volentes ſpiritualibus animare, omnibus vere pœnitentibus, & confeſſis, tam his celebrantibus, quam ipſis aſſiſtentibus obſervantibus ſupradicta, quam aliis preces tunc devotas Deo fundentibus, pro præmiſſis diebus, & Miſſis ſingulis, quibus hæc fecerint, XX. dies de omnipotentis Dei miſericordia, & Beatorum Petri & Pauli Apoſtolorum ejus auctoritate confiſi, de injunctis ſibi pœnitentiis relaxamus. Nulli ergo, &c. Datum XII. Cal. Julii, Pont. noſt. Anno 12.

## *TITULUS XII.*
## DE RELIQUIIS ET VENERATIONE SANCTORUM.
### CAP. I.

*Qui conceptionem immaculatæ virginis devote celebrabunt, in eodem feſto, & ejus octavis officio intererunt, tales tribuuntur indulgentiæ, quales conſequuntur Chriſti fideles in corporis Chriſti ſolennitate.*

Sixtus IV. (*an.* 1477. *Romæ*.)

Cum præexcelſa meritorum inſignia, quibus Regina cœlorum Virgo Dei genitrix glorioſa ſedibus prælata æthereis, ſideribus quaſi ſtella matutina prærutilans, devotæ conſiderationis indagine perſcrutamur, & intra pectoris arcana revolvimus, quod ipſa utpote via miſericordiæ, mater gratiæ & pietatis, amica humani generis conſolatrix, pro ſalute fidelium, qui delictorum onere gravantur, ſedula oratrix, & pervigil ad Regem, quem genuit, intercedit: Dignum quin potius debitum) reputamus univerſos Chriſti fideles, ut omnipotenti Deo, (cujus providentia ejuſdem virginis humilitatem ab æterno reſpiciens, pro reconcilianda ſuo auctori humana natura, lapſu primi hominis æternæ morti obnoxia, eam ſui unigeniti habitaculum Sancti Spiritus præparatione conſtituit, ex qua carnem noſtræ mortalitatis pro redemptione populi ſui aſſumeret, & immaculata virgo nihilominus poſt partum remaneret) de ipſius immaculatæ virginis mira conceptione gratias & laudes referant, & inſtituta propterea in Dei Eccleſia; Miſſas, & alia divina officia dicant, & illis interſint, indulgentiis & peccatorum remiſſionibus invitare, ut exinde fiant ejuſdem Virginis meritis, & interceſſione divinæ gratiæ aptiores. Hac igitur conſideratione inducti, ejuſdem omnipotentis Dei, ac beatorum Petri & Pauli Apoſtolorum ejus auctoritate confiſi, auctoritate Apoſtolica hac in perpetuum valitura conſtitutione ſtatuimus & ordinamus, quod omnes & ſinguli Chriſti fideles utriuſque ſexus, qui Miſſam & officium conceptionis ejuſdem Virginis glorioſæ, juxta piam, devotam, & laudabilem ordinationem dilecti filii magiſtri Leonardi de Nogarolis Clerici Veronenſis Notarii noſtri, & quæ deſuper a nobis emanavit Miſſæ & officii hujuſmodi inſtitutionem, in die feſtivitatis conceptionis ejuſdem Virginis Mariæ, & per octavas ejus devote celebraverint, & dixerint, aut illis horis canonicis interfuerint, quoties id fecerint, eandem prorſus indulgentiam, & peccatorum remiſſionem conſequantur, quam juxta felicis recordationis Urbani *a* IV. in Concilio Vienenſi approbatæ *b*, ac Martini V. & aliorum Roman. Pontificum, prædeceſſorum noſt. conſtitutiones, conſequuntur illi, qui Miſſam & horas canonicas in feſto corporis & ſanguinis Domini noſtri JESU Chriſti a primis veſperis, & per illius octavas juxta Romanæ Eccleſiæ conſtitutionem celebrant, dicunt, aut Miſſæ officio & horis hujuſmodi interſunt: præſentibus perpetuis temporibus valituris. Datum Romæ apud ſanctum Petrum, anno incarnat. Domin. M.CCCC.LXXVII. 3. Cal. Martii, Pont. noſt. Anno 6.

### CAP. II.

*Excommunicationem ipſo facto incurrunt prædicatores, aſſerentes divam virginem in peccato mortali fuiſſe conceptam: qui etiam dicunt, quod feſtum Conceptionis ejus celebrantes graviter peccant. Et vult præſentem conſtitutionem in locis populoſis publicari.*

Idem *in eadem materia*. (*anno* 1483. *Romæ*.)

Grave *c* nimis gerimus, & moleſtum, cum ſiniſtra nobis de quibuſdam Eccleſiaſticis perſonis referuntur. Sed in eorum qui ad evangelizandum verbum Dei ſunt deputati, exceſſibus prædicando commiſſis, eo gravius provocamur, quo illi periculoſius remanent incorrecti: Cum facile deleri nequeant, qui multorum cordibus ſic publice prædicando diffuſius & damnabilius imprimuntur errores. Sane cum S. Rom. Eccl. de intemeratæ ſemperque Virginis Mariæ conceptione publice feſtum ſolenniter celebret, & ſpeciale ac proprium ſuper hoc offi-

a *Pſal.* 121. b *In aliis legitur, dicant.*

a *Hanc conſtitutionem Urbani habes inſertam in Clem.* 1. *de reliquiis & veneratione ſanctorum.* b *Forte approbatam.* c *Vide Conc. Trid. ſeſſ.* 5. *in decreto de peccato orig.* §. *ult. & extravagantem Pii V. Pont. max incip. ſuper ſpeculam Domini, ubi ſtatutum confirmatur & approbatur.*

officium ordinaverit: nonnulli (ut accepimus) diverſorum ordinum prædicatores in ſuis ſermonibus ad populum publice per diverſas civitates & terras affirmare hactenus non erubuerunt, & quotidie prædicare non ceſſant, omnes illos, qui tenent aut aſſerunt eandem glorioſam & immaculatam Dei genitricem abſque originalis peccati macula fuiſſe conceptam, mortaliter peccare, vel eſſe hæreticos; ejuſdem immaculatæ conceptionis officium celebrantes, audienteſque ſermones illorum, qui eam ſine hujuſmodi macula conceptam eſſe affirmant, peccare graviter. Sed & præfatis prædicationibus non contenti, confectos ſuper his ſuis aſſertionibus libros in publicum ediderunt: ex quorum aſſertionibus & prædicationibus non levia ſcandala in mentibus fidelium exorta ſunt, & majora merito exoriri formidantur indies. Nos igitur hujuſmodi temerariis auſibus, ac perverſis aſſertionibus ac ſcandalis, quæ exinde in Dei Eccleſia exoriri poſſunt (quantum nobis ex alto conceditur) obviare volentes, motu proprio, non ad alicujus nobis ſuper hoc oblatæ petitionis inſtantiam, ſed de noſtra mera deliberatione, & certa ſcientia, hujuſmodi aſſertiones prædicatorum eorundem, & aliorum quorumlibet, qui affirmare præſumerent, eos, qui crederent aut tenerent, eandem Dei genitricem ab originalis peccati macula in ſua conceptione præſervatam fuiſſe, propterea alicujus hæreſis labe pollutos fore, vel mortaliter peccare, aut hujuſmodi officium conceptionis, celebrantes, ſeu hujuſmodi ſermones audientes, alicujus peccati reatum incurrere, utpote falſas & erroneas, & a veritate penitus alienas, editoſque deſuper libros prædictos id continentes, quoad hoc auctoritate Apoſtolica tenore præſentium reprobamus & damnamus. Ac motu, ſcientia & auctoritate prædictis ſtatuimus, & ordinamus, quod prædicatores verbi Dei, & quicunque alii, cujuſcunque ſtatus, gradus, aut ordinis ac conditionis fuerint, qui decætero auſu temerario præſumpſerint in eorum ſermonibus ad populum, ſeu alias quomodolibet affirmare, hujuſmodi ſic per nos improbatas & damnatas aſſertiones veras eſſe, aut dictos libros pro veris legere, tenere, vel habere, poſtquam de præſentibus ſcientiam habuerint, excommunicationis ſententiam eo ipſo incurrant: a qua ab alio, quam a Rom. Pontifice (niſi in mortis articulo) nequeant abſolutionis beneficium obtinere. Item motu, ſcientia, & auctoritate ſimilibus, ſimili pœnæ ac cenſuræ ſubjicientes eos, qui auſi fuerint aſſerere, contrariam opinionem tenentes, videlicet glorioſam Virginem Mariam cum originali peccato fuiſſe conceptam, hæreſis crimen vel peccatum incurrere mortale: cum nondum ſit a Rom. Eccleſ. & Apoſtolica ſede deciſum. Non obſtantibus conſtitutionibus & ordinationibus Apoſtolicis contrariis quibuſcunque, quibus communiter vel diviſim a ſede Apoſtolica indultum exiſtat, quod interdici, ſuſpendi, vel excommunicari non poſſint per literas Apoſtolicas, non facientes plenam ac expreſſam, ac de verbo ad verbum de indulto hujuſmodi mentionem. Et ne de præmiſſis aliquando valeant ignorantiam allegare, volumus, quod locorum ordinarii requiſiti præſentes literas in Eccleſiis conſiſtentibus in eorum civitatibus, & ſuarum diœceſum, & locis inſignibus, dum major ibi multitudo populi ad divina convenerit, ſermonibus ad populum mandent, & faciant publicari. Præterea, quia difficile foret præſentes literas ad ſingula loca, in quibus expediens fuerit, deferre, etiam volumus, & dicta auctoritate decernimus, quod earundem literarum tranſumpto [a] manu publici Notarii confecto, & authentico alicujus Prælati Eccleſiaſtici ſigillo munito, ubique ſtetur, prout ſtaretur eiſdem originalibus literis, ſi forent exhibitæ vel oſtenſæ. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam noſtræ reprobationis, damnationis, ſtatuti, ordinationis, voluntatis, & decreti infringere, vel ei auſu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præſumpſerit, indignationem omnipotentis Dei, & beatorum Petri & Pauli Apoſtolorum ſe noverit incurſurum. Datum Rom. apud S. Petrum, anno incarnationis Dominicæ 1483. prid. Non. Sept. Pont. noſt. Anno 13.

## *TITULUS XIII.*

## DE IMMUNITATE ECCLESIARUM.

### CAP. UN.

*Decretalis*, Clericis Laicos. *eod. tit. lib. 6. habet locum tantum quoad Laicos tallies a Clericis exigentes, & dantes illis auxilium, & non quoad ſolventes: præcipit deinde Lateran. & generalia Concilia diligenter obſervari.*

Benedictus XI. (*an.* 1304.)

QUod [b] olim per felic. record. Bonifacium Papam VII. præd. noſt. contra Laicos, exigentes ſive recipientes a Clericis & Eccleſiaſticis perſonis tallias, decimam vel aliam quotam ſeu quantitatem aliquam de proventibus bonorum ſuorum, aut Eccleſiarum: necnon adverſus ſolventes, aut promittentes, vel conſentientes ſe ſoluturos, pœnis adjectis ſtatutum eſt, quantum ad pœnas ipſas ex cauſa de conſilio fratrum noſtrorum reſtringimus ad exigentes tantummodo, & ad exigendum dantes auxilium, conſilium vel favorem: non autem quoad eaſdem pœnas in ſolventibus aut recipientibus a ſponte dantibus deinceps vendicet ſibi locum. Cæterum attendant ſolicite Eccleſiarum Prælati, & alii Clerici Lateran. Concilium, quod in hujuſmodi ſubventionibus ſolum caſum neceſſitatis, aut communis utilitatis, ubi Laicorum ad id non ſuppetant facultates, deliberatione provida noſcitur excepiſſe: & deinde generale ſtatuiſſe Concilium, propter quorundam imprudentiam, etiam in hoc caſu Rom. Pont. (cujus intereſt communibus providere utilitatibus) primitus conſulendum. Attente igitur caveant, ne prædictorum Conciliorum tranſgreſſores exiſtant, aliquid in caſu prædicto, & multo magis ſi caſus ipſe non ſubſit, quoquo modo vel titulo inconſulto Rom. Pont. occaſione ſubventionum dictarum concedendo Laicis, vel etiam promittendo: Alioquin tanquam canonum, & tam ſolennium Conciliorum temerarii tranſgreſſores, quas proculdubio (Deo propitio) idem infliget Pontifex, graviſſimas pœnas poterunt merito formidare. Nulli ergo omnino hominum, &c.

PAſtoralis cura ſolicitudinis ſuper cunctas populi Chriſtiani nationes, invigilare remediis ſubjectorum, eorundem periculis obviare, ac ſcandala removere compellit. Sane quoniam ex conſtitutione felicis recordationis Bonifacii, &c ut in Clem. 1. eod. tit.

a *Inſtrumentum ex originali traſumptum quandoque facit plenam fidem.* b *vide c. 1. eod. tit. in Clem. cum notatis ibid. per Ed.*

# FINIS LIBRI TERTII.

# QUARTUS LIBER VACAT.

EXTRA-

# EXTRAVAGANTIUM COMMUNIUM LIBER QUINTUS.

## *TITULUS I.*

## DE SIMONIA.

### CAP. I.

*Paſtus vel jocalia exigentes, & etiam dantes pro religionis ingreſſu, ſi ſint ſingulares perſonæ, excommunicationis: ſi Conventus vel Capitulum, ſuſpenſionis ſententias ipſo facto incurrunt: cujus utriuſque vinculi abſolutio ſoli Papæ reſervatur: aliis pœnis in ſuo robore duraturis, niſi ingredientes aliquid ſponte, & ſine pactione obtulerint. Quid de perſonis jam tali labe fœdatis, & bonis ſic receptis faciendum ſit, tandem patefacit.*

Urbanus IV. *al.* V. (*an.* 1262. *Romæ.*)

SAne *a*, ne in vinea Domini noſtri, noſtræ (licet inſufficientibus meritis) commiſſa cuſtodiæ, naſcentes vepres & ſpinæ adeo convaleſcant, quod ſperatam fructificationem ipſius valeant impedire, diligentiæ noſtræ incumbit officio, ut illas extirpare radicitus ſolerti ſtudio procuremus. Sane multorum fide dignorum relatione didicimus, quod in nonnullis Eccleſiis, monaſteriis, prioratibus, & aliis locis religioſis, tam virorum, quam mulierum, ordinum, regionum & partium diverſarum deteſtabilis, & canonibus reprobata ſervatur abuſio, quod cum perſonæ aliquæ recipiuntur ab eis ad obſervantiam regularem, ipſæ temeritate præſumptuoſa paſtus ſeu prandia Capitulis & Conventibus ipſarum Eccleſiarum, monaſteriorum, prioratuum, & locorum, ut pecunias, aut jocalia, ſeu res alias ipſis Eccleſiis, monaſteriis, prioratibus, & locis, ſeu præſidentibus eis, ex ſtatuto ſeu conſuetudine, quæ corruptela eſt potius dicenda, tribuere compelluntur: Ex quibus decori Eccleſiaſticæ & immaculatæ religionis detrahitur. Quampluresetiam, tam execratione hujuſmodi criminis, quam expenſarum onere a ſacræ religionis propoſito retrahuntur: Ipſæque Eccleſiæ, monaſteria, & loca famulantium Deo conſuetis numeris remanent deſtituta, & in multorum mentibus fidelium ſcandalum generatur. Nos igitur huic morbo peſtifero cupientes congruam adhibere medelam, & aliis pœnis in talia præſumentes inflictis a jure in ſuo robore duraturis, pœnam adjicere graviorem: univerſis Abbatibus, Prioribus, Decanis, Præpoſitis, & Magiſtris, necnon Abbatiſſis, & Prioriſſis, aliiſque Prælatis, quovis nomine nuncupatis, & eorum officialibus quarumcunque etiam Eccleſiarum, monaſteriorum, prioratuum, domorum & locorum quorumlibet, religionum, ordinum etiam militarium, tam exemptorum, quam non exemptorum, quocunque nomine cenſeantur, ac Capitulis & ſingularibus perſonis eorum, tenore præſentium auctoritate Apoſtolica (quamvis ſit eis a jure inhibitum) diſtrictius inhibemus, ne tam a maribus quam a mulieribus, volentibus ingredi eorum religionem, Eccleſias, monaſteria, prioratus, domus ſeu loca, in earumdem perſonarum receptione, aut ante vel poſt illam, quoſcunque paſtus, prandia ſeu cœnas, pecunias, jocalia, aut res alias, etiam ad uſum Eccleſiaſticum, ſeu quemvis pium uſum alium deputata, vel deputanda, directe vel indirecte petere vel exigere quoquo modo præſumant. Sed eas potius cum omnimoda pietate recipiant, ac in victu & veſtitu ſicut alias perſonas ſuarum Eccleſiarum, monaſteriorum, prioratuum, domorum & locorum ſincera charitate pertractent. Illa duntaxat quæ perſonæ ipſæ ingredientes pure & ſponte, & plena liberalitate omnique pactione ceſſante dare vel offerre Eccleſiis, monaſteriis, prioratibus, domibus, & locis hujuſmodi voluerint, cum gratiarum actione licite recepturi. Nos enim, qui ſecus egerint, ſi ſint ſingulares perſonæ tam dantes, quam accipientes, hujuſmodi excommunicationis; ſi Capitulum vel Conventus fuerit, ſuſpenſionis ſententiis eo ipſo decernimus ſubjacere: A quibus (præterquam in mortis articulo) abſolvi nequeant abſque ſedis Apoſtol. licentia ſpeciali. Cæterum perſonis illis utriuſque ſexus, quæ jam labe hujuſmodi ſunt fœdatæ, earum providentes ſaluti, de benignitatis gratia eas liberantes, concedimus, quod per ſuos locorum diœceſanos hac vice duntaxat a crimine hujuſmodi & nota infamiæ inde contracta, auctoritate Apoſtolica abſolvantur: canonica proinde ipſis pœnitentia ſalutari impoſita, de qua ipſorum diſcretioni videbitur expedire, & demum cum ipſis, ut in earum Eccleſiis, monaſteriis, Prioratibus, dignitatibus & locis licite valeant remanere, miſericorditer diſpenſetur. Inſuper erga perſonas illas, quæ in præmiſſis recipiendo aliqua contra canonicas ſanctiones peccaſſe noſcuntur, volentes nos reddere gratioſos; omnia recepta hujuſmodi ſi ad communem uſum monaſteriorum ſeu locorum eorum ſunt applicata ea ad dictum uſum licite concedimus retineri. Si vero ad ſpecialem uſum Abbatis ſui Abbatiſſæ, Prioris aut Prioriſſæ, aut alterius ſingularis perſonæ retineantur, illa venire præcipimus in communi. Nulli ergo hominum liceat hanc paginam noſtræ inhibitionis, conſtitutionis, conceſſionis, & præcepti infringere, vel ei auſu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præſumpſerit, indignationem omnipotentis Dei & beatorum Petri & Pauli Apoſtolorum ejus ſe noverit incurſurum. Datum Romæ apud ſanctum Petrum 2. Nonas menſis Aprilis, Pontif. noſt. Anno 1

a *Vide cap. non ſatis cap. cum in Eccleſia corpore, & c. Veniens, cum ibi notatis, extr. de ſimon. adde B. Thom 2. 2. q 100. ar. 3. ad quartum argumentum.*

### CAP. II.

*Omnes ſimoniaci cujuſcunque dignitatis aut ſtatus, ſunt ipſo facto excommunicati: nec habent ſimoniace ordinati ordinis executionem. Et electiones aut aliæ proviſiones per ſimoniam factæ non valent, nec jus percipiendi fructus tribuunt. Mediatores etiam ſimoniæ eadem cenſura ligantur, qui a ſolo Papa abſolventur. Et omnes prædicti ſunt Romano Pontifici revelandi,*

Paulus

Paulus Venetus *Papa II.* (*an.* 1464. *Romæ.*)

CUm *a* deteſtabile ſcelus ſimoniacæ pravitatis tam divinorum quam ſacrorum canonum auctoritas abhorreat, atque damnet: Nos conſiderantes quod plures pœnarum gravitas, quam Dei timor arcere ſolet a voluntate peccandi, ac ſummis deſideriis affectantes, ut horum peſtiferum vitium non ex uſu ſolum, ſed etiam ex mentibus hominum ſaltem propter pœnarum metum penitus evellatur: prædeceſſorum noſtrorum Romanorum Pontificum veſtigiis inhærentes, ac etiam omnes & ſingulas excommunicationis, ſuſpenſionis, privationis, & interdicti ſententias, cenſuras & pœnas dudum a Romanis Pontificibus prædictis, & pro talibus reputatis contra ſimoniacos quomodolibet latas, & illos, qui cujuſcunque ſtatus, gradus, ordinis, conditionis, vel præeminentiæ fuerint etiamſi Cardinalatus, Patriarchali, Epiſcopali, Regali, Reginali, vel alia quavis Eccleſiaſtica ſeu mundana dignitatibus præfulgeant, & eorum quemlibet, tam manifeſtum quam occultum, quas ipſo facto eos incurrere volumus, confirmantes & innovantes Apoſtolica auctoritate, declaramus quod omnes illi, qui ſimoniace ordinati fuerint, a ſuorum ſint ordinum executione ſuſpenſi *b*. Per electiones vero, poſtulationes, confirmationes, proviſiones, ſeu quaſvis alias diſpoſitiones, quas ſimoniaca contigerit labe fieri, & quæ viribus omnino careant in Eccleſiis, monaſteriis, dignitatibus, perſonatibus, officiis Eccleſiaſticis, & quibuſvis beneficiis, aut aliquo eorum cuiquam jus nullatenus acquiratur, nec inde faciat aliquis fructus ſuos, ſed ad illorum omnium quæ percipit reſtitutionem ſub animæ ſuæ periculo ſit adſtrictus. Statuentes præterea, quod univerſi & ſinguli etiam præmiſſis dignitatibus præditi, qui quomodolibet dando vel recipiendo ſimoniam commiſerint, aut quod illa fiat, mediatores extiterint, ſeu procuraverint, ſententiam excommunicationis incurrant: a qua niſi a Romano Pontifice pro tempore exiſtente non poſſint abſolvi, præterquam in mortis articulo conſtituti. Et ut hujuſmodi labis contagio frequentius reprimatur, omnibus & ſingulis Eccleſiaſticis ſecularibuſque perſonis cujuſcunque dignitatis, ſtatus, gradus, ordinis, vel conditionis fuerint, in virtute ſanctæ obedientiæ diſtrictius injungimus, ut eos omnes, quos ſimoniam hujuſmodi commiſiſſe vel procuraſſe, aut in ea mediatores eſſe ſciverint, Pontifici prædicto, vel cui idem Pontifex duxerit committendum, per ſe vel alios revelare quantocius non omittant. Pro revelatione hujuſmodi, etiamſi complices *c* fuerint, non ſolum veniam a nobis, ſed etiam gratiam conſecuturi, ſi eorum indicio participes tanti criminis valeant coerceri. Quod ſi non fecerint, abſolvi non valeant, donec prædicta revelent, & complices hujuſmodi detecti arctius punientur.

Nulli ergo, &c. noſtræ confirmationis, innovationis, declarationis, & voluntatis infringere, &c. Datum Romæ apud ſanctum Petrum, anno incarnationis Domini M. CCCC. LXIX. 9. Cal. Decemb. Pontificatus noſtri Anno 1. Publicata die 24. Novemb. Anno prædicto.

---

## TITULUS II.
## DE JUDÆIS.
### CAP. I.

*Chriſtiani arma portantes ad infideles, Chriſtian. impugnantes, ipſo facto ſunt excommunicati, capientium ſervi, infames, & inteſtabiles tam active, quam paſſive, & eorum bona confiſcata.* vid. cap. Itaque quorundam. & cap. Ad liberand. extra eod. tit.

Clemens V. (*an.* 1310. *Romæ.*)

MUlta *a* mentis amaritudine concitamur, gravisſque doloris aculeus perfodit mentem noſtram, intelligentes, quod renati fonte baptiſmatis in devium aberrantes, qui deberent opprobrium illatum Domino in terram hæreditatis ſuæ totis viribus vindicare, potius injuriatoribus ſuis favent, Sarracenorum videlicet horribili & perfidæ nationi, & degenerantes miſerabiliter a ſtatu fidelium, famæ propriæ immemores, & ſalutis obliti, inimicis crucis Chriſti, contra ipſius negotium, ferrum, equos, arma, & alia vetita, necnon victualia, & mercimonia in Alexandriam, & alia loca Sarracenorum terræ Ægypti deferre præſumunt. Ex quo manifeſte apparet, quod Chriſtianos, qui ad defenſionem hæreditatis Domini ibidem pro fide remanſerunt, talibus adjuti ſubſidiis irreverenter impugnant: propter quod fidei negotium ibidem quodammodo noſcitur deperire. Nos igitur qui ad liberandam terram ipſam operam dare intendimus (cum Dei adjutorio) efficacem, tam graves trangreſſus ulterius ſuſtinere nolentes, felicis recordationis Nicol. Papæ IV. prædeceſſ. noſtri veſtigiis inhærentes, præſentium tenore ſtatuimus, ut nullus arma, equos, ferrum, lignamina, victualia, & alia quæcunque mercimonia in Alexandriam, vel alia loca Sarracenorum terræ Ægypti deferre, mittere, vel portare, ſeu de portubus eorum, ut eiſdem deferantur, extrahere, vel extrahi permittere, aut eis alias auxilium vel favorem præſtare quoquo modo præſumat. Nos vero illos, qui contra hujuſmodi conſtitutionem noſtram auſu temerario venire præſumpſerint, eo ipſo excommunicationis ſententiæ decernimus ſubjacere: a qua abſolvi nequeant, niſi tantum de bonis propriis in dictæ terræ ſubſidium convertendum exolverint, quantum ad partes prædictas detulerint vel miſerint, aut deferri, vel de ipſorum portubus extrahi permiſerint deferendum: nec tunc etiam ab eadem (præterquam in mortis articulo) abſolvantur ſententia, abſque mandato ſedis Apoſtolicæ ſpeciali. Et nihilominus, ſi perſonas eorum capi contingat, in ſervitutem & capturam illorum eſſe volumus, in quorum ceciderint captionem. Auctoritate inſuper Apoſtolica ſtatuentes, ut illi, qui contra hujuſmodi ſtatutum noſtrum quomodolibet venire præſumpſerint, præter pœnas prædictas, quas ipſo facto incurrant, perpetuo ſint infames, & inteſtabiles habeantur: ita quod nec teſtari, nec legata eis ſeu relicta percipere valeant, & inſuper ad ſucceſſiones, tam ex teſtamento, quam ab inteſtato ſint prorſus & reddantur inhabiles, nec ad publica quælibet admittantur officia, ſintque illis omnes actus legitimi penitus interdicti, & tanquam excommunicati, hoſteſque catholicæ fidei (poſtquam de ipſorum hujuſmodi temeritate conſtiterit) diebus Dominicis & feſtivis publice nuntientur, & in fiſcum bona eorum omnia devolvantur.

### CAP. II.

*Judæi ad fidem converſi non ſunt in bonis moleſtandi, ne ſint deterioris conditionis poſt baptiſmum, quam eſſent ante.*

Joannes XXII. (*an.* 1319. *Avenion.*)

DIgnum *b* arbitrantes, & juri conſonum, fonte renatos baptiſmatis Judaica cæcitate dimiſſa amplioribus favoribus aut gratiis, quam antea abundare: indecens & abſurdum, ut qui in perfidia abundarent, cogantur mendicare fideles: univerſis & ſingulis Rectoribus, & aliis Officialibus comitatus Veneſini, aliorumque Comitatuum,

---

a *Vide extravagantem Pii V. incid. Cum primum §. & ut ſimoniacæ pravitatis, per quam hæc conſtitutio inviolabiliter obſervari mandatur, & de intellectu deciſionem Caſſiodori 5. tit. de conſt. r.* b *Vide c. de ſimoniac. & ibi plene per Canoniſtas. extra, de ſimonia. adde omnino beatum Thomam 2. 2. q. 100. art. 2. ad quartum argumentum.* c *Complices criminis quandoque præmiantur. Cod. ad leg. Juliam majeſtatis. l. quiſquis. in fine.*

a *Præter cap. ita quorundam. & cap. ad liberandam. extra, de Judæis, vide Clem. 1. eod. tit. & proceſſum Bullæ in cœna Domini. §. 7.* b *Vide omnino extravagantem Pauli Papæ III. incip. cupientes Judæos. ubi de hac materia plenius cavetur.*

UNED

tuum, & terrarum pertinentium ad Apoſtolicam ſedem, diſtricte præcipimus & mandamus, quatenus converſis hujuſmodi & qui in poſterum convertentur, in poſſeſſionibus & bonis aliis, quocunque nomine cenſeantur, quæ in Comitatibus & terris prædictis converſionis tempore obtinebant, ſeu etiam obtinebunt, occaſione prædicta nullam moleſtiam inferant, nec ab aliis inferri permittant: ſed ipſis in his & aliis ſe favorabiles exhibentes, ipſos ab injuriis & moleſtiis protegant & defendant: ut ſic de ſervitute ad libertatem ſe tranſiſſe percipiant, nec redire prætextu mendicitatis odibilis ad dimiſſam perfidiam compellantur. Nulli ergo &c. noſtrorum præceptionis & mandati infringere. Datum Avenion. 10. Cal. Auguſt. Pont. noſt. An 4.

## TITULUS III.
## DE HÆRETICIS.
### CAP. I.

*Decretalem*, Per hoc. *eod. tit. lib. 6. declarat, bona hæreticorum per diœceſanos uſurpari vetans.*

Benedictus XI. *Inquiſitoribus hæreticæ pravitatis.*

(*An.* 304.)

EX eo *a*, quod quædam novella conſtitutio ſuper negotio hæreticæ pravitatis a bonæ mamoriæ Bonifacio Papa VIII. prædeceſſore noſtro, edita continet, quod in ipſo negotio per diœceſanos Epiſcopos, & inquiſitores ſuper eodem facto inquiri valeat communiter vel diviſim: & ſi diviſim proceſſerint, teneantur ſibi invicem communicare proceſſus: Nos conſulere voluiſtis, quando & quoties ſit iſta proceſſuum communicatio facienda. Nos autem de fratrum noſtrorum conſilio intelligendo diœceſanos & inquiſitores tunc demum diviſim procedere, cum hi & illi ſeparatim, non quando Epiſcopi tantum, vel inquiſitores tantum procedunt: conſultationi veſtræ breviter reſpondemus, quod quando utrique procedunt ſejunctim, ſibi debent in fine tantum, dum nihil reſtat agendum, niſi quod ſolum ſententia promulgetur, communicare proceſſus. Licet enim quibuſdam potuiſſet videri per legem civilem, quod ſicut quando aliquis ex actitatis coram alio debet ferre ſententiam, utputa, quando adminiſtrator delegat cauſam, ſibi ſententia reſervata: ſaltem in principio, id eſt, conteſtatione, rurſus in medio, & ſemel in fine, quæ ſunt examinata, audire debet: ita & in caſu præſenti, ubi ex actis coram alio habitis alter profert ſententiam, ſic ter hujuſmodi acta recenſeat: quod fieri non poteſt, ſi eorum denegetur editio: tamen id æquitas canonum non admiſit. Unum ſane caſum excipimus, ſi alter commode non poſſit procedere, niſi alterius actis viſis. Ex hac enim cauſa ſemel tantum (ut fraudi locus non fiat) in toto negotio copia tribuatur. Verum quia *b* nonnulli diœceſani partem partis proventuum de hæreticorum bonis inquiſitionis officio deputatæ propter expenſas, quas dum inquirunt in ſæpedicto negotio faciunt, a vobis exigere moliuntur, hoc tanquam juri abſonum (cum ordinarii ſint, ideoque officium tale, quod eis incumbit, propriis eos oportet explere ſtipendiis) fieri penitus prohibemus. Rationem autem iidem diœceſani proventuum, obventionum ex inquiſitionis officio a vobis, non obſtante aliqua conſtitutione, conſuetudine, vel mandato contrariis, non expoſcant: ſed eam cameræ noſtræ, vel alii, cui nos vel ſucceſſores noſtri Romani Pontifices mandaverimus reddendam, reddatis, quæ generaliter obſervari jubemus.

### CAP. II.

*Tres errores magiſtri Joannis de Poliaco, doctoris Pariſienſis, hic damnantur.*

Joannes XXII. (*An* 1320. *Avenioni*).

VAS *a* electionis doctor eximius, & egregius prædicator, cujus prædicatio mundum docuit univerſum, præſumptuoſam illorum audaciam refrænare ſolicitus, qui prudentiæ propriæ innitentes, in errores proprios prolabuntur, non plus ſapere, quam oportet ſapere, ſed ad ſobrietatem ſapere ſalubri doctrina ſuggeſſit: & juxta Sapientis *b* eloquium: *Quiſque ſuæ prudentiæ modum ponat*. Sane dudum cum dilectum filium magiſtrum Joannem de Poliaco, ſacræ Theologiæ Doctorem, certis ex cauſis de fratrum noſtrorum conſilio ad noſtram præſentiam vocaviſſemus: fide digna relatio ad noſtrum perduxit auditum, quod ipſe in quibuſdam articulis tangentibus pœnitentiæ ſacramentum, non ſobrie, ſed perperam ſapiat, infraſcriptos articulos, periculoſos continentes errores, docens publice in ſuis prædicationibus & in ſcholis. Primo ſiquidem aſtruens, quod confeſſi fratribus, habentibus licentiam generalem audiendi confeſſiones, tenentur eadem peccata, quæ confeſſi fuerant, iterum confiteri proprio Sacerdoti. Secundo, quod ſtante, Omnis utriuſque ſexus, edicto in Concilio generali *c*, Rom. Pontif. non poteſt facere, quod parochiani non teneantur omnia peccata ſua ſemel in anno proprio Sacerdoti confiteri, quem dicit eſſe parochialem curatum. Imo nec Deus poſſet hoc facere: quia (ut dicebat) implicat contradictionem. Tertio, quod Papa non poteſt dare poteſtatem generalem audiendi confeſſionem: imo nec Deus, quin confeſſus habenti licentiam teneatur eadem confiteri proprio Sacerdoti: quem dicit eſſe (ut præmittitur) proprium curatum. Nos igitur ſcire volentes, ſi ſuggeſta nobis veritatem haberent, articulorum præmiſſorum copiam eidem magiſtro Joanni fecimus aſſignari, & ad ſui defenſionem plenam audientiam ſibi præbuimus, tam in noſtra & fratrum noſtrorum præſentia in conſiſtorio, quam alias coram aliquibus ex ipſis fratribus per nos ad hujuſmodi officium deputatis. Verum licet præfatus magiſter dictos articulos, & contenta in ipſis defendere niteretur, aſſerebat tamen ſe paratum credere & tenere in præmiſſis & aliis, quæ tenenda & credenda eſſe ſedes Apoſtolica definiret. Nos igitur attendentes, quod prædictorum articulorum aſſertio, prædicatio, & doctrina redundare poterant in multarum perniciem animarum, ipſos per Prælatos magiſtros in Theologia examinari fecimus diligenter. Nos ipſi etiam cum dictis fratribus noſtris collationem ſolertem & examinationem habuimus ſuper his. Per quas quidem collationem & examinationem ſuper his habitas, comperimus præmiſſos articulos doctrinam non ſanam, ſed periculoſam multum & veritati contrariam continere. Quos etiam articulos omnes & ſingulos idem magiſter Joannes, veris ſibi rationibus opinioni dudum ſuæ habitæ contrariis demonſtratis, in conſiſtorio revocavit: aſſerens ſe credere eos non veros, ſed ipſorum contrarium verum eſſe, & dicens ſe neſcire rationibus ſibi factis in contrarium reſpondere. Ideoque ne per aſſertionem, prædicationem, & doctrinam hujuſmodi in errorem (quod abſit) animæ ſimplicium prolabantur, omnes articulos & quemlibet eorum tanquam falſos & erroneos, & a doctrina ſacra devios auctoritate Apoſtolica condemnamus & reprobamus, de fratrum noſtrorum conſilio prædictorum, doctrinam contrariam veram, & contrarium eſſe catholicum aſſerentes: ſcilicet, quod illi, qui prædictis fratribus confitentur, non magis teneantur eadem peccata confiteri iterum, quam ſi ea alias confeſſi fuiſſent eorum proprio Sacerdoti juxta concilium generale *d*. Optanteſque veritatis vias notas eſſe fidelibus cunctis, & prædictis erroribus præcludere aditum, ne ſubintrent errores, felicis re-

a *Præter notata, in cap. per hoc. de hæret. l.6. vide Nicolaum Eymericum in directorio Inquiſitorum p.3. qu.*50. 51. & 52. *Repertorium Inquiſitorum verbo communicare.* §. *ſed quomodo. & Zanchinum tract. de hæret. c.*15. b *Vide Eymericum in directorio Inquiſitorum, p. q.*104. 105. & *ſeq.*

a *Rom.* 12. b *Proverb.* 6. & 23. c *Scilicet Lateran. ſub Innoc III. cap.*21. d *Id eſt, Conc. Later. ſub Innoc.III. c.*21. & *refertur in cap. omnis. de pœnit. & remiſſ.*

UNED

recordationis Alexandri IV. & Clementis IV. Romanor. Pontificum, prædeceſſorum noſtrorum veſtigiis innitendo, univerſis & ſingulis diſtrictius inhibemus, ne quiſquam præmiſſos articulos per nos (ut præmittitur) damnatos & reprobatos, & contenta in eis, vel aliquo ipſorum, utpote a catholicis mentibus reſpuenda, tenere audeat, ſeu defenſare quomodolibet, vel docere. Quocirca univerſitati veſtræ per Apoſtolica ſcripta præcipiendo mandamus, quatenus univerſis & ſingulis veſtrum in civitatibus & diœceſ. veſtris convocato clero & populo communiter omnia præmiſſa & ſingula per vos, ſeu alios ſolenniter publicetis. Nos etiam eidem magiſtro Joanni mandamus, quod in ſcholis & ſermone Pariſius prædictos articulos, & contenta in eis tanquam veritati contraria propriæ vocis oraculo, aſſeveratione conſtanti publice debeat revocare. Quod ſe facturum dictus magiſter Joannes efficaciter repromiſit. Datum Aven. 8. Cal. Aug. Pont. noſt. An. 5.

## C A P. III.

*Inquiſitores hæreticæ pravitatis cenſuras Eccleſiaſticas fulminare non poſſunt in officiales & Nuntios ſedis Apoſtolicæ ſine ipſius licentia ſpeciali: ſed de eorum exceſſibus informationem facere poſſunt, & deinde Rom. Pontifici ſignificare.*

Idem.

CUM a Matthæus de Pontinian. ordinis Prædicatorum, inquiſitor hæreticæ pravitatis in regno Siciliæ auctoritate Apoſtolica deputatus, frivola occaſione quæſita, ac noſtra & Apoſtolicæ ſed. reverentia & honore poſtpoſitis, in dilectum filium G. de Baleto, Archidiaconum Forolivien. Capellanum noſtrum, Campaniæ, Maritimæque Rectorem excommunicationis ſententiam inconſultis motibus, non ſine multa temeritate duxerit proferendam: Nos volentes de cætero talium præſumptoribus obviare, univerſis & ſingulis, tam ordinariis, quam delegatis Judicibus, & inquiſitoribus pravitatis ejuſdem, & aliis univerſis & ſingulis, quacunque auctoritate fungantur, auctoritate Apoſtolica diſtrictius inhibemus, & mandamus expreſſe, ne contra noſtros & Apoſtolicæ ſedis officiales vel nuntios, aut ipſorum aliquem, quavis occaſione vel cauſa, abſque noſtra & Apoſtolicæ ſed. licentia ſpeciali, eis per ſedis ipſius literas concedenda, plenam faciente de tenore præſentium mentionem, procedere quoquomodo præſumant, aut in eos, vel ipſorum aliquem excommunicationis vel ſuſpenſionis, ſeu quaſvis alias ſententias promulgare. Nos enim exnunc decernimus irritum & inane, quicquid contra inhibitionem & mandatum hujuſmodi contigerit attentari. Volumus tamen, quod diœceſani & inquiſitores prædicti, ſuper iis, quæ negotium tangunt fidei, alii vero ſuper iis, quæ rem tangunt vel publicam vel privatam, ſive ordinarii, ſive delegati, quacunque auctoritate fuerint, prout poſſet ad eorum officium pertinere, ſi quid per officiales & nuntios ipſos indebite forſan attentatum extiterit, ſe plenius informare, idque nobis ſignificare ſtudeant, ut providere ſuper hoc de remedio opportuno valeamus. Nulli ergo, &c. Dat. Aven. XII. Cal. Jan. Pont. noſt. An. 11.

## *TITULUS IV.*
## DE SCHISMATICIS.
## CAP. UN.

*Proceſſus & ſententias latas per Bonifacium VIII. contra Jacobum & Petrum de Columna, tanquam Schiſmaticos, & eorum poſteros, revocat hic Benedictus XI. exceptis confiſcationibus, in quibus nihil immutat. Et ſic (ut clare patet) hæc extravagans corrigit & prorſus revocat cap. unic. eod. tit. l. 6.*

Benedictus XI. (*An.* 1304.)

DUdum bonæ memoriæ Bonifacius Papa VIII. prædeceſſor noſter, contra Jacobum, Petrum & Joannem de ſancto Vito, Ottonem quondam Agapitum, Stephanum & Jacobum Scyarram, nepotes memorati Jacobi, & filios olim Joan. de Columna, & poſteritatem eorum, necnon contra Richardum, Petrum & Joan. de Monte Nigro, ac adjutores, fautores, & receptatores eorum, cujuſcunque ſtatus, etiamſi Imperiali, vel Regali dignitate fulgerent, contra ipſam inſuper Præneſte, dum vixit, varios fecit proceſſus, ſententias graves pœnas habentes & multas, prout in eiſdem proceſſibus continetur, ex quibus ſic paucas ex multis, & prolixis breves exprimimus, quod intelligi volumus ſpecialiter ſingulas numeratas, & nominatim expreſſas. Inter cætera ſiquidem depoſuit dictos Jacobum atque Petrum a Cardinalatibus ſanctæ Rom. Eccl. reddens eos & filios dicti Jacobi, & poſteritatem eorum inhabiles ad Apoſtolicæ dignitatis apicem & Cardinalatus honorem; ipſos eoſdemque Jacobum & Ottonem & Richardum beneficiis Eccleſiaſticis, Eccleſiis cunctis privavit, eoſque & Agapitum, Stephanum & Scyarram prædictos bannivit ab urbe, & ita Eccleſiæ ſupradictæ ipſorum confiſcavit bona & jura, plurium excommunicationum ſententiis innodavit, addixit infamiæ, cupiendos expoſuit, judicavit Schiſmaticos, & tanquam hæreticos puniendos, ab adminiſtrationibus & officiis, juriſdictionibus, exercitio & dignitatibus in urbe & circa in Roman. Eccleſ. & curia, ac ipſorum poſteros perpetuo, & in terris Rom. Eccleſ. uſque in quartam generationem, per maſculinum & fœmininum ſexum coercuit, eis incolatum, civilitatem & habitationem urbis, circumpoſitæ regionis, & terrarum ſubjectarum Eccleſiæ interdixit, & inteſtabiles fecit. Nos itaque, qui ejus vices in terris gerimus, cujus eſt proprium miſereri & parcere, eorum miſeriis & ærumnis compatimur, ad clementiam pro eis commovemur, ipſis pietatis noſtræ aperimus viſcera, & manſuetudinem non negamus, miſericordes ab eis non avertimus oculos, illiſque pium animum exhibemus. Ideoque omnes prædictas, depoſitionis a Cardinalatibus, privationis a beneficiis & Eccleſiis, inhabilitatis ad Papatum Romanum, & bonorum, & jurium, quæ certis nobilibus Romanis civibus & aliis conceſſa ſunt (confiſcationibus exceptis, in quibus nihil immutamus ad præſens) ſententias, pœnas & mulctas, & alias, quæ in proceſſibus memoratis ſive alibi continentur; verbo etiam in vita ipſius, vel in morte in eos latas & inflictas, ſeu confirmatas & innovatas per prædeceſſorem eundem, ſicut ſi (ut prædicitur) eſſent per nos ſpecialiter numeratæ, & nominatim expreſſæ, tam ad prædictos Jacob. & fil. dicti Joannis de Col. maſculinam & fœmininam prolem eorundem Joannis & filiorum per utrumque ſexum poſteritatem deſcendentem ab eis, Pet. & Richardo, & Joan. de Monte Nigro præfatos, quam ad coadjutores, fautores, receptatores, ſuſceptores & ſequaces eorum quoſlibet alios, penitus tollimus & viribus vacuamus: Ita, quod nec etiam pro præterito tempore poſſint ſuper eis aliquæ perſonæ impeti, quæ incurriſſent eas, aut contra ipſas aliquem effectum habere. Eiſque quod quævis alia quam præfatatum, depoſitionis a Cardinalatibus, privationis beneficiorum & Eccleſiarum, confiſcationis bonorum & jurium, quæ (ut præmittitur) dictis civibus ſeu aliis ſunt conceſſa, & inhabilitatis ad Papatum ſententia ſive pœna abſtulit, reddimus. Et irregularitatem, ſi quam quoquo modo contraxerint, removemus, & notam abolemus ipſius. Inhibentes ne jam dicta Præneſte cum monte ſuo reædificetur, vel muniatur, aut civitatis nomen, ſive Epiſcopatum recuperet abſque noſtra licentia ſpeciali. Non obſtantibus quibuſcunque conſtitutionibus, proceſſibus, inhibitionibus, decretis, privilegiis, indulgentiis, & litteris Apoſtolicis, per quæ præſentibus non expreſſa, vel totaliter non inſerta, earum effectus poſſit quomodolibet impediri; & de quibus, quorumque ſo-

a *Super hac conſtitutione, vide omnino Conſilium Lapi. incip. factum ſuper quo id conſilium nunc circumfertur poſt Conſilia Oldradi. adde Eymericum in directorio inquiſitor. part. 3. quæſt. 26.*

UNED

eotis tenoribus, de verbo ad verbum debeat in noſtris literis fieri mentio ſpecialis.

## TITULUS V.

## DE FURTIS

### CAP. UN.

*Publicatio excommunicationis lata in eos, qui furati ſunt theſaurum Eccleſiæ, quem jubente Clemente Papa de Peruſio in Lucanam civitatem tres viri hic nominati deportaverant. Et hic habetur optima practica monendi malefactores, ut intra certum terminum ſatisfaciant, alias excommunicationem incurrant: & modum ipſius excommunicationis publicandæ hæc extravagans clare manifeſtat.*

Joannes XXII. (*an.* 1316. *Avenioni.*)

INFIDELIS & ſtolidæ prædicationis alumni ſe per culpæ vitium indignos efficiunt, ut matris Eccleſiæ filii nuncupentur, dum ad ipſius matris injuriam ſe convertunt, (quod gravi nos commotione perturbat) matris ejuſdem pietatem offendunt: & his in perniciem miſerabili cæcitate delapſis, reſpergunt infamiæ maculis loca propriæ nationis. Dudum ſiquidem nonnulli degeneres filii, qui ad quæque nefaria currere ſunt auſi, perverſis auſibus in matris ejuſdem proſilientes injuriam & offenſam, illam theſauri ſui maximam partem, quæ de Peruſio ad civitatem Lucanam de mandato felicis record. Domini Clementis Papæ V. prædec. noſt. dum adhuc viveret, per dilectos filios Vitalem de Chabenate, Clericum Burdegalen. diœceſ. & Guliel. de Luna, ſervientem prædeceſſoris ejuſdem, una cum dilecto filio Jacobo de Caſalibus, Decano Eccleſiæ S. Severini Burdegal. diœc. Capellano noſtro, extiterat deportata; & quæ in ſacriſtia monaſterii S. Fedriani Lucanen. tunc temporis ſervabatur: deinde ad cameram prædeceſſoris ejuſdem fideliter deferendam, tempore invaſionis civitatis Lucanen. direpſerunt in prædam, & de præfata ſacriſtia per violentiam aſportarunt. Nos igitur ad recuperationem theſauri prædicti ſolicitis ſtudiis prætendentes, omnes & ſingulos aſportantes theſaurum prædictum, & alios, penes quos aliqua de theſauro fuerunt, vel adhuc exiſtunt, auctoritate Apoſtolica coram hac fidelium multitudine copioſa monemus, ut ea nobis, aut ei, quem ad id duximus deputandum, intra quatuor menſium ſpatium a die datæ publicationis præſentium numerandum, cum integritate reſtituat & aſſignet: ac omnes & ſingulos ſcientes, ubi vel penes quos aliqua de dicto theſauro extiterint, vel exiſtant, ut intra terminum ſupradictum, nobis aut ipſi deputato noſtro indicare ſtudeant: alioquin in omnes & ſingulos monitionis hujuſmodi contemptores, cujuſcunque dignitatis, ſtatus, vel conditionis extiterint, etiamſi Patriarchali vel ſuperiori, aut alia quacunque præemineant dignitate, exnunc auctoritate prædicta excommunicationis ſententiam promulgamus: Mandantes illos per diœceſanos locorum & rectores parochialium Eccleſiarum, civitatum & diœceſum earundem ſingulis diebus Dominicis & feſtivis pulſatis campanis & candelis extinctis excommunicatos publice nunciari: proceſſuri ad graviora nihilominus contra eos, necnon & contra civitates, communitates, univerſitates, & ſingulares perſonas quaſcunque, quæ fuiſſent in præmiſſis culpabiles, ſicut protervia ipſorum exegerit, & viderimus expedire. Non obſtante, ſi eis, aut eorum aliquibus, vel alicui ſub quacunque forma vel conceptione verborum, a ſede Apoſtolica ſit indultum, quod excommunicari non poſſint, per literas ſedis ejuſdem non facientes plenam & expreſſam, ac de verbo ad verbum de indulto hujuſmodi mentionem, & qualibet alia dictæ ſedis indulgentiam generali vel ſpeciali, cujuſcunque tenoris exiſtat, per quam effectus præſentium impediri poſſit, vel quomodolibet retardari. Ut autem hujuſmodi noſtra monitio verius ad communem omnium notitiam deducatur, chartas ſive membranas monitionem continentes eandem, in Eccleſia Avenion. appendi vel affigi oſtiis, ſeu ſuperliminaribus ejuſdem Eccleſiæ faciemus, quæ monitionem ipſam ſuo quaſi ſonoro præconio & patulo indicio publicabunt: ita quod omnes & ſinguli, quos monitio ipſa contingit vel contingere poteſt, nullam poſtea poſſint excuſationem prætendere, quod ad eos talis monitio non pervenerit, vel quod ignoraverint eandem: Cum non ſit veriſimile, remanere quoad ipſos incognitum vel occultum, quod tam patenter omnibus publicatur. Datum Avenion. 2. Calend. April. Pontif. noſtri Anno 1.

## TITULUS VI.

## DE CRIMINE FALSI.

### CAP. UN.

*Alchimiæ hic prohibentur, & puniuntur facientes & fieri procurantes: quoniam tantum de vero auro & argento debent inferre in publicum, ut pauperibus erogetur, quantum de falſo & adulterino poſuerunt: Et ſi eorum facultates non ſufficiant, pœna per Judicis diſcretionem in aliam commutabitur, & infames fiunt. Et ſi ſint Clerici, beneficiis habitis privantur, & ad habenda inhabiles efficiuntur. Vide extravagantem ejuſdem Joan. quæ incipit, Providens, & eſt ſub eod. tit. collocata.*

Joannes XXII. (*an.* 1317. *Avenioni.*)

SPONDENT a, quas non exhibent divitias, pauperes Alchimiſtæ: pariter, qui ſe ſapientes exiſtimant, in foveam incidunt, quam fecerunt. Nam haud dubie hujus artis Alchimiæ alterutrum ſe profeſſores ludificant, cum ſuæ ignorantiæ conſcii eos, qui ſupra ipſos aliquid hujuſmodi dixerint, admirentur: quibus cum veritas quæſita non ſuppetat, diem cernunt, facultates exhauriunt: iidemque verbis diſſimulant falſitatem, ut tandem, quod non eſt in rerum natura, eſſe verum aurum vel argentum ſophiſtica tranſmutatione confingant: eoque interdum eorum temeritas damnata & damnanda progreditur, ut fictis metallis cudant publicæ monetæ characteres fidis oculis, & non alias Alchimichum fornacis ignem vulgum ignorantem eludant. Hæc itaque perpetuis volentes exulare temporibus, hac edictali conſtitutione ſancimus, ut quicunque hujuſmodi aurum vel argentum fecerint, vel fieri ſecuto facto mandaverint, vel ad hoc ſcienter (dum id fieret) facientibus miniſtraverint, aut ſcienter vel auro vel argento uſi fuerint, vendendo vel dando in ſolutum: verum tanti ponderis aurum vel argentum pœnæ nomine inferre cogantur in publicum pauperibus erogandum, quanti Alchimici cum exiſtat: circa quod eos aliquo prædictorum modorum legitime conſtiterit deliquiſſe: facientibus nihilominus aurum vel argentum Alchimicum, aut ipſo (ut præmittitur) ſcienter utentibus, perpetuæ infamiæ nota reſperſis. Quod ſi ad præfatam pœnam pecuniariam exolvendam delinquentium ipſorum facultates non ſufficiant, poterit diſcreti moderatio Judicis pœnam hanc in aliam (puta carceris, vel alteram juxta qualitatem negotii, perſonarum differentiam, aliaſque attendendo circumſtantia.) commutare. Illos vero, qui in tantæ ignorantiam infelicitatis proruperint, ut nedum nummos vendant, ſed naturalia juris præcepta contemnant, artis excedant metas, legumque violent interdicta, ſcienter videlicet adulterinam ex auro & argento Alchimico cudendo ſeu fundendo, cudi ſeu fundi faciendo monetam, hac animadverſione percelli jubemus, ut ipſorum bona deferantur carceri, ipſique perpetuo ſint infames. Et ſi Clerici fuerint delinquentes, ipſi ultra prædictas pœnas priventur beneficiis habitis, & prorſus reddantur inhabiles ad habenda.

TITU-

a *Vide B. Thom.* 2 2. *q.* 77. *art.* 2. *ad* 1. *arg. & ibi Caietanum Oldrad. conſil.* 74. *incip. An Alchimiſta peccet. & late Caſſaneum in catalago gloria mundi, part.* 11. *conſid.* 40.



UNED

## *TITULUS VII.*
## DE PRIVILEGIIS.
### CAP. I.

*Hæc extravagans dat Prædicatoribus, & Minoribus privilegia plurima circa tria: videlicet circa prædicationes, confeſſionum auditiones, & ſepulturas.* De ſecundo *in §. Sed quia multoties*. De tertio in § *Porro*. Et licet ſit revocata per Clem. 2. de ſepul. multa tamen notatu digna in ea reperiuntur, quæ non ſunt retractata. Et potuiſſet non inepte poni ſub tit. de ſepult. Sed non eſt inconveniens idem cap. diverſis reſpectibus, ſub variis collocari titulis: ut patet in cap. ſignificantibus, extra, de libel. oblat. & de appell.

Benedictus XI. ( *an.* 1304. )

INTER cunctas *a* ſolicitudines noſtras, quibus nos paſtorale premit officium, & debitum Apoſtolicæ ſervitutis adſtrinxit, illa debet eſſe præcipua, ut gregi Dominico nobis ſuperna diſpoſitione commiſſo, animarum cura non deſit, ne illum lupus rapax, antiquus ſerpens humani generis inimicus invadat, ejuſque ſanguis de noſtris ( quod abſit ) clamante Propheta, manibus requiratur. Debemus inſuper, quantum ex alto permittitur, pacem inſerere, removere ſcandala, jurgiorum amputare materiam, & intelligere ſuper egenum & pauperem: quia non in finem oblivio erit pauperis, & patientia pauperum non peribit in finem. Sane dudum bonæ memoriæ Bonifacius Papa VIII. prædeceſſor noſter, quandam ſpecialem inter Prælatos, Rectores, ſeu Sacerdotes & Clericos parochialium Eccleſiarum ex parte una, & Prædicatorum ac Minorum Ordinum fratres ex altera, ſuper faciendarum prædicationum, audiendarum confeſſionum per eoſdem Fratres, ac de eis relictis, & de funeralibus canonicæ portionis articulis conſtitutionem edidit, certum his modum imponens, prout in eadem conſtitutione plenius continetur. Sed pro ea quam intendebat quiete, turbatio nata eſt, pro concordia ſunt ſuborta diſſidia, & pullulatæ inquietudines pro tranquillitate noſcuntur: ſicque dum anſam ſolviſſe ſe credidit, nodum ligaſſe videtur, & ſeptem uno Hydræ amputato capite ſuſcitaſſe. Nec mirum, quia plerunque pariunt novitates diſcordiam, præſertim, dum ab eo, quod diu æquum viſum eſt, per novam conſtitutionem receditur; nec quare recedatur, utilitas evidens vel alia cauſa ſubeſt. Ideoque cupientes, ut ipſi gregi cura noſtra eo plenior impendatur, quo amplior in agro Domini operariorum numerus operetur, ſuper *b* egenum intendentes & pauperem, ac novitatem removentes per eandem conſtitutionem inductam: ſtatuimus de fratrum noſtrorum conſilio, ut priorum Ordinum Fratres, qui ad hoc deputati fuerint, in Eccleſiis ac locis ipſorum, quæ impræſentiarum habent, & in poſterum obtinebunt, ac in plateis communibus ſeu publicis, libere abſque diœceſanorum & aliorum Prælatorum petita licentia valeant Clero & populo prædicare, eique proponere verbum Dei. Caveant tamen omnino, ne hora, in qua diœceſani prædicti prædicarent, vel coram ſe facerent prædicari, prædicent iidem Fratres: putamus etenim dignum, ut majori minor, & ſuperiori inferior deferat in hac parte: niſi forſan aliud circa hoc facerent de voluntate diœceſanorum ipſorum, aut in ſtudiis generalibus prædicarent diebus illis duntaxat, quibus ſermones ad Clerum fieri ſolent, & ſolenniter prædicari, ſeu mortuorum funeribus, vel eorundem Fratrum feſtis ſpecialibus ſeu peculiaribus: quia in his caſibus cum diœceſanis in prædicatione concurrere poterunt. Ubi vero iidem diœceſani vocarent generaliter ad ſe Clerum aliqua ratione, vel urgente cauſa illum ducerent congregandum, ea hora in ſtudiis memoratis diebus, ſæpedicti Fratres ab hujuſmodi prædicatione ceſſabunt. In Eccleſiis autem parochialibus Fratres ipſi invitis eorum Rectoribus ſeu Sacerdotibus ( niſi juſſi a ſuperioribus eorundem ) non audeant prædicare. §. 1. Sed *a* quia multoties propoſitum verbum Dei audientem a peccato non retrahit: idcirco poſt prædicationem neceſſarium eſt pœnitentiæ ſacramentum, circa quod ( niſi articulus neceſſitatis occurrat ) Sacerdoti facienda oris confeſſio ( prout ſcriptum eſt *b*: *Corde ad juſtitiam creditur, ore autem fit confeſſio ad ſalutem* ) exigitur: alias fruſtra eſſet in Sacramento eodem Sacerdotis ( qui inter lepram, & lepram debet diſcernere ) miniſterium inſtitutum. Electi igitur ab eiſdem Fratribus ad audiendas confeſſiones & pœnitentias injungendas, libere auctoritate Apoſtolica abſque licentia diœceſanorum, & aliorum Prælatorum inferiorum, exemptorum & non exemptorum, quibus ſubſunt, qui ad confitendum accedunt, audiant eis peccata ſua confiteri volentes. Non Religioſos, qui ſecundum ſtatuta ſuorum Ordinum propriis Prælatis confiteri debent, aut ab eis, ne confiteantur aliis, prohibentur, abſolvant: ipſiſque pœnitentias ſalutares injungant, intra ſibi deſignatos terminos ad hujuſmodi exercendum officium conſtitutos. Excommunicationis vero, vel alias ſententias per Prælatos latas contra hoc, vel in ejus fraudem, denunciamus irritas & inanes; nec confeſſi ipſis Fratribus peccata illa, de quibus confeſſi ſunt eis, & abſoluti pœnitentes, de illis Sacerdotibus propriis teneantur ( ſicut etiam non tenentur ) iterum confiteri: non obſtante conſtitutione generalis Concilii, quæ ſano intellectu ( ne ſequatur abſurdum, quod per pœnitentiam dimiſſa peccata quis confiteri debeat, & quod liberatus debitor adhuc ad ſolvendum remaneat obligatus) intelligenda eſt ( ut ex ea patet ) de illis, qui peccata ſua confiteri aliis neglexerunt. Sed Sacerdotes ipſis taliter confeſſis & abſolutis adſtricti ſint miniſtrare Euchariſtiæ, & extremæ unctionis etiam ſacramentum. Super confeſſione autem facta Fratribus memoratis, cum de confitentis ſolius præjudicio ( ſi falſum dicat ) agatur in judicio animæ ſeu pœnitentiæ foro, ſtabitur ſimplici verbo illius, qui ſacramenta petit prædicta, & dicit Fratribus ſe confeſſum. Duos tamen caſus excipimus, ſcilicet ſi Sacerdos aſſerat eum excommunicatum, aut notorie peccatorem. Sed videat, ne id dicat mendaciter, aut in dolum, vel in fraudem: quia ſi hoc egerit, a delicto tali, niſi plene ſatisfecerit ( præterquam in morte ) abſolvi nequeat, nec de illo ad pœnitentiam aliter admittatur. Ut autem diœceſanis honor debitus reſervetur, præcipimus, ut Provinciales Priores Prædicatorum, & Miniſtri Minorum Ordinum præſatorum, per ſe vel alios, verbo vel ſcripto, eis ſignificent, ſe fratres ad hujuſmodi confeſſionum audiendarum, & pœnitentiarum injungendarum officium elegiſſe: & non nominando, aut coram ipſis ſiſtendo eos, nec illorum numerum exprimendo, petant humiliter a diœceſanis eiſdem, quod iidem electi Fratres de ipſorum beneplacito & licentia dictum poſſint in eorum civitatibus & diœceſibus intra eis determinatos fines officium exercere. Quod ſi denegent, vel intra triduum non concedant, extunc iidem Fratres nihilominus auctoritate eadem hujuſmodi officium exequantur. Datam vero licentiam per diœceſanorum mortem nolumus terminari. Per hoc autem non intendimus, quod ſæpedicti Fratres, qui ad hoc eligentur officium exercendum, plus habeant in audiendis confeſſionibus, & pœnitentiis injungendis, quam parochiales Sacerdotes noſcuntur habere. Sicque de caſibus Epiſcopis & ſuperioribus, quos inferius annotamus, ac ſedi Apoſt. reſervatis, ſe nullatenus intromittant. Obſervent ergo ſolicite dicti Fratres, ne ad confeſſiones recipiant criminoſos criminibus, pro quibus ſolennis eſt pœnitentia indicenda:

Modo

a *Vide extravagantem Sixti IV. incip. vices illius. tit. de treug. & pace, inter communes.* b *Pſalm.* 40.

a *Prædicatio non ſemper retrahit audientiam a peccato.* b *Rom.* 10.

UNED

Modo eodem excommunicatos reſpuant, & Clericos, qui propter delictum irregularitatem aliquam incurrerunt. Inconveniens enim exiſtimamus, ut a peccato abſolvat, qui pœnitentiam ei debitam imponere, aut irregularitatis pœnam, peccati ſequelam, vel excommunicationem, quæ infligitur maxime a jure quandoque pro crimine, quæve quem ab Eccleſia, & per conſequens a participatione Eccleſiaſticorum ſacramentorum excludit, removere non poteſt. Incendiarios, eoſque qui tam enormibus ſunt irretiti peccatis, quod ea rationabilis conſuetudo præſcripta canonice in Epiſcopatibus aliquibus reſervavit Epiſcopis, ſimiliter non admittant: quam conſuetudinem (ex cauſa, quæ juſte ad idanimum noſtrum movit) ſolummodo circa voluntarios homicidas, falſarios, Eccleſiarum immunitatis, & libertatis Eccleſiaſticæ violatores, & ſortilegos approbamus. Quod ſi forſan antequam ab eo, qui poteſtatem habet, abſolvi poſſint, mors talium confiteri volentium veriſimiliter timeatur: etiam in prædictis caſibus ſæpefati Fratres eos confiteri volentes audiant, ipſiſque beneficium abſolutionis impendant, ſed ſubeant juramentum, quod liberati ſe ſuis Epiſcopis & excommunicatoribus præſentabunt: excommunicantium ſuper his, pro quibus ab eis excommunicati erant, & Epiſcoporum pro peccato hujuſmodi parituri mandatis. Verum, quia poſt baptiſmum inter cætera magis ad ſalutem neceſſaria a ea propoſitio verbi Dei, quo audientes illud, quod eſt victoria noſtra, inſtruuntur in fide, docentur fugienda fugere, & ſectanda ſectari, a quo per peccatum lapſi reſurgunt, pœnitentiæ ſacramentum perficiunt: Grandis nobis ſolicitudo incumbit, ut tales ad hæc promoveantur Fratres, qui oleo dulcedinis verbi ejuſdem noſtros foveant ſubditos, a peccatis prohibeant, increpationis vino peccatorum ſuorum mordeant vulnera, eoſque ad illa pœnitentiæ acrimonia purgandum & tergendum provocent & inducant. Ad id vero exequendum ſententia b divinæ legis expoſcitur, deſideratur ordo, & vitæ integritas etiam poſtulatur. Scriptum eſt enim c: *Tu ſcientiam repuliſti, & ego te repellam, ne ſacerdotio fungaris mihi: quia labia Sacerdotis cuſtodiunt ſcientiam, & legem exquirunt ex ore ejus:* alias prout ad eum pertinet, inter peccatum & peccatum non poſſet diſcernere, nec peccator exiſtens Dei d deberet enarrare juſtitias, & teſtamentum illius aſſumere per os ſuum. Nam cujus vita deſpicitur, conſequens eſt, ut ejus prædicatio contemnatur. Quare decernimus, ut Priores, & Miniſtri Generales, & Provinciales Prædicatorum, & Minorum Ordinum præfatorum, vel eorum Vicarii, de diſcretorum conſilio ad tam ſalubre officium Fratres divina ſcientia doctos, diſcretione vigentes, vita probatos, & expertos moribus (alioquin diſtrictam reddent in futuro examine rationem) eligant & aſſumant: ſic enim, quod prædicabunt, facient: quæ arguent, operari ceſſabunt; & in eis ædificabitur populus verbo pariter & exemplo. Cæterum licet (ſicut prædicitur) de neceſſitate non ſit, iterum eadem confiteri peccata: tamen quia propter erubeſcentiam, quæ magna eſt pœnitentiæ pars, ut eorundem peccatorum iteretur confeſſio, reputamus ſalubre: diſtrictæ injungimus, ut Fratres ipſi confitentes, attente moneant, & in ſuis prædicationibus exhortentur, quod ſuis Sacerdotibus ſaltem ſemel confiteantur in anno: aſſerendo id ad animarum profectum proculdubio pertinere. §. 2. Porro, ut circa Sepulturam apud loca eorundem Fratrum eligentium ſepeliri, & portionem canonicam de relictis eiſdem Fratribus minime detrahendam, nequeat in poſterum dubitari: jubemus, ut corpora defunctorum, qui apud eorundem Fratrum loca elegerint dum viverent ſepulturam, proceſſionaliter cum cruce, thuribulo, & aqua benedicta, cantando ſeu legendo officium mortuorum, vel pſalmos, & alienas ingredientes parochias, poſſint aſſumere, & ad ſuas deferre Eccleſias tumulanda. De quibuſcunque vero relictis præfatis Fratribus in communi, vel ſingulis ultimis decedentium voluntatibus, ſive apud eos ſepeliendi ſint, ſive alibi, nulla per parochiales Sacerdotes morientium (a qua Fratres ipſos liberos eſſe volumus) canonica portio, vel multo minus per Epiſcopos Epiſcopalis quarta omnino, cum eis tanquam exempti non ſubſint, nec etiam debita jura parochiæ, ſi forſan cathedralis defunctorum eſſet parochialis Eccleſia, detrahatur. De funeralib. autem medietatem, ſi commode diviſionem recipiant: alias ejuſdem medietatis æſtimationem ſolvant parochiali Eccleſiæ, & Sacerdotibus antedictis. Funeralia vero intelliguntur hoc caſu, quæ cum funere deferuntur. De candelis vero, quas Fratres portant, portio non petatur. Moneant autem iidem Fratres, & pro poſſe inducant confitentes ſibi, ut de propriis bonis ſuis parochialibus Eccleſiis, earumque Sacerdotibus competenter relinquant, & quæ eis debent parochialia jura reddant. Ad hoc non murmuret, quæſumus, ſecularis Clerus, non gerant moleſte Prælati, quod circa præmiſſa ſic duximus providendum. Attendant, quanta ex iis, quæ in primis duobus articulis ſtatuta ſunt, ſalus animarum proveniat. Advertant, quanta tollantur jurgia, & patenter conſiderent, quod eorum onera cum aliis noſtro beneficio ſalubriter, & quaſi neceſſario patiuntur.

Circa tertium vero articulum diligenter intelligant, quod Fratres ipſi hoc per privilegia Romanorum Pontificum eis benigne conceſſa, ante conſtitutionem eandem hactenus habuerunt. Quodque ſunt pauperes, nil habentes ſinguli, nec in communi ruſtica prædia, imo nec urbana, vel mobilia, eorum alteri vel etiam univerſi, mendicant victum, quærunt veſtitum, & eatenus ſuſtinere poſſunt, quatenus vel vivorum pietas, aut morientium charitas eis neceſſaria ſubminiſtrat. Quis ergo non miſereatur eorum, qui omnia voluntatem habendi etiam, reliquerunt? Quis non compatiat, eiſdem operantibus tam utiliter in agro prædicto? Certe nullus, niſi qui triturantis bovis os impie alligare velit, aut eos ſubtractis alimentis necare. Inopes patrimonii onera ipſa non habendi neceſſitate non ſuſtinent, & a curialibus res Eccleſiis vel piis locis donatas, a quartæ præſtatione, ſeu lucrativorum inſcriptionibus lex facit immunes. Relicta pauperibus non patiuntur Falcidiam. Et legata ad fabricam, vel pro ornamentis Eccleſiæ, aut ad divinum cultum perpetuum ſolutioni non ſubjacent canonicæ portionis, Pauperes autem (ut dictum eſt) ſunt Fratres, & quod eis relinquitur, aut in ſua alimenta erogant, aut in fabricam, ſive in cultum divinum, & Eccleſiæ ornamenta convertunt. Propter a quod nos, qui debemus intelligere ſuper egenum & pauperem, & non obliviſci eorum, cum humanitatis ſit etiam ſecularis Principis proſpicere egenis, & dare operam, ut pauperibus alimenta non deſint: non tam pie, quam quodammodo juſte in eodem articulo egimus, egenos eoſdem (ut præmittitur) reddendo ab onere canonicæ portionis exemptos. Hæc autem (dicta conſtitutione, quæ incipit. Super cathedram: quam penitus revocamus, aliiſque quibuſcunque conſtitutionibus ſpecialibus & generalibus, ſtatutis, privilegiis, indulgentiis ſub quacunque forma verborum conceſſis, etiamſi de ipſis de verbo ad verbum, vel aliquorum nominibus in noſtris literis oporteat fieri mentionem, conventionibus contrariis, nequaquam obſtantibus) inviolabiliter obſervari ſancimus. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam noſtrorum ſtatuti, denunciationis, exemptionis, præceptorum, approbationis, juſſionis, voluntatis, revocationis, & ſanctionis infringere. Si quis autem, &c.

CAP.

a *Verbi Dei propoſitio eſt ad ſalutem valde neceſſaria.* b *Forte ſcientia.* c *Oſeæ* 4. *Malach.* 1. d *Pſal.* 50.

a *Pſalm.* 40.

## CAP. II.

*Rex Franciæ & regnicolæ, per Extravagantem, Unam ſanctam ſupr. de major. & obed. non amplius ſubjiciuntur Eccleſ. Rom. quam prius erant.*

Clemens V. ( *an.* 1306. *Lugduni.* )

MEruit chariſſimi filii noſtri Philippi Regis Francorum illuſtris, ſinceræ affectionis ad nos, & Eccleſiam Romanam integritas, & progenitorum ſuorum præclara merita meruerunt. Meruit inſuper regnicolarum puritas, ac devotionis ſinceritas, ut tam Regem, quam regnum favore benevolo proſequamur. Hinc eſt, quod nos Regni & regno per definitionem & declarationem bonæ memoriæ Bonifacii Papæ VIII. prædeceſſ. noſt. quæ incipit, Unam ſanctam: nullum volumus vel intendimus præjudicium generari. Nec quod per illam Rex, regnum, & regnicolæ prælibati amplius Eccleſiæ ſint ſubjecti Romanæ, quam antea exiſtebant: Sed omnia intelligantur in eodem eſſe ſtatu, quo erant ante definitionem præfatam: tam quantum ad Eccleſiam, quam etiam ad Regem, regnum & regnicolas ſuperius nominatos.

## CAP. III.

*Ordinarii non poſſunt ferre cenſuras in ſuos ſubditos pro ſuis negotiis Romam euntes, ibi manentes, aut ab ea recedentes: nec illos privare beneficiis: quod ſi fecerint, irritum eſt. Et ſi beneficia illorum aliis ſint collata, tam dantes, quam recipientes ipſo facto ſunt excommunicati: & a ſolo Papa abſolvendi.*

Eugenius IV. ( *an.* 1432. *Romæ.* )

DIvina [a] in eminenti ſedis Apoſtolicæ ſpecula diſponente clementia conſtituti, ad ea libenter intendimus, per quæ Officiales prædictæ ſedis obſequiis ejus ( ad quam veluti fidelium omnium matrem, pro animarum ſalute quærenda, & juſtitia proſequenda, de diverſis mundi partibus confluit multitudo ( tutius & quietus ſe promptiores valeans exhibere. Hinc eſt, quod nos ex certis rationabilibus cauſis moti, etiam nonnullorum prædeceſſorum noſtrorum veſtigiis inhærentes, diſtrictius inhibemus locorum Ordinariis, necnon Commiſſariis & Delegatis eorum, cæteriſque univerſis & ſingulis, quacunque poteſtate & auctoritate præfulgeant, cujuſcunque dignitatis gradus vel præeminentiæ fuerint, ne contra Officiales præfatos, quocunque nomine nuncupentur, in noſtris & dictæ ſedis obſequiis nunc & pro tempore exiſtentes, necnon quoſcunque alios pro ſuis & eorum cauſis vel negotiis proſequendis ad ſedem prædictam venientes, ac in ea ( durante negotiorum & cauſarum hujuſmodi proſecutione ) moram trahentes, & recedentes ab eadem, procedere, aut in eos excommunicationis, ſuſpenſionis vel interdicti, aut privationis officiorum, aut beneficiorum, ſeu quamvis aliam ſententiam promulgare præſumant. Nos enim omnes & ſingulos proceſſus & ſententias contra tenorem & mentem noſtræ inhibitionis hujuſmodi latas & habitas, & in poſterum habendas, ac etiam promulgandas, & quæcunque inde ſecuta, declaramus nulla, irrita & inania, nulliuſque extitiſſe vel exiſtere roboris vel momenti. Necnon quicquid in contrarium a quoquam, quavis auctoritate ſcienter vel ignoranter attentatum forſan eſt hactenus, vel in poſterum contigerit attentari, etiam decernimus irritum & inane. Et nihilominus in omnes & ſingulos Ordinarios & Officiales, Commiſſarios & Delegatos eorum, qui ſe dignitatibus ac beneficiis Eccleſiaſticis quibuſcunque Officialium, aut negotia hujuſmodi apud dictam ſedem proſequentium prædictorum: eos illis forſan privando, atque privatos decernendo ſeu declarando, vel cujuſcunque privationis prætextu illa perſonis aliis conferendo, ſeu de illis in eos quomodolibet ſe intromittendo, tam in dantes, quam in recipientes excommunicationis, ſuſpenſionis & interdicti latas ſententias promulgamus: quas volumus eos ipſo facto incurrere. A qua quidem excommunicationis ſententia abſolvi nequeant, niſi a nobis vel per nos deputandis, præterquam in mortis articulo conſtituti. Præmiſſa autem a die affixionis præſentium ad valvas baſilicæ Principis Apoſtolorum de urbe, ex certa ſcientia quoſcunque ligare volumus & arctare: Non obſtantibus Apoſtolicis & quibuſcunque generalibus, aut provincialibus, aut ſyondalibus conciliis, edictis, conſtitutionibus, ordinationibus, & Apoſtolicis privilegiis: per quæ effectus præſentium impediri poſſet quomodolibet vel differri, etiamſi de illis, eorumque totis tenoribus habenda eſſet in præſentibus mentio ſpecialis, & quæ præſentibus volumus haberi pro ſufficienter expreſſis, cæteriſque contrariis quibuſcunque.

Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam noſtræ inhibitionis, declarationis, conſtitutionis & voluntatis infringere, vel ei auſu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præſumpſerit, indignationem omnipotentis Dei, & beatorum Petri & Pauli Apoſtolorum ejus ſe noverit incurſurum. Datum Romæ apud ſanctum Petrum, anno incarnationis Dominicæ M. CCC. XXXII. 8. Idus Martii, Pontificat. noſt. Anno 2.

## CAP. IV.

*Præmiſſo tenore duarum conſtitutionum, dicit, quod Hoſpitalarii ſancti Joannis ex ſtatuto, conſuetudine, vel privilegio habentes annalia beneficiorum vacantium, percipere debent portionem, quam haberent beneficia obtinentes, ſi in illis eſſent reſidentes.*

Joannes XXI. *Magiſtro & Fratribus hoſpitalis ſancti Joannis Hieroſolymitani.*

EXhibita nobis ex parte veſtra petitio continebat, quod dudum poſt conſtitutionem per nos editam, qua ſpecialiter & expreſſe cavetur, quod habentes annalia in Eccleſiis de conſuetudine, privilegio, vel ſtatuto, qui ratione dictorum annualium fructus primi, vel ſecundi, vel alterius cujuſcunque ſequentis anni beneficiorum vacantium ſibi hactenus in totum vendicaverant, nihil exinde ultra ſummam, pro qua unumquodque beneficiorum ipſorum conſuevit in decimæ ſolutione taxari, prætextu cujuſvis privilegii, conſuetudinis, vel ſtatuti, quovis modo perciperent, ſed ipſos ſummæ perceptione duntaxat deberent eſſe contenti, totali reſiduo prædicta obtinentibus beneficia remanſuro: niſi forſan illi, qui fructus illos ſoliti eſſent cum integritate percipere, mallent ipſum habere reſiduum, & obtinentibus beneficia dimittere ſummam memoratam: quo caſu percipiendi quod mallet, erat eis optio derelicta. Quandam aliam declaratoriam conſtitutionem fecimus, in qua ſpecialiter cavebatur, quod ſi hujuſmodi beneficium obtinentes in Eccleſia, in qua ſpecialiter illud beneficium exiſteret, minime reſiderent, ad debitum ſervitium impendendum Capitulo ejuſdem Eccleſiæ nihil deberet accreſcere: cum ceſſante cauſa [a] ceſſare debeat pariter, quod vigebat. Quodque ex verbis declarationis hujus ſatis innui videbatur, quod fructus beneficiorum non reſidentium accreſcere debeant habentibus annalia memorata. Verum ex eo, quod in declaratione dicta non continetur expreſſe de perceptione annalium beneficiorum vacantium vobis debitorum de prædictis conſuetudine, privilegio, vel ſtatuto quoad fructus non reſidentium in eiſdem, qui vobis accreſcere debent, nullum adhuc commodum aſſequi potuiſtis: licet ( ut præmittitur ) dicti fructus Capitulo non accreſcant. Quare nobis humiliter ſupplicaſtis, ut quod in hujuſmodi declaratione noſtra tacite innuitur, declarare expreſſius dignaremur. Nos itaque petitionem veſtram juri conſonam æſtimantes, ac propterea in hac parte quieti & indemnitati veſtræ providere volen-

a Vide Conc. Trid. Seſſ. 23. de reform. c. 1. circa finem & Seſſ. 24. de de reform. c. 11. § qua vero privilegia.

a L. adigere. §. quamvis. ff. de jure patron. cap. cum ceſſante. de appellat.

volentes, præſenti oraculo declaramus, quod fructus prædictæ Eccleſiæ vel beneficii vacantis, cujus annualia, in quibus conſiſtunt, debentur vobis ex privilegio, conſuetudine, vel ſtatuto, etiam pro ea parte, quæ obtinentibus Præbendam vel beneficium hujuſmodi (ſi in Eccleſia, ubi illa conſiſtunt, perſonalem reſidentiam facerent, deberetur, ſi non reſideant ibidem vere vel interpretative, utpote per ſpeciale privilegium Apoſtolicum, vel alias ex cauſa rationabili ab hujuſmodi reſidentia legitime excuſentur) cum dicta pars (ut præmittitur) Capitulo non accreſcat, vobis accreſcere debet, ſecundum intentionem & mentem declaratoriæ memoratæ. Nulli ergo omnino hominum, &c. ut ſupra. Si quis autem hoc attentare præſumpſerit, &c. ut ſupra. Datum Avenion. Calend. Martii, Pontificat. noſtri Anno 5.

---

## *TITULUS VIII.*
## DE POENIS.
### CAP. UN.

*Epiſcopus Caturcen. propter varios exceſſus per ipſum perpetratos, præſertim quia ſedi Apoſt. ſuis ſubditis & ſibi ipſi injurioſus fuerat, varias pœnas incurrit: quoniam perpetuæ depoſitionis ſententiam meruit, privatuſque fuit Pontificali, Sacerdotali & alio quolibet officio, & ad perpetuum carcerem condemnatus. Doctrina utilis hic nobis tribuitur: ut ſcilicet cognoſcamus crimina & exceſſus, pro quibus Prælatus deponi poſſit. Facit ad hoc c. veritatis, extra, de dolo & cont. c. ex literis. & c. tanta eſt clavis Petri, de exceſſ. Prælat. Et niſi antiqui libri hoc c. ſub. tit. de pœnis annotaviſſent, ſub. tit. de exceſſ. Prælat. poſitum fuiſſet.*

Joannes XXII.

DIVINIS exemplis, quæ noſtrorum debent eſſe actuum regula, patenter inſtruimur, aures noſtras ſubditorum a ſuis præpoſitis oppreſſorum indebite, & aggravatorum injuſte, non obturare clamoribus, ſed ipſis ipſas potius compaſſivis affectibus inclinare: ut ſi per ſolertis inquiſitionis indaginem clamores hujuſmodi opere *a* completor eſſe viderimus, liberationis opportunæ remedium ſolicitis ſtudiis apponamus: pœna nihilominus debita punituri in hanc patratorum qualitatem exceſſuum illicitos oppreſſores. Omnipotens etenim Dominus audito *b* clamore populi ſui, propter duritatem eorum, qui operibus præerant, dolentis, ad liberandum eum deſcendit: & ſummi templi præpoſito, qui juxta nominis interpretationem in vias pravas inique diverterat, comminando ſic ait *c*: *Expellam te de ſtatione tua, & de tuo miniſterio te deponam*. Dudum ſiquidem fama gravi, clamore frequenti, & querela flebili ſubditorum deferentibus nobis Hugonem Geraldi olim Caturcen. Epiſcopum, de multiplicatis exceſſibus, oppreſſionibus gravibus, enormibuſque criminibus eſſe reum: Nos mala hujuſmodi nolentes ante credere, quam probare, ſuper illis inquiſitionem per nos & per alios fieri fecimus diligentem. Et demum inquiſitionis ipſius viſo & examinato proceſſu, luculenter invenimus, quod ejus fuerat vitioſus ingreſſus, cum per ambitionem nimiam & per abrupta ſimoniacæ pravitatis ad Pontificalem aſcendiſſet honorem. Progreſſus autem ejus (ut execrando conveniret initio) injurioſus extiterat quoad tria. Primo videlicet quoad Apoſtolicam ſedem, cui (licet ipſum honoraſſet in multis, & tandem ad Epiſcopalis dignitatis apicem promoviſſet) terga vertens, non faciem, contemptum pro gratia, maleficium pro beneficio, & vituperium retulit pro honore. Appellationibus interdum ad ſedem ipſam ab eo vel Officialibus ejus per ſubditos oppreſſos emiſſis, nedum deferre contemptibiliter renuens, ſed eas verbo vilipendens & facto, ſuis præcipiendo miniſtris, quod de appellationibus hujuſmodi non curarent, ac nihilominus appellantes (quibus contra oppreſſiones debuerat eſſe appellatio ipſa remedium) nunc per captionis injuriam, nunc per ſpoliationem beneficiorum, & alias indebite affligendo multipliciter, non abſque vitio ingratitudinis violans juramentum fidelitatis ab ipſo præſtitum dictæ ſedi: nec veritus matris Eccleſiæ tranſgreſſionem apertam, nonnullis quandoque per ſuas patentes literas de vacaturis mandavit beneficiis provideri, vias ad vacationem eorum aperiens nimis illicitas & ſuſpectas: pernicioſus etiam fuit & frequens literarum Apoſtolicarum abuſor. Secundo vero, quantum ad ſubditos, erga quos non pii Prælati vel Paſtoris peregit officium, quinimo tanquam fur improbus, crudeliſque tyrannus, ſub pallio charitativi ſubſidii incuſſis terroribus, violentiis & injuriis illatis, doloſis inductionibus, & fraudibus exquiſitis, veluti recurſor iniquus, extorſionibus eos intolerabilius prægravando, nunc binas in anno, nunc plures in die, nunc alias nimium exceſſivas, & Eccleſiis importabiles, utpote multiplicato evectionum numero canonibus definito, interdum per ſe, interdum per alios procurationes exigendo, pro libito viſitationis officio quandoque nullatenus, & regalariter non ad fructum correctionis, ſed ad ſaturandæ cupiditatis affectum impenſo, ad alios quæſtus illicitos & damnatos, ſuum exacuit frequenter ingenium, nec de modo, nec de cauſa curavit. Et cum invenit ſubditos ſuis in hoc reprobandis affectibus non parentes, nec alias ab eis exigere potuit concupita, calumnioſas delationes fieri, contra eos lites moveri, & diverſa eis gravamina ſubdole procuravit pluries inferri. Præterea non citatos legitime, nec convictos etiam, aut confeſſos, ſuis privavit beneficiis, occaſionem pro cauſa confingens, non rationem in his, ſed tyrannidem potius proſequens perſonalem. Multa falſa ſcienter inſtrumenta dictavit, per ſuos illa faciens Notarios publicari, & ut illis, qualem ipſa habuerat, ad Eccleſias præberet ingreſſum, inſtituere ei præſentatos, ſeu inſtitutionis ſuæ eis concedere literas ſæpius renuit, niſi primitus certa ſibi & magna pecunia propter hoc exoluta. Multa Eccleſiaſtica beneficia, nunc permutationis prætextu, nunc vero ſimpliciter in ſuis manibus reſignata, modo jure (ut prætendebat) ordinario, modo ſuper hoc (ut dicebat) Apoſtolico munimine indulto, de facto ſcienter contulit: intervenientibus fraude, pacto, & ſimoniaca pravitate ſubjectas ſibi Eccleſias occupans, earum reditus uſurpavit: & ſic in ſuis fuit corruptus judiciis, proceſſum eorum, & finem in pecuniarum commodum ordinando, quandoque juſtificans impium, innoxium injuſte condemnans: ſic & alios corrumpere Judices pro obtinenda ſuper oppreſſionibus inchoatis injuſta victoria niſus fuit. Tertio, quantum ad ſe, ut qui ſibi nequam exiſteret, nulli alii bonus eſſet, ſuæ namque famæ prodigus, ſe perjuriis patenter involvit, irregularitatiſque laqueis irretivit, & (quod referre pudet) in corpus ſuum fornicando peccans per continuatum incontinentiæ vitium, quo ſe dudum fœdaverat, Pontificali poſtea decoratus honore, in ſua ponere gloria maculam, & fœmora ſua non erubuit mulieribus inclinare. In his quidem ejus ſic reprehendendi ingreſſus, ſic ſcandaloſus, pernicioſus exemplo progreſſus, ut vitio hujuſmodi, ſive culpis neſcius finem imponere, & periculoſus egreſſus, cum adeo foret in ipſo habituata malitia, quod (remanente ſibi adſolita facultate) in iniquitatis opere voluntas ſibi deficere minime ſperaretur. Propter quod, ne prioribus pejus committeret, illud ſolum æſtimamus ſalubre remedium, ut quod velle non poteramus auferre, eriperemus vel poſſe. Nos itaque ſuper præmiſſis & pluribus aliis ejus nefandis exceſſibus cum fratribus noſtris ex ſano conſilio deliberatione cohabita diligenti, in præfatum Hugonem Geraldi, qui ſe omni honore ac dignitate reddidit tam indignum, quique ob ſuas iniquitates, ne præſit, eſt abjectus a Deo, ſuis ligatum peccatis, omnique honore ac dignitate Pontificali

---

a *Gen.* 18. b *Exod.* 3. c *Eſa.* 22.

jam privatum a Domino, de conſilio omnium & ſingulorum fratrum ipſorum, perpetuæ depoſitionis ſententiam duximus promulgandam: Pontificali eum, & Sacerdotali, & alio quolibet officio privantes, & ad perpetuum carcerem condemnantes: ut ibi committendis ceſſantibus agat pœnitentiam de commiſſis: Nulli ergo hominum liceat hanc paginam noſtræ promulgationis & condemnationis infringere, vel ei auſu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præſumpſerit, indignationem omnipotentis Dei, & beatorum Petri & Pauli Apoſtolorum ejus ſe noverit incurſurum. Datum Avenion. XV. Calend. Junii, Pontif. noſtr. Anno 2.

## *TITULUS IX.*
## DE POENITENTIIS ET REMISSIONIBUS.
### CAP. I.

*Centeſimo quoque anno viſitantibus baſilicas Petri & Pauli Apoſtolorum, pleniſſima peccatorum venia conceditur.*

Bonifacius VIII. ( *an.* 1300. )

ANtiquorum *a* habet fida relatio, quod accedentibus ad honorabilem baſilicam Principis Apoſtolorum de urbe, conceſſæ ſunt magnæ remiſſiones & indulgentiæ peccatorum. Nos igitur, qui juxta officii noſtri debitum ſalutem appetimus & procuramus libentius ſingulorum, hujuſmodi remiſſiones & indulgentias omnes & ſingulas ratas & gratas habentes, ipſas auctoritate Apoſtolica confirmamus & approbamus, & etiam innovamus & præſentis ſcripti patrocinio communimus. Ut autem beatiſſimi Petrus & Paulus Apoſtoli eo amplius honorentur, quo ipſorum baſilicæ de urbe devotius fuerint a fidelibus frequentatæ, & fideles ipſi ſpiritualium largitione munerum ex hujuſmodi frequentatione magis ſenſerint ſe refertos: Nos de omnipotentis Dei miſericordia, & eorundem Apoſtolorum ejus meritis, & auctoritate confiſi, de fratrum noſtrorum conſilio, & Apoſtolicæ plenitudine poteſtatis,[l] omnibus in præſenti anno milleſimo trecenteſimo, a feſto Nativitatis Domini noſtri JESU Chriſti præterito proxime inchoato, & in quolibet anno centeſimo ſecuturo, ad baſilicas ipſas accedentibus reverenter, vere pœnitentibus & confeſſis, vel qui vere pœnitebunt, & confitebuntur in hujuſmodi præſenti, & quolibet centeſimo ſecuturo annis, non ſolum plenam & largiorem, imo pleniſſimam omnium ſuorum concedemus & concedimus veniam peccatorum: Statuentes, ut qui voluerint hujuſmodi indulgentiæ a nobis conceſſæ fieri participes, ſi fuerint Romani, ad minus XXX. diebus continuis, ſeu interpolatis, & ſaltem ſemel in die: Si vero peregrini fuerint, aut forenſes, ſimili modo diebus XV. ad baſilicas eaſdem accedant. Unuſquiſque tamen plus merebitur, & indulgentiam efficacius conſequetur, quo baſilicas ipſas amplius & devotius frequentabit. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam noſtræ confirmationis, approbationis, innovationis, conceſſionis, & conſtitutionis infringere, &c. Datum Romæ apud ſanctum Petrum, VIII. Cal. Mart. Pontif. noſt. Anno 6.

### CAP. II.

*Annus Jubilæus, ſive plenaria remiſſio, quæ olim dabatur quolibet centeſimo anno omnibus vero pœnitentibus & confeſſis, viſitantibus baſilicas beatorum Petri & Pauli, per iſtam extravagantem ad annum quinquageſimum reducitur.*

Clemens VI. *Archiepiſcopo Tarracon. ejuſque Suffraganeis.* ( *an.* 1349. )

UNigenitus Dei filius de ſinu Patris in uterum dignatus eſt deſcendere matris, in qua & ex qua noſtræ mortalitatis ſubſtantiam divinitati ſuæ, in ſuppoſiti unitate, ineffabili unione conjunxit; id quod fuit permanens, & quod non erat, aſſumens: ut haberet, unde hominem lapſum redimeret, & pro eo ſatisfaceret Deo Patri. Ubi enim venit plenitudo temporis *a* miſit Deus filium ſuum factum ſub lege, natum ex muliere, ut eos qui ſub lege erant, redimeret, ut adoptionem reciperent filiorum. Ipſe namque factus *b* nobis a Deo ſapientia, juſtitia, ſanctificatio, & redemptio, non per ſanguinem hircorum, aut vitulorum, ſed per proprium *c* ſanguinem introivit ſemel in ſancta, æterna redemptione inventa. Non enim *d* corruptibilibus auro & argento, ſed ſui ipſius agni incontaminati & immaculati pretioſo ſanguine nos redemit: quem in ara crucis innocens immolatus non guttam ſanguinis modicam, quæ tamen propter unionem ad verbum pro redemptione totius humani generis ſuffeciſſet, ſed copioſe velut quoddam profluvium noſcitur effudiſſe, ita ut a planta *e* pedis, uſque ad verticem capitis nulla ſanitas inveniretur in ipſo. Quantum ergo exinde, ut nec ſupervacua, inanis, aut ſuperflua tantæ effuſionis miſeratio redderetur, theſaurum militanti Eccleſiæ acquiſivit, volens ſuis theſaurizare filiis pius pater, ut ſic ſit infinitus theſaurus hominibus, quo qui uſi ſunt, Dei amicitiæ participes ſunt effecti. Quem quidem theſaurum non in ſudario *f* repoſitum, non in agro *g* abſconditum, ſed per beatum Petrum cœli clavigerum, ejuſque ſucceſſores, ſuos in terris Vicarios, commiſit fidelibus ſalubriter diſpenſandum: & propriis, & rationabilibus cauſis, nunc pro totali, nunc pro partiali remiſſione pœnæ temporalis pro peccatis debitæ, tam generaliter, quam ſpecialiter ( prout cum Deo expedire cognoſcerent ) vere pœnitentibus & confeſſis miſericorditer applicandum. Ad cujus quidem theſauri cumulum beatæ Dei genetricis, omniumque electorum a primo juſto uſque ad ultimum merita, adminiculum præſtare noſcuntur: de cujus conſumptione, ſeu minutione non eſt aliquatenus formidandum, tam propter infinita Chriſti ( ut prædictum eſt ) merita, quam pro eo, quod quanto plures ex ejus applicatione trahuntur ad juſtitiam, tanto magis accreſcit ipſorum cumulus meritorum. Quod fel. rec. Bonifacius Papa VIII. prædeceſſor noſter pie ( ſicut indubie credimus ) conſiderans, & attenta meditatione revolvens, quantum apud homines glorioſi Principes terræ Petrus & Paulus ( per quos Evangelium Chriſti Romæ reſplenduit, & per quos Eccleſia religionis ſumpſit exordium, qui facti Chriſtiani populi per Evangelium genitores, gregis Dominici paſtores, fidei lucernæ, Eccleſiarum columnæ, præ cæteris Apoſtolis peculiari quadam prærogativa in ipſo Salvatore fidei virtute præcellunt: Quorum uni, ſcilicet Apoſtolorum Principi, ſicut bono diſpenſatori, claves regni cœlorum commiſit: Alteri, tanquam idoneo doctori, magiſterium Eccleſiaſticæ eruditionis injunxit ) in ſpeciali veneratione haberi debeant, & debita honorificentia venerari, pro ipſorum memoria recolenda crebrius, & reverentia a cunctis Chriſti fidelibus eis devotius adhibenda, ipſorumque patrocinio favorabilius aſſequendo, incorruptibilem theſaurum hujuſmodi pro excitanda & remuneranda devotione fidelium voluit aperire: decernens de fratrum ſuorum conſilio, ut omnes, qui in anno a Nativitate Domini M. CCC. & quolibet anno centeſimo extunc ſecuturo, ad dictorum Apoſtolorum baſilicas de urbe accederent reverenter, ipſaſque ſi Romani ad minus XXX. ſi vero peregrini aut forenſes fuerint, quindecim diebus continuis vel interpolatis, ſaltem ſemel in die, dum tamen vere pœnitentes & confeſſi exiſterent, perſonaliter viſitarent, ſuorum omnium obtinerent pleniſſimam veniam peccatorum. Nos autem attendentes, quod annus *h* quinquageſimus in lege Moſaica ( quam non

a *Vide Doct. ſcholaſticos l. 4. ſent. diſt. 19. 20, & 21. inde enim fient aperta, quæ traduntur in textu & gloſſis, adde Roſſenſem, contra Luth. art. 17. et aliquot ſequentibus.*

a *Ad Gal.* 4. b 1. *Cor.* 1. c *Ad Hebr.* 9. d 1. *Petr.* 1. e *Eſaj. c.* 1. f *Luc.* 19. g *Matth.* 13. h *Levit.* 25. *c. ubi pleniſſime de anno quinquageſimo, ſive Jubilæo.*

UNED

non venit Dominus ſolvere, ſed ſpiritualiter adimplere) Jubilæus remiſſionis & gaudii, ſacerque dierum numerus, quo lege fit remiſſio, cenſebatur: quodque ipſe quinquagenarius numerus in Teſtamentis, Veteri quidem ex legis datione, Novo ex viſibili Spiritus Sancti in diſcipulos miſſione, per quem datur peccatorum remiſſio, ſingulariter honoratur. Quodque huic plura & grandia divinarum adaptantur myſteria ſcripturarum, & clamorem peculiaris populi noſtri Romani, videlicet hoc humiliter ſupplicantis, ac nos ad inſtar Moyſi & Aaron, per proprios & ſolennes nuntios ad hoc deſtinatos ſpecialiter orantis pro toto Chriſtiano populo, & dicentis: Domine, aperi eis theſaurum tuum, fontem aquæ vivæ: deſiderantes benignius exaudire, non quidem ut ſicut illius Iſraelitici populi indurati eſſet murmuratio, ſed ut iſtius prædilecti populi, & cunctorum fidelium augeatur devotio, fides ſplendeat, ſpes vigeat, charitas vehementius incaleſcat: Volenteſque quampluximos hujuſmodi indulgentiæ fore participes, cum pauci multorum reſpectu propter vitæ hominum brevitatem valeant ad annum centeſimum pervenire, de fratrum noſt. conſilio prædictam conceſſionem indulgentiæ ex ſupraſcriptis & aliis juſtis cauſis ad annum quinquageſimum duximus reducendam. Statuentes de fratrum conſilio prædictorum, & Apoſtolicæ plenitudine poteſtatis, ut univerſi fideles, qui vere pœnitentes & confeſſi in anno a Nativitate ejuſdem M. CCC. quinquageſimo proxime futuro, & deinceps perpetuis futuris temporibus de quinquaginta in quinquaginta annis prædictas eorundem Petri & Pauli Apoſtolorum baſilicas & Lateran. Eccleſiam, (quam inclytæ recordationis Conſtantinus, poſtquam per beatum Silveſtrum, ſicut per eoſdem Apoſtolos Deo revelante cognovit, renatus fonte baptiſmatis fuerat, & a contagio lepræ mundatus, in honorem Salvatoris conſtruxiſſe, quamque idem beatus Silveſter novo ſanctificationis & chriſmationis genere dedicaſſe legitur, & in cujus Eccleſiæ parietibus præfati Salvatoris imago depicta primum toti populo Romano viſibiliter apparuit, devotius veneranda, quam ex his & aliis certis & rationabilibus cauſis, ut ipſa Eccleſia pariter indulgentiæ prædictæ privilegio decoretur, & devotus ab eodem Salvatore, qui in præfatis Apoſtolis mirabilis prædicatur, eorum meritis & precibus indulgentiæ mereatur percipere largitatem, in hoc cenſuimus venerandam cauſa devotionis modo prædicto viſitaverint, pleniſſimam omnium peccatorum ſuorum veniam conſequantur, ita videlicet, ut quicunque voluerint indulgentiam hujuſmodi aſſequi, ſi Romani, ad minus XXX. ſi vero peregrini aut forenſes, modo ſimili XV. diebus ad prædictas baſilicas & Eccleſiam accedere teneantur: Adjicientes, ut ii etiam, qui pro ea conſequenda ad eaſdem baſilicas & Eccleſiam accedent, poſt iter arreptum impediti legitime, quo minus ad urbem illo anno valeant pervenire, aut in via, vel dierum prætaxato numero non completo in dicta urbe deceſſerint, vere pœnitentes (ut præmittitur) & confeſſi, eandem indulgentiam conſequantur. Omnes nihilominus & ſingulas indulgentias, per nos vel prædeceſſores noſtros Rom. Pontifices tam prænominatis, quam aliis baſilicis & Eccleſiis de dicta urbe conceſſas, ratas & gratas habentes, ipſas auctoritate Apoſtolica confirmamus & approbamus, ac etiam innovamus, & præſentis ſcripti patrocinio communimus. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam noſtræ reductionis, conſtitutionis, &c. Si quis autem hoc attentare præſumpſerit, indignationem omnipotentis Dei, & dictorum Petri & Pauli Apoſtolorum ſeſe noverit incurſurum. Datum Avenion. VI. Calend. Februar. Pontif. noſt. An. I. Quocirca fraternit. veſtræ per Apoſt. ſcripta mandamus, quatenus ſinguli veſtrum, in ſingulis veſtris civitatibus & diœceſibus prædictas noſtras literas ſubditis vobis clero & populo publicetis, & intelligibiliter exponatis, ut annuente Domino ad promerendam hujuſmodi indulgentiam ſe diſponant. Cæterum, quia præſentes literæ nequirent forſitan propter viarum diſcrimina, vel alia legitima impedimenta ſingulis veſtrum commode præſentari, volumus, quod per te frater Archiepiſcope dictarum literarum tranſumptum manu publica ſcriptum, tuoque munitum ſigillo vobis, fratres ſuffraganei, tranſmittatur: cui velut originalibus literis adhiberi volumus plenam fidem. Datum, &c.

## CAP. III.

*Conſtitutio caſus Papæ reſervatos comprehendens, certis ex cauſis hic ponitur, a quibus nullus poteſt abſolvere ſine ſpeciali licentia ſedis Apoſtolicæ.*

Paulus Venetus Papa II.

ETſi Domini gregis ſaluti ſemper intenti, ſingulis cum humilitate poſcentibus ea benigne concedere ſtudeamus, per quæ (peccatorum mole depoſita) ſalus ipſa ſuccedat, & ab hoſtis humani generis ſervitute ereptas animas lucrifaciamus Altiſſimo, qui nobis eas ſue bonitate commiſit: id tamen propenſiori ſtudio præcavendum eſſe cenſemus, ne (cujuſvis indulgentiæ, remiſſionis vel facultatis obtentu) Chriſti fideles procliviores ad illicita in poſterum committenda reddantur, aut veniæ facilitas a eis peccandi tribuat incentivum. Hac itaque conſideratione habita, olim emanavit a nobis conſtitutio tenoris ſubſequentis, videlicet: Sanctiſſimus in Chriſto Pater, & Dominus noſter, Dominus Paulus divina providentia Papa ſecundus, qui pridem ſuper plenariis remiſſionibus, quæ ſemel in vita, & ſemel in mortis articulo conceduntur, formam & normam inſtituit, ne paſſim ſine exceptione quorumcunque criminum procliviores redderentur homines ad peccandum, per regulam in cancellaria Apoſtolica publicatam ſtatuit & ordinavit, quod in quibuſcunque conceſſionibus & facultatibus abſolvendi, caſus infraſcripti tanquam ſpeciales ſedi Apoſtolicæ reſervati, ſemper intelligerentur excepti: Videlicet offenſæ Eccleſiaſticæ libertatis, Violationis interdicti ab eadem ſede impoſiti, Criminum hæreſis, Conſultationis in perſonam aut ſtatum Romani Pontificis, ſeu cujuſvis offenſæ, inobedientiæ, ſeu rebellionis ejuſdem Pontificis, vel ſedis Apoſtolicæ, Presbytericidii, Offenſæ perſonalis in Epiſcopum, ſeu alium Prælatum, Invaſionis, Deprædationis, Occupationis, aut Devaſtationis terrarum Romanæ Eccleſiæ mediate vel immediate ſubjectarum: ac etiam invaſionis Romipetarum, ſeu quorumcunque aliorum ad Romanam curiam venientium: Prohibitionis devolutionis cauſarum ad dictam curiam: Delationis armorum, & aliorum prohibitorum, ad partes infidelium, Impoſitionis novorum onerum realium vel perſonalium, Eccleſiis vel Eccleſiaſticis perſonis, Simoniæ ſuper ordinibus vel beneficiis aſſequendis, in eadem curia vel extra contractæ: Et generaliter in caſibus contentis in bulla, quæ conſuevit in die Cœnæ Domini, per prædeceſſores ſuos Romanos Pontifices publicari: Conſiderans, quod plerunque contingit ſuam ſanctitatem hujuſmodi facultates, & confeſſionalia, tam præſentibus, quam abſentibus, etiam oraculo vivæ vocis concedere: (ne prætextu conceſſionis hujuſmodi, vel pœnitentes vel confeſſores in ſupraſcriptis caſibus fallantur, & fallant) ſtatuit & decrevit, ſuæ intentionis fuiſſe, & eſſe, per quaſcunque conceſſiones & facultates, per ſuam ſanctitatem, tam ſcripto, quam verbo factas, & in poſterum faciendas, nemini licere irretitos dictis caſibus abſolvere ſine ſpeciali ſuæ ſanctitatis licentia: quinimo conceſſiones & indulta prædicta, quod caſus exceptos hujuſmodi, nulli penitus ſuffragari. Ut autem ipſa conſtitutio (quæ dudum, ſcilicet V. Calendas April. anni ab incarnatione Domini noſtri JESU Chriſti, milleſimi

a *Veniæ facilitas incentivum tribuit delinquendi. c. ut Clericorum, extr. de vita et honeſt. Clericorum.*



UNED

mi quadringenteſimi ſexageſimi ſexti, Pontificatus noſtri Anno ſecundo, publicata fuit ) eiſdem Chriſti fidelibus plenius innoteſcat, nulluſque illius ignorantiam prætendere valeat in futurum: præſentibus inſeri fecimus, ut ad majorem omnium perveniat notionem. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam noſtrorum ſtatuti, ordinationis, & decreti infringere, vel ei auſu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præſumpſerit, indignationem omnipotentis Dei, & beatorum Petri & Pauli Apoſtolorum ejus ſe noverit incurſurum. Datum Romæ apud ſanctum Petrum, anno incarnationis Dominicæ, M. CCCC. LXVIII. quinto Nonas Mart. Pontificatus noſtri Anno 5.

## C A P. IV.

*Bulla confirmationis anni Jubilæi, publicata apud ſanctum Petrum in die Nativitatis Domini, in qua continetur, quod annus Jubilæus eſt ad brevius tempus reductus, quam olim eſſet: quoniam vigeſimo quinto quoque anno cunctis fidelibus baſilicas urbis Romanæ hic expreſſas viſitantibus, illius indulgentiæ concedentur. Et illo durante, aliæ indulgentiæ ubique ceſſant.*

Sixtus IV. ( *an.* 1473. )

QUemadmodum [a] operoſi, vigiliiſque paſtoris ſolertia oves ſuæ cuſtodiæ deputatas, curat a ferarum præſervare incurſibus, & ad ſtatum proſperum fœtu multiplicato perducere: ita quoque & nos ( quibus diſpoſitione ſuperna univerſi gregis Dominici ſolicitudo commiſſa eſt ) & ſupremis deſideramus affectibus, & ſtudiis nitimur indefeſſis, cunctos Chriſti fideles, quos a juſtitiæ ſemita hoſtis humani generis diabolica fraude avertit, depoſita peccatorum ſarcina, ſuo reconciliare auctori: ut æternæ felicitatis præmiis noſtri redemptoris inæſtimabili charitate media potiantur, fiatque noſtræ operationis miniſterio, utilitate publica ſuadente, etiam per gratiarum ſuſceptionem, quod eorum ſaluti conveniat, atque noſtræ & prædeceſſorum noſtrorum ordinationes ſalubres debitis effectibus mancipentur. Olim ſiquidem felicis recordationis Paulus Papa ſecundus, prædeceſſor noſter, rationabilibus cauſis tunc expreſſis inductus, de venerabilium Fratrum noſtrorum, tunc ſuorum ( de quorum numero tunc eramus ) conſilio, annum Jubilæum ad brevius tempus provida moderatione reducens, illum ad annum vigeſimum quintum Apoſtolica auctoritate reſtrinxit, ac voluit, ſtatuit, & decrevit ex cauſis prædictis, quod ſingulis viginti quinque annis Jubilæus annus prædictus celebrari deberet: quodque anno Domini M. CCCC. LXXIV. proxime futuro, videlicet a vigilia Nativitatis Domini noſtri JESU Chriſti, idem annus Jubilæus inciperet, & ut ſequitur, finiretur: ac univerſi & ſinguli utriuſque ſexus fideles, qui beatorum Apoſtolorum Petri & Pauli baſilicas, Lateranenſem quoque & ſanctæ Mariæ majoris almæ urbis Eccleſias ſtatutis diebus devote viſitarent, omnes & ſingulas indulgentias, & peccatorum remiſſiones conſequerentur, quas idem Pontifex ſuique prædeceſſores anno Jubilæo hujuſmodi baſilicas & Eccleſias prædictas viſitantibus devote conceſſerant, per quaſdam primo, & deinde nos, qui ( dicto prædeceſſore, ſicut Domino placuit, ſublato de medio ) fuimus divina diſponente clementia ad apicem ſummi Apoſtolatus aſſumpti, & per alias noſtras literas, ejuſdem Pauli prædeceſſoris ordinationem, voluntatem, & ſtatutum, ac omnia & ſingula in eiſdem ſuis literis contenta, de fratrum eorundem conſilio approbantes: Similiter ſtatuimus & ordinamus, quod annus Jubilæus prædictus, cum eiſdem indulgentiis, & remiſſionibus plenariis peccatorum, anno proxime futuro a vigilia Nativitatis ejuſdem incipere, & ut ſequitur, continuari deberet: prout in ſingulis literis prædictis ( quarum tenores præſentibus haberi volumus pro expreſſis ) plenius continetur. Verum, quia poſtmodum tam nos, quam idem Paulus prædeceſſor noſter, dum in humanis ageret, animarum ſaluti fidelium intenti, multorum Principum & aliorum Chriſti fidelium, ac devotarum perſonarum pulſati precibus, diverſas indulgentias & peccatorum remiſſiones plenarias nonnullis Eccleſiis, monaſteriis & piis locis duximus, concedendas: propter quas populorum forſan concurſus ad baſilicas & Eccleſias antedictas retardari, aut ipſius anni Jubilæi celebritas minui, vel intermitti poſſet, cum animarum non modico detrimento: Nos qui univerſorum credentium profectibus & ſaluti proſpicere ex debito miniſterii paſtoralis adſtringimur ( ne propter aliarum indulgentiarum hactenus a nobis, ſeu eodem Paulo, vel aliis prædeceſſoribus noſtris conceſſarum, hujuſmodi effuſionem, hoc ſanctum opus, ac remiſſionis & gratiæ annum Jubilæus intermittatur, aut fideles ipſi a tanto munere reddantur expertes ) remediis opportunis providere volentes, omnes & ſingulas plenarias, etiam ad inſtar Jubilæi, ac etiam commutandi vota, aut ſuper eis & male ablatis incertis, aut per uſurariam pravitatem, vel alium illicitum modum extortis, diſpenſandi & componendi, aut illa ſub certis modo & forma remittendi, & deputandi confeſſores, cum poteſtate abſolvendi, etiam in caſibus ſedi Apoſtolicæ reſervatis, facultates, conceſſiones, & indulta a nobis & eadem ſede, vel illius auctoritate quibuſcunque Eccleſiis, monaſteriis, hoſpitalibus, & piis locis, univerſitatibus, fraternitatibus quibuslibet, tam in perpetuum, quam ad certum tempus, in vita, ſeu in mortis articulo, quovis modo, aut quavis cauſa, quomodolibet conceſſas & conceſſa, & in poſterum forſitan concedendas, vel concedenda, auctoritate Apoſtolica tenore præſentium de Apoſtolicæ poteſtatis plenitudine, uſque ad noſtrum & ejuſdem ſedis beneplacitum ſuſpendimus, illaſque durante beneplacito noſtro & ſedis prædictæ ſuſpenſas eſſe volumus, nec interim alicui ſuffragari: indulgentiis tamen baſilicarum & Eccleſiarum dictæ urbis in ſuo plenario robore durantibus. Diſtrictius inhibentes, alias indulgentias ( præter iſtas duntaxat ) in locis publicis vel privatis prædicari aut nuntiari, earumque prætextu a quæſtoribus [a] aliquid exigi quoquo modo. Quinimo quæſtores & prædicatores quoſcunque per locorum ordinarios a prædicationibus & quæſtibus hujuſmodi faciendis, volumus & mandamus præſentium auctoritate arceri, ſub cenſuris & pœnis Eccleſiaſticis, de quibus viſum fuerit opportunum: Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam noſtrorum ſuſpenſionis, inhibitionis, mandati & voluntatis infringere, vel ei auſu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præſumpſerit, indignationem omnipotentis Dei, ac beatorum Petri & Pauli Apoſtolorum ejus ſe noverit incurſurum. Datum Tybure anno incarnationis Dominicæ, M. CCCC. LXXIII. 4. Calend. Septemb. Pont. noſt. Anno 3.

## C A P. V.

*Sixtus tempore ſuo multas conceſſerat indulgentias: quas certis ex cauſis hic revocat.*

Idem Sixtus IV. ( *an.* 1478. )

ETſi Dominici gregis ſaluti ſemper intenti, ſingulis cum humilitate poſcentibus ea benigne concedere ſtudeamus, per quæ ( peccatorum mole depoſita ) ſalus ipſa ſuccedat, & hoſtis humani generis ſervitute ereptas animas lucrifaciamus Altiſſimo, qui nobis eas ſua bonitate commiſit: id tamen propenſiori ſtudio præcavendum

a *Vide extravagantem Gregorii XIII. incip. Dominus ac redemptor, qua indicitur ſanctus Jubilæus pro anno 1575.*

a *Prædicatores quæſtuarios omnino abolevit Concil. Trid. Seſſ. 5. de reform. c. 2. §. ult. & Seſſ. 22. de reform. c. 9.*

dum eſſe cenſemus, ne cujuſvis indulgentiæ, remiſſionis, vel facultatis obtentu, Chriſti fideles procliviores ad illicita in poſterum committenda reddantur, aut facilitas veniæ eis peccandi tribuat incentivum. Cum itaque (ſicut multorum fide dignorum teſtimonio accepimus) ob multitudinem facultatum per nos, vel auctoritate noſtra conceſſarum, tam verbo, quam in ſcriptis, confectis exinde literis vel non, Prælatis & perſonis Eccleſiaſticis, etiam religioſis & ſecularibus utriuſque ſexus, Capitulis, Collegiis, Conventibus, hoſpitalibus, confratriis, & univerſitatibus, tam in genere, quam in ſpecie, ſub electione, vel deputatione confeſſorum, qui eligentes eoſdem, vel pro indulgentiis per nos conceſſis conſequendis, ad Eccleſias & alia pia loca confluentes, ſeu ad aliqua pia opera manus porrigentes adjutrices, earundemque confratriarum confratres & ſorores, ac in hoſpitalibus prædictis decedentes, ſeu deſervientes, aut eis pie aliquid relinquentes, vel aliqua alia meritorum miniſteria exhibentes, & in ordinibus profitentes, eorum confeſſione diligenter audita, in ſingulis etiam ſedi Apoſtolicæ reſervatis caſibus ſemel in vita, & in aliis toties quoties, ac in morte plenarie, vel alias etiam ad effectum conſequendi quaſcunque indulgentias plenarias, vel non plenarias, abſolvere, & pœnitentiam ſalutarem eis injungere, emiſſa quoque vota per illos quæcunque in alia pietatis opera commutare libere & licite valeant: fideles præfati ad peccandum, & ad alia illicita committendum, nonnunquam procliviores exiſtant, in non parvum periculum ſalutis animarum ſuarum: Nos qui Deo propitio ejuſdem gregis Dominici (meritis licet inſufficientibus) cauſam gerimus, & illum ſpiritalis theſauri elargitione cupimus ipſi Deo reddere acceptabilem: ne exinde clavium auctoritas deducatur in contemptum, ipſique ad peccandum procliviores (ut diximus) liberius prolabantur: Ex præmiſſis & aliis rationabilibus cauſis animum noſtrum moventibus, motu proprio (non ad alicujus nobis ſuper hoc oblatæ petitionis inſtantiam, ſed de noſtra mera voluntate & deliberatione) auctoritate Apoſtolica tenore præſentium ſtatuimus & ordinamus, quod de cætero prætextu facultatum hujuſmodi conceſſarum a nobis, vel auctoritate noſtra, & quas concedi quomodolibet continget in poſterum, verbo, literis, aut quavis alia ſcriptura, etiam cum clauſula, quod ſola ſignatura ſufficiat, etiam in favorem fidei & cruciatæ, nullus confeſſorum eorundem quempiam, cujuſvis ſtatus, gradus, ordinis, vel conditionis exiſtat, & quacunque Eccleſiaſtica, etiam Epiſcopali, vel majori, aut mundana, etiam regali, & majori dignitate præfulgeat, qui offenſæ Eccleſiaſticæ libertatis, violationis interdicti ab eadem ſede impoſiti, ſeu hæreſis, poſtquam fuerint de ea ſententialiter condemnati, delati, ſeu publice diffamati: conſpirationis in perſonam aut ſtatum Rom. Pont. ſeu cujuſvis offenſæ, inobedientiæ, aut rebellionis ejuſdem Pont. vel dictæ ſedis, mutilationis membrorum, vel occaſionis cujuſcunque in ſacris ordinibus conſtituti: offenſæ perſonalis in Epiſcopum ſeu alium Prælatum: invaſionis, deprædationis, occupationis, aut devaſtationis terrarum Romanæ Eccleſiæ mediate vel immediate ſubjectarum: ac etiam invaſionis Romipetarum, ſeu quorumcunque aliorum ad Romanam curiam venientium: prohibitionis devolutionum cauſarum ad dictam curiam: delationis armorum & aliorum prohibitorum ad partes infidelium: impoſitionis novorum onerum, realium vel perſonalium, Eccleſiis vel Eccleſiaſticis perſonis: ſimoniæ ſuper ordinibus vel beneficiis conſequendis in dicta curia vel extra eam contractæ, criminum quomodolibet reus foret: Et generaliter in caſibus contentis in literis, quæ conſueverunt in die Cœnæ Domini publicari, prætextu hujuſmodi facultatum abſolvere, & per eos emiſſa peregrinationis ultramarinæ, & viſitationis liminum Apoſtolorum Petri & Pauli: in Compoſtella: & caſtitatis ac religionis vota: Niſi ex ſpeciali licentia, & certa ſcientia noſtra, de qua demum conſtare cenſeatur, cum in ſignatura noſtra deſuper manu noſtra ſcriptum, aut in literis noſtris expreſſum fuerit, nos ex certa ſcientia & de ſpeciali gratia id concedere cum derogatione præſentis conſtitutionis, illius de verbo ad verbum inſerto tenore: non autem per clauſulas id importantes: vel in articulo mortis conſtitutum, & tunc in caſibus (in quibus ſatisfactio fuerit impendenda) facta ſatisfactione, vel idonea præſtita cautione, commutare præſumant. Et ſi aliqui confeſſorum prædictorum contra præſentem conſtitutionem quenquam abſolvere, aut excepta vota prædicta commutare attentaverint, abſolutio & commutatio hujuſmodi nullius ſit roboris vel momenti. Et contrafacientes eo ipſo excommunicationis ſententiam incurrant, a qua (niſi in mortis articulo [a] conſtituti) ab alio, quam a Romano Pontifice abſolvi non poſſint: Non obſtantibus literis & conſtitutionibus hujuſmodi, ac conſtitutionibus, & ordinationibus. &c. Et ne aliquis de præſentibus ignorantiam valeat allegare, mandamus eas in Cancellaria Apoſtolica, & audientia literarum contradictarum legi & publicari, ac inter extravagantes alias Apoſtolicas conſtitutiones in quaterno dictæ Cancellariæ deſcribi, &c. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam noſtrarum ſuſpenſionis, inhibitionis, mandati & voluntatis, &c. Datum Spiræ, Anno Domini M. CCCC. LXXVIII.

## *TITULUS X.*
## DE SENTENTIA EXCOMMUNICATIONIS.

### C A P. I.

*Excommunicati ſunt, qui pactis aut promiſſionibus juſtitiam vel gratiam a ſede Apoſtolica obtinent, & qui tales non revelant: nec illis abſolutio facile conceditur.*
Bonifacius VIII. (*an.* 1300. *Roma.*)

EXcommunicamus & anathematizamus ex parte Dei omnipotentis, Patris & Filii, & Spiritus Sancti, auctoritate quoque beatorum Apoſtolorum Petri & Pauli, & noſtra, omnes Clericos, Religioſos, & Laicos utriuſque ſexus, ſive ſint familiares curiæ, ſive alii undecunque, qui aliquod pactum fecerint, ſeu aliquid parvum vel magnum promiſerint, vel promiſſionem receperint, aut ex pacto ſive promiſſione occulta vel manifeſta, facta ſub generalibus & plenarie non expreſſis, ſive ſit ſub ſpecialibus & expreſſis aperte verbis, quicquam dederint aut receperint, magnum vel parvum, vel promiſſionem de quacunque re aut utilitate propter hoc conſequenda fecerint, vel receperint, pro aliqua juſtitia ſive gratia pro ſe aut pro alio in cauſis vel judiciis, ſeu alias per literas Apoſtolicas, & quibuſcunque modis apud ſedem Apoſtolicam obtinenda. Et hanc ſententiam ad promittentes & acceptantes, dantes & recipientes duximus extendendam. Illos quoque, qui aliquem ſciverint culpabilem in prædictis, & nobis intra dierum trium ſpatium non retulerint, vel alicui, per quem ad nos verbum fideliter perferatur, ſimili decernimus ſententiæ ſubjacere. Decernimus etiam, ut nullus hanc incurrens excommunicationis ſententiam pro prædictis, vel aliquo prædictorum (abſque ſpeciali mandato) noſtræ abſolutionis beneficium valeat obtinere: niſi forſan ad nos habere acceſſum non poſſet, in mortis articulo [b] conſtitutus. Nec etiam ad abſolutionis gratiam admittatur, niſi prius quantum dedit vel recepit, integraliter pau-

[a] *Vide Conc. Trid. Seſſ.* 14. *de caſuum reſervatione*, c. 7. [b] *Vide Conc. Trid. Seſſ.* 14. c. 7. *de caſuum reſervatione.*

UNED

pauperibus largiatur. Juſtitiam vero ſive gratiam ſic obtentam nullius prorſus eſſe momenti volumus, omnique ſtatuimus carere effectu, & robore firmitatis. Sed & ſcienter utentes ipſis, ſimili ſententia excommunicationis adſtringimus: & reſervantes nobis abſolutionem eorum cum præmiſſis omnibus ad pœnas ſimiles obligamus.

### C A P. II.

*Præmiſſis damnis ex interdicto provenientibus ſtatuit quod propter dominum debita non ſolventem ejus terra vel civitas ſine ſpeciali Papæ licentia non interdicatur.*

Idem Boniſ. VIII. ( *an.* 1300. )

PRovide attendentes, quod et frequentius, quamvis non ſine cauſa, ſine culpa tamen multorum, interdicti ſententiæ proferuntur, quodque ſunt nonnulli Judices nimis prompti ad proferendas eaſdem, etiam in negotiis ſive cauſis, quæ interdum plus ex cupiditatis, quam charitatis radice perſpicuis indiciis procedere arguuntur: quodque interdicti tempore divina organa ſuſpenduntur & laudes, nec Eccleſiaſtica ſacramenta miniſtrantur, ut ſolent: tolluntur mortuis ſeu minuuntur ſuffragia, præſertim per oblationem frequentem hoſtiæ ſalutaris: adoleſcentes & parvuli participantes rarius ſacramenta, minus inflammantur & ſolidantur in fide: fidelium tepeſcit devotio, hæreſes pullulant, & multiplicantur pericula animarum. Præſentis conſtitutionis providemus edicto, ut nulla Provincia, civitas, caſtrum, villa, locus, territorium, vel diſtrictus auctoritate ordinaria vel delegata ſupponatur Eccleſiaſtico interdicto pro pecuniario debito, vel pro cujuſvis monetæ, vel pecuniæ quantitate, quacunque occaſione vel cauſa, ſeu quovis quæſito colore: pro eo maxime, quod ipſorum domini, rectores ſeu officiales, quocunque nomine cenſeantur, aut incolæ ſeu habitatores, aut ſingulares perſonæ ipſorum, ſtatutis vel ſtatuendis, ordinatis vel ordinandis terminis hujuſmodi debitum ſeu quantitatem non ſolverunt hactenus, aut in antea non perſolvent. Nos enim exnunc decernimus irritum & inane, ſi ſecus hactenus extitit attentatum, vel contigerit attentari, illudque revocamus omnino; Non obſtantibus quibuſcunque contractibus, obligationibus, pactis, conventionibus, compoſitionibus ſubmiſſionibus, fidejuſſionibus, conſenſibus, proceſſibus, & ſententiis ſuper hoc habitis, vel habendis, juramentorum, pœnarum ſpiritalium & temporalium, ſeu mulctarum appoſitione, vel quacunque alia firmitate vallatis. Niſi talis ſuppoſitio interdicti hactenus foret facta, vel iis antea fieret de Apoſtolicæ ſedis ſpeciali licentia, & expreſſa per ipſius ſedis patentes literas apparente.

### C A P. III.

*Andronicum Palæologum, ſe Imperatorum Græcorum, nominantem, et hæreſis ipſorum ſautorem, excommunicatum denunciat: omneſque cum eo ſic manente ſocietatem contrahentes, ipſo facto dicit excommunicatos, et eorum terras Eccleſiaſtico ſupponendas interdicto. Suntque privandi bonis, quæ ab Eccleſia tenent: et talis ſocietas ſeu confœderatio nulla eſt.* Facit cap. ad Apoſtolicæ. de ſent. & re jud. lib. 6.

Clemens V. ( *an.* 1307. *in Gallia.* )

AD certitudinem præſentium, & memoriam futurorum Andronicum Palæologum, qui Græcorum Imperatorem ſe nominat, tanquam eorundem Græcorum antiquorum a Schiſmaticorum, & in antiquato ſchiſmate conſtitutorum, & per hoc hæreticorum, & hæreſis ipſorum ac ſchiſmatis antiqui fautorem, de fratrum noſtrorum conſilio denunciamus excommunicationis ſententiam latam a canone incurriſſe, ac ipſius fore ſententiæ vinculo innodatum. Cæterum univerſis & ſingulis Regibus, Principibus, Ducibus, Marchionibus, Comitibus, Baronibus, & cæteris omnibus cujuſcunque præeminentiæ, conditionis, ſtatus, necnon univerſitatis civitatum, caſtrorum & aliorum locorum diſtrictius inhibemus, ne cum eodem Andronico Palæologo in hujuſmodi excommunicatione manente, ſocietatem vel confœderationem aliquam contrahere ſub quovis ingenio, vel machinatione præſumant: vel ei alias in his, quibus excommunicatus eſt denunciatus a nobis, præſtare conſilium, auxilium vel favorem publicum, vel occultum. Et ſi ſecus præſumptum fuerit, omnes ſingulares perſonas contrarium præſumentes, non obſtante qualibet indulgentia ſub quacunque forma verborum, vel expreſſione ipſis ab Apoſtolica ſede conceſſa, vel in poſterum concedenda, quam quoad hoc viribus volumus omnino carere ) ſententiam excommunicationis, quam exnunc in ipſos ferimus, incurrere volumus ipſo facto: Terras ipſorum & univerſitates prædictas, quæ ſecus attentare præſumpſerint, prout expedire videbimus, Eccleſiaſtico curabimus ſubjicere interdicto. Ad privationem omnium bonorum, quæ a quibuslibet tenent Eccleſiis, & ad pœnas alias ſpiritales, & temporales, prout utile putabimus, proceſſuri. Et nihilominus ſocietatem & confœderationem ipſas ( etiamſi pœnarum & juramenti additione vel quacunque fuerint alia firmitate vallatæ ) decernimus irritas & inanes. Datum Pictavis III. Nonas Junii, Anno 2.

### C A P. IV.

*Excommunicati ſunt, qui literas a Papa ante ſuam coronationem conceſſas impugnant.*

Idem. b ( *an.* 1307. *in Gallia.* )

QUia e nonnulli ( prout accepimus ) contra doctrinam Apoſtoli ſuæ prudentiæ, quin potius imprudentiæ, innitentes, ac diſceptare ſuper his, de quibus eis non expedit, ſatagentes, aſſerere non verentur, quod ſummus Pontifex ante ſuæ coronationis inſignia ſe non debet intromittere de proviſionibus, reſervationibus, diſpenſationibus, & aliis gratiis faciendis, nec ſe in literis Epiſcopum ſimpliciter, ſed electum Epiſcopum ſcribere: Nec etiam uti bulla, in qua nomen exprimatur ipſius. Nos talium temeritates compeſcere cupientes, ſingulos, qui occaſione hujuſmodi aliquas literas noſtras ſuper negotiis quibuſcunque confectas d, quæ a nobis ante coronationis noſtræ inſignia emanarunt, auſi fuerint impugnare, excommunicationis ſententia innodamus: Datum apud Peſecum Burdegalenſis Diœceſis, Pont. n. Anno 2.

a *Al. antiquatorum.* b *Joannes de Sylua in tract. de beneſ. part. 1. q. 2. dum meminit hujus extravagantis, eam tribuit Clem. 6.* c *Prov. cap. 3. c. ne innitaris extr. de conſt.* d *Al. conceſſas.*

## EXTRAVAGANTIUM COMMUNIUM FINIS.

LOCI

# LOCI COMMUNES
# RERUM ET VERBORUM
## MEMORABILIUM,
### Ex Univerſo JURIS CANONICI Corpore collecti,
### *ORDINE ALPHABETICO*
### Per genera cauſarum eleganti methodo digeſti: Prioribus omnibus antehac editis locupletiores.

## A

AARON; Summum Pontificem repræſentat. *diſt.* 21. *cap.* 1. §. 1.

Aaronis exemplum proponitur Epiſcopis & Clericis, ad ſe invicem honorandum, 95. *diſt c. Eſto.*

Aaronis virga devorat virgas magorum, 26. *q.* 5. *c. nec mirum, ante med.*

### *Qui Abbas ordinari vel eligi poſſit?*

ABBAS alterius monaſterii Monachus non eſt ordinandus, niſi in monaſterio vacante idoneus non exiſtat, vel conſuetudo loci in contrarium extet, *de relig. domib. c. ne nimia.*

Clerici in Abbates non ordinandi, 18. *q.* 2. *c. pervenit. cum c. ſequ.* Denique qualis Abbas ordinari debet, traditur, 18. *q.* 2. *c. Abbatem, in fin.*

Abbas quis eſſe poteſt in neceſſitate, licet non poſſit eſſe Presbyter, *c. tuam, de ætat. et qual.*

Abbas eſſe non poteſt non profeſſus, *c. cum in magiſterium, de elect.*

In Abbatem eligi poteſt eremita, *c. cum monaſterium, de elect.*

Abbas fieri poteſt quis de apoſtaſia rediens, *c. intelleximus, de ætat. et qualit.*

### *A quibus eligi vel confirmari debeat.*

A Conventu eſt eligendus, non ab aliis, 18. *qu.* 2. *c. abbas. c. abbatem. c. quam. ſit. §. defuncto. verſ. quem ſibi propria. c. abbas. verſic. tamen eligant. item* 16. *q.* 7. *c. ult.* Contradicit *d. q.* 2. *c.* 1. Cui objectioni reſpondet Gratianus, *d. c. abbas. §. ecce.* Sed & alii quam Monachi Abbatem eligere poſſunt, ſi Monachi ſint indomitæ cervicis, & effrænatæ ſuperbiæ, *d. §. ecce. et d. q.* 2. *c. nullam.* Vel religioſis fœminis Abbas ſit præficiendus, *d. q.* 2. *c. qui religioſis.*

Abbatem poteſt capitulum confirmare, *c. cum dilectus, de conſuetud.*

### *De poteſtate, auctoritate & officio Abbatum.*

Abbas admittere non debet alienum Monachum, 18. *q.* 2. *c. Abbates. §. Monachi. verſ. vel qui Monachum. item* 19. *q.* 4. *c. ſtatuimus verſ diſcedentem vero,* 20. *q.* 4. *c. ult. in pr.*

Ut Abbates quolibet anno conveniant, *c. abbates, in princ. verſ. qui ſemel in anno,* 18. *q.* 2.

Abbas diverſas cellulas, diverſave monaſteria ne habeat, 20. *q.* 4. *c. ult. §. abbati.*

Locum ſuum deſerere poteſt cum licentia Epiſcopi, *can.* 8. 18. *q.* 2.

Cum fratribus in conventu manere debet, atque in officio ſuo ſolicitus eſſe, *c. cum ad.* 6. *§. Abbas vero. de ſtatu Monach.*

Abbati a Monachis obedientia debetur, 18. *q.* 2. *c. Abbates. §. Monach. & c. cum ad.* 6. *§. Abbas vero. de ſtatu Monach.*

In poteſtate Epiſcopi eſt, 18. *qu.* 2. *c. Abbates. in princ. c. monaſteria. c. Abbatib.*

Ne Monachos vagari permittat. *Abbates. §. Monachi. verſ. aut per loca aliqua.*

Abbas abſolvere poteſt Monachum ab excommunicatione in ſeculo contracta, niſi mutilatio membri, vel effuſio ſanguinis ſit ſecuta, vel in Epiſcopum aut Abbatem manus injecerit violentas, *c. cum illorum, de ſentent. excommunic.*

Cum talibus poſſunt etiam diſpenſare Abbates in ſuſceptis ordinibus in excommunicatione, ſi memoriam facti non habeant, vel peritiam juris: niſi factum ſit grave & notabile, *Ibidem.*

Abbas poteſt excommunicare Monachos ſuos vel Canonicos. Idem poteſt Prior, *cap. cum in Eccleſiis, de major. & obed.*

Abbas non benedictus ab Epiſcopo, ſuper hoc a tertio requiſitus, poteſt exercere ea quæ ſunt officii ſui, Epiſcopo irrequiſito: ita tamen, quod ſit primo confirmatus, *cap. ſtatuimus, de ſuppl. neglıgen. Prælat.*

Abbates Ciſtercienſ. obedientiam faciunt Epiſcopo ſuo, *ſecundum formam, quæ habetur c. ne Dei Eccleſiam, de Simon.*

### *De Remotione Abbatis.*

Cauſæ, ex quibus Abbas eſt removendus, notantur 18. *q.* 2. *c. ſi quis abbas.* & ſi infamatus, vel convictus ſit appellatione remota, nolit ſponte cedere, compellatur, *de appellat. cap. quia nos.* & a Monachis, ſed ab Epiſcopo & vicinis Abbatibus eſt loco removendus, *dict. c. ſi quis abbas. verſ. ab epiſcopo, in cujus territorio. & d. c. nullam.*

### *De Pœnis Abbatum.*

De puniendis ſeu corrigendis Abbatibus, *c. ult. §. ſi vero abbate., eod. tit.*

ABBATISSA Moniales benedicere, confeſſiones audire, & publice prædicare non poteſt, *cap. nova quædam,* 10. *de pœnitentiis.*

Abbatiſſa poteſt etiam ſuſpendere Clericos delinquentes ab officio, licet non poſſit excommunicare, *de major. & obedient. c. dilecta.* & de electione Abbatiſſæ, *vide c. indemnitatib.* 35. *de electione in* 6

Abbatiſſa nec prædicare, nec confeſſiones audire poteſt, *cap. nova, de pœn. & remiſſ.*

DE ABIGEIS accuſatio cum inſcriptione & ſine ea proponi poteſt, 4. *quæſt.* 4. *c. nullus. §. abacti, l. unic. C. de abigeis.*

ABLATA violenter reſtituantur ante litem conteſtatam, *can.* 3. 2. *q.* 2.

ABOLITIO pœnam remittit, ſed infamiam non tollit, *can.* 8. 2 *q.* 3.

ABORTUS cauſam dans, ſi conceptum erat vivificatum & animal rationale, homicida eſt, *c.* 20. *de homic. volunt.*

ABSENS Accuſare vel Accuſari per alium non poteſt, *can.* 18 3. *qu.* 9. neque judicari, *can.* 13. *&* 14. 3. *quæſt.* 9. niſi contumax fuerit, *can.* 1. 3. *qu.* 8.

Appellare poteſt ex quo ſcit, ſi indefenſus fuit, *can.* 29. *§. ſi adverſus,* 2. *q.* 6.

Fructus Beneficiorum percipit, ſi ſtudiorum cauſa abſit, *cap.* 21. *de prabend.*

Inve-

UNED

Inveſtiri poteſt per alium, *cap. 24. de præbend.*

Abſens in ſervitio Papæ vel Epiſcopi ſui non debet privari beneficio ſuo, *cap. cum dilectus, de Clericis non reſident.* Idem eſt, ſi cauſam ſuam vel ſuorum agat.

Contra abſentes non ſervatur ſententia diffinitiva lite non conteſtata, & maxime ſi ſint abſentes cauſa ſtudii & peregrinationis, *cap. inter quatuor, de major. & obedien. item cap. conſultationibus, de offic. jud. deleg.*

Abſens ſtudii cauſa in loco minus competenti fructus beneficii non recipiat, *c. tua, de Cler. non reſid.*

Abſens diu vocatus, ſi venire noluit, privetur beneficio ſive dignitate, *c. ex parte, de Cler. non reſid.* Et maxime ſi ſine juſta & neceſſaria cauſa præſertim ſine licentia Epiſcopi moratus fuerit, & congruo tempore expectatus non redierit, *cap. inter quatuor, eod. tit.* Item, ſi Eccleſia patiatur defectum magnum de abſentia miniſtrorum, poſſunt abſentes revocari, *c. cum ad hoc. eod. tit.*

Abſens qui eſſe poteſt de licentia ſui Prælati, vel cauſa ſtudii, ſive alia cauſa honeſta, *c. relatum, eod. tit.*

Abſente uno Judicum, ſententia alterius non valet, *cap. cauſam, de offic. deleg.*

Abſens ad electionem vocari debet, ſi tamen commode poteſt, *cap. coram, de elect.* alias electio caſſari poteſt, niſi poſtea conſentiat.

Abſens contumax lite conteſtata condemnari poteſt, *c. prout, de dol. & contumac.*

ABSOLUTIO dividitur in publicam & privatam, *26. q. 6. c. miniſtrare, §. ſed notandum.*

Abſolutio pecunia redimi non debet, *cap. ad aures, de Simon.*

Abſolutio occultato crimine non valet, *c. cum pro cauſa. & r. officii, de ſent. excomm.*

## *Quis abſolvere poſſit?*

Abſolvere poteſt Capitulum, *vide infr. eod. in Epiſcopus.*

Concilium abſolvere poteſt ob hæreſin excommunicatum, & hic non niſi a Concilio poteſt abſolvi, *cap. his vero, §. fin. cum c. ſequ. de ſententia excommunicat. diſt. 50. 1. qu. 7. cap. ſi quis Epiſcopus.* jure novo aliud eſt, *cap. ad abolendam, 9. §. præſenti, verſ. ad arbitrium Epiſcopi, de hæreticis.*

Delegatus ab eo, qui jus abſolvendi habet, abſolvere poteſt, *cap. ult. de offic. ordin.*

Epiſcopo non alii jus abſolvendi competit, *17. quæſt. 4. c. omnes, 26. qu. 6. c. 1.* ſecus eſt ſi privata ſit abſolutio, non publica: tunc enim alius abſolvere poteſt, *dict. quæſt. 6. c. miniſtrare, §. ecce quod c. presbyteri.* item ſi Epiſcopus ſit abſens, & periculum ſit in mora, *dict. quæſt. 6. c. Aurelius. c. ſi aliquis, §. ecce quod.* quatenus hoc procedat, *vide d. cap. Aurelius, verſ. debet presbyter utique conſulere, & d. qu. 6. cap. ſi quis de corpore, in fin. dict. quæſt. 6. c. ſi aliquis, §. ſed ſi neceſſitate. c. pen. §. fin. cum c. ſeq.* item ſi Eccleſia vacet, Capitulo jus abſolvendi competit, *c. un. de major. & obed. in 6.*

Qui excommunicavit vel damnavit, abſolvere poteſt, non alius, ſecundum diſtinctionem, *cap. cum Eccleſiarum, 3. in fin. cap. ad reprimendam, 8. in princip. & §. tu vere frater. cap. paſtoralis, 11. §. præterea, de offic. ordin. cap. venerabilibus, 7. in princip. de ſent. excommun. in 6. 26. quæſt. 6. cap. 1.*

Excommunicatus abſolvere non poteſt, *vide inf. in eod. in Hæretici.*

Hæretici & Excommunicati, neque ligandi, neque ſolvendi jus habent, *24. quæſt. 1. cap. audivimus. §. fin. cum duob. cc. ſeqq. item de pœnitent. diſt. 1. c. verbum.*

Legatus de latere abſolvere poteſt eum, qui Clericum percuſſit, *c. ad eminentiam, 20. et c. quod de his, 26. in princ. dict. tit.* Plura infra in Legatus a Latere.

Papa ab alio excommunicatos vel damnatos abſolvere poteſt, *9. quæſt. 3. c. fuit ſemper. cap. cuncta. §. ſed nec illa. c. cuncta. c. fratres.*

Clericus, qui quod excommunicato communicaverit, fuit excommunicatus, non niſi a Papa poteſt abſolvi, *cap. ſignificavit, 18. de ſentent. excommun.*

Neque is qui ob incendium fuerit excommunicatus, *cap. tua nos, 19. d. tit.*

Neque is qui ob id quod Eccleſiam effregit & expoliavit, fuit excommunicatus, niſi a Papa eſt abſolvendus, *c. conqueſti, 22. d. tit.*

Qui contra interdictum vel excommunicationem fecerit, nonniſi à Papa poteſt abſolvi, *c. quicunque, 11. §. fin. et c. is qui in Eccleſia, 18. §. is vero. verſ. a quo nequit. de ſentent. excommun. in 6.*

Qui ob id, quod juſtitiam vel gratiam pecunia redemit, fuerit excommunicatus, non niſi a Papa poteſt abſolvi, *c. 1. §. decernimus, de ſentent. excomm. in extrav. comm.*

Si quis Clericum percuſſerit, & propterea excommunicatus, non niſi a Papa poteſt abſolvi, *17. q. 4. c. ſi quis ſuadente, in princ. item c. 1. §. fin. et c. non dubium, 5. in fin. c. ea noſcitur, 13. §. alios autem, de ſentent. excomm. 11. q. 3. c. ad menſam. §. juxta igitur hanc diſtinctionem, in fin.* Fallit, ſi ſine periculo Papam adire non poſſit, *c. de cætero, 11. et c. quamvis, 58. verſ. niſi imminente, d. tit.*

Sacerdos ſimplex abſolvere poteſt Laicum, ſi ob id, quod excommunicato communicaverit, fuerit excommunicatus: ſi modo extra crimen illi communicaverit, *cap. nuper, 29. d. tit.*

Abſolvitur de injectione manus violenta Oſtiarius a ſuo Epiſcopo, niſi ſit caſus enormis, *c. ſi vero, de ſentent. excomm.*

Abſolvuntur Monachi & Canonici regulares a ſuis Abbatibus, *c. Monachi, eod. tit.*

Abſolvitur a ſolo Papa Laicus literis falſis ſcienter utens, *cap. dura, de crimine falſ.*

Mulieres & perſonæ quæ ſui juris non ſunt, ab Epiſcopo ſuo abſolvuntur, *c. mulieres, de ſent. excomm.*

Item potentes & delicati, quique modicam læſionem intulerunt, *cap. mulieres, eod. tit.*

Item cum ex juſta cauſa excommunicator quæri non poteſt, vel difficulter inveniri, tunc abſolvi poteſt ab Epiſcopo vel proprio Sacerdote, *c. nuper, de ſentent. excomm.*

Legatus non miſſus a latere, tantum de provincia ſibi commiſſa abſolvere poteſt. Sed Legatus ſub prætextu ſuarum Eccleſiarum, nec de ſua, nec de alia provincia abſolvere poteſt, *cap. excommunicatis, de offic. leg.*

Abſolvi poſſunt Hoſpitalarii a Prioribus ſuis, *capit. canonica, de ſentent. excommunicat.*

Abſolvitur quis in neceſſitate, non obſtante contradictione, vel etiam appellatione partis adverſæ, *cap. qua fronte, de appellat.*

Abſolutus a delegato ad excommunicatorem remittitur, *cap. prudentiam, de offic. delegat.*

Abſolvi poteſt quis poſt mortem. Item legatus apud Deum abſolvitur ab Eccleſia, *cap. a nobis, de ſentent. excommunicat.*

Abſolvitur a ſolo Papa Laicus juſſu Abbatis Monachum vel Converſum percutiens etiam ex juſta cauſa; & ſimiliter jubens: niſi diſciplinæ cauſa faciat per ſeipſum ſolum, vel Clericum & non Laicum, *cap. univerſitates, de ſentent. excommun.*

Non abſolutus ſcienter ordinatus, ſi ſit ſecularis, perpetuo deponitur: ignorans factum vel ignarus juris a ſolo Papa abſolvitur. Si autem talis ſit religioſus, a ſuo Abbate abſolvitur, niſi factum ſit grave & notabile, *c. cum illorum, eod. tit.*

Abſolvitur ſervus de injectione manus violenta ab Epiſcopo ſuo, in fraudem faciens, ut ſervitio domini ſui ſe ſubtrahat, aut dominus ſine culpa ſua grave damnum incurrat ex ejus abſentia, *cap. relatum, eod. tit.*

Abſolvunt ſe mutuo a minori excommunicatione contracta aliqui, poteſtate utrique collata, *cap. duobus, de ſentent. excommunicat.*

Abſolutus non eſt quis ex ſola ſalutatione Papæ ſibi

ſcripta,

UNED

ſcripta, *cap. ſi aliquando, eod. tit.* Item, nec qui pluribus excommunicationibus innodatus, ab una tantum eſt abſolutus, *cap. officii, eod. tit.*

Abſolvere quis non poteſt alienum parochianum, niſi de licentia ſui proprii Sacerdotis, *c. omnis, de pœn. & remiſſion.*

Abſolvendi namque poteſtas aliis poteſt committi in neceſſitate, *cap. ex literis, de officio delegatorum.*

## *Ex quibus cauſis Abſolutio concedenda?*

Sine cauſa Pœna remittenda non eſt, *cap. eum, ab. 3. de offic. ordinat.*

Si damnatus Pœnitentiam egerit, 11. *q.* 3. *cap. plerunque. §. cauſæ ergo. cap. cum aliquis, in pr.* 27. *q.* 1. *cap. devotam. §. etſi deſinent. item diſt.* 50. *cap. domino. § final.*

Si tamen pœnitens vel ſatisfaciens ab errore ſeu peccato non recedat, non erit abſolvendus, 11. *quæſt.* 3. *cap. tunc vera,* 24. *quæſt.* 2. *cap. damnatio, in princ. cap. legatur,* 27. *quæſt.* 1. *cap. devotam, in princip.*

Si ſatisfactum ſit pro crimine, *cap.* 3. *verſicul. uſque ad dignam ſatisfactionem, de offic. ordinat. cap. ex literis,* 11. *de conſtitutionibus.* ſed hoc ſi ex pluribus cauſis damnatus, pro omnibus ſatisfecerit, *cap. cum pro cauſa,* 27. & *cap. officii,* 42. *de ſentent. excommunicat.* ſecus ſi pro delicto nondum ſatisfecerit, nec ablata reſtituerit, *cap. peccatum,* 4. *de regul. juris, in* 6. & Exemplum habetur, *cap. quicunque,* 2. *in princip. verſ. nec abſolutionis, de hæreticis. in* 6. nam Peccati venia non datur, niſi correcto, *cap. peccati,* 5. *dict. tit.*

Quod ſi vero delictum, ob quod excommunicatus eſt, non fuerit manifeſtum, deque jure excommunicationis dubitetur, tunc enim cautione præſtita, etiam ante ſatisfactionem abſolvitur, *cap. ex parte,* 23. *de verbor. ſignificat. cap. qua fronte,* 25. *§ final. de appellationibus. c.* 1. *§. ideoque mandamus. de his, quæ vi metuſve cauſa. cap. venerabilibus,* 7. *§. porro. & §. poteſt. de ſentent. excommunicat. in* 6. item ſi periculum mortis inſtet: tunc enim præſtita cautione de ſatisfaciendo, abſolvendus eſt, *d. c. qua fronte,* 25. & *dict. c. venerabilibus,* 7. *§. ſane ſi certum, verſ. niſi periculum.*

Si ſententia ſit injuſta, abſolutio danda, *c. cum ad quorundam,* 7. *de exceſſib. Prælatorum.*

## *Forma & Modus Abſolvendi.*

Cauſa cognita abſolutio indulgenda, *c. Romana,* 3. *§. ſententias, de appellationib. in* 6. 11. *q.* 3. *c. plerunque contingit.*

Secus ſi cauſa excommunicationis dubia, non manifeſta ſit: tunc enim excommunicatus cauſa etiam nondum cognita, ad cautelam poteſt abſolvi, *cap. ex parte,* 23. *de verb. ſignif. c. cum olim,* 24. *eod. titul. c. per tuas,* 40. *§. verum ex verb. & §. quod ſi abſolutionis. c. venerabili,* 52. *de ſent. excom. c. venerabilibus,* 7. *§. porro. verſ. ſimiliter. ſi ſuffraganeos, eod. tit. in* 6. *item c.* 1. *§. ideoque mandamus. de iis quæ vi metuſve cauſa. cap. prudentiam,* 21. *§.* 6. *verſ. cæterum ſi vel, & cap. cum contingat,* 36. *de offic. delegati.*

Secus etiam ſi poſt appellationem interpoſitam quis ſit excommunicatus; nam & hic cauſa nondum cognita ad cautelam poteſt abſolvi, *d. §. porro, in pr. & dict. c. venerabilibus,* 7. *§. ſed ſi ex cauſa, §. fin. item, d. c. per tuas,* 40. *§. nos igitur. verſ. quanquam apoſtolica, item c. cum contingit,* 36. *§. ad quod taliter, de offic. delegati.* Niſi cauſa talis ſit, in qua appellare non licet, *d. §. porro, in princ. verſ. exceptis caſibus, in quibus.*

Fallit tertio, ſi ſententia excommunicationis intolerabilem contineat errorem, *d. c. venerabilibus,* 7. *§. poteſt quoque. item d. §. ad quod. taliter. & dict. §. nos igitur. verſ quanquam apoſtolica.*

Cautione interpoſita & de cautione eorum qui ob hæreſin excommunicati abſolvuntur, & ad Eccleſiam redeunt, *vide* 1. *quæſtion.* 7. *c. convenientibus. §. item Baſilius. c. ſi qui voluerint. c. quoties cordis. c. ſaluberrimum. cap. ſi quis Epiſcopus. item* 26. *quæſt.* 6. *c. his qui in tempore §. fin.* & abſolvendus cavet, de parendo mandato Eccleſiæ, *c. qua fronte,* 25. *§. ſane ſi quis, verſ. ab ipſo tamen, de appellationibus*

Gratiæ nihil tribuat Judex in abſolvendo, 11. *q.* 3. *c. plerunque.*

Contra interdictum Eccleſiæ generale abſolutio quando valeat, *c. præſenti,* 10. *de ſentent. excommun. in* 6.

Impoſitione manus ante atrium Eccleſiæ, 26. *q.* 6. *c. ult. in fin. cap. miniſtrare. §. publica.* quod tamen fallit abſolvendo Clerico, *diſtinct.* 50. *c. confirmandam. & c. illud quoque, in prin. diſtinct.* 82. *c. Presbyter. §. finitis tribus.* item ſi in periculo mortis conſtitutus abſolvatur, 26. *qu.* 6. *c. qui recedunt, in prin.*

Juramento præſtito ab eo, qui abſolvitur, de parendo Eccleſiæ vel excommunicatoris mandato, & de non committendo tale quid in poſterum, *c. ex tenore,* 10. *ad hæc,* 12. *c. nuper.* 29. *§. fin. c. venerabili,* 52. *de ſentent. excommun.* 11. *quæſtione* 3. *c. cum aliquis. verſ. & de futuris.*

Si tamen abſolvendus ob id, quod excommunicato extra crimen communicaverit, fuerit excommunicatus, hic etiam ſine juramento abſolvitur, *dict. c. nuper,* 29. *§. is autem qui.*

Si ſine ſcandalo juramentum præſtari non poſſit: tunc enim ſufficit manualis promiſſio, *c. ſuper eo,* 51. *d. tit.* item juramentum præſtatur ab eo qui impeditus, quo minus a Papa ut ordinario Judice abſolutionem petat, ab alio abſolvitur: & jurare debet, ceſſante impedimento, ſe Papam acceſſurum, & mandatum Apoſtolicum ſuſcepturum, *c. de cætero,* 11. *§. fin. & c. ea noſcitur,* 13. *§. fin. de ſentent. excommun.*

De reliqua forma & ſolennitate abſolutionis, *vide* 11. *quæſt.* 3. *c. cum aliquis.*

Abſolutus quis non habetur, niſi probet per literas, vel alias legitime, *c. ſicut nobis, de ſentent. excommun.*

Abſolutio pro offenſa vel contumacia quomodo fieri debeat, *c. ex parte, de verb. ſign.*

## *Quando abſolvendus?*

Quinta Feria ante Paſcha abſolutio facienda & peccata remittenda, *c. de pœnit. de conſecr. diſtinct.* 3.

Non niſi peracta pœnitentia eſt abſolutio indulgenda, *diſtinct.* 50. *c. abſit. c. ſi quis præpoſtera. c. domino. item* 11. *qu.* 3. *c. tunc. vera. c. plerunque contingit. §. cauſa ergo. item de pœnitent. diſtinct.* 1. *c. nonnulli.*

Non, niſi læſo ſatisfactum, & ablatum reſtitutum ſit, abſolutio eſt indulgenda, *c. ea noſcitur,* 13. *verſ. ſatisfactio juxta facultates, de ſentent. excomm.*

De *Abſolutione* retractanda agitur, *c. ex part.* 5. & *c. ſignificavit,* 6. *de officio ordinarii.*

Infamia per reſtitutionem vel *Abſolutionem* non aboletur, 2. *quæſt.* 3. *c. Euphemium. §. hinc colligitur. c. ult. §. abolitio enim. & §. unde Imperatores.*

*Abſolutus* in terra, erit etiam in cœlo abſolutus, 24. *q.* 1. *c. quodcunque.*

*Abſolutus* priſtinum ſtatum recepit. Niſi ex pluribus cauſis excommunicatus, ex una tantum non omnibus fuerit abſolutus, *c. cum pro cauſa,* 27. *de ſentent. excomm.*

Item: Niſi per vim abſolutio ſit extorta, *cap.* 1. *de his quæ vi, metuſve cauſa in* 6.

Tertio fallit ſi injuſta ſit abſolutio. Quæ tamen exceptio reprobatur, *c. venerabilibus,* 7. *§. ubi autem, de ſent. excommun. in* 6.

Quarto: Niſi ab alio, quam a quo debuit, propter impedimentum aliquod abſolutus, ceſſante impedimento ei, a quo abſolvi debuit, ſe non præſentavit, *c. eos. q.* 22. *de ſentent. excomm. in* 6. *Clement.* 1. *§. fin. de pœnis.*

Qui *Abſolutus* eſt in periculo mortis pœnitentiæ tempore nondum peracto, ſi convaluerit, illud implere tenetur, 26. *q.* 6. *c. ſi quis de corpore. c. qui recedunt. §. quod ſi ſupervixerit. c. is qui in. §. ſi ſupervixerit. & § fin. item c. de his vero. §. quod ſi deſperatus.*

## *De hæredibus abſoluti.*

De hæredibus ejus qui poſt mortem abſolutus ad

ſatis-

UNED

ſatisfactionem cogendis, videatur *c. a nobis*, 28. §. *fin. de ſentent. excommun.*

ACCESSORIUM naturam ſequi congruit principalis, *c. acceſſorium*, 42. *d. tit.* adeo ut commiſſo principali & illud committatur, *de offic. delegati. c. præterea*, & *cap. prudentiam. junct. capit. cum ex injuncto*, *de oper. novo nunc.*

# DE ACCUSATIONIBUS.

An ACCUSATIO ſit juſta, ſeu Chriſtiano homini licita, 23. *q.* 4. de quo vide inf. in litera P. in Pœna.

Accuſatio contra inopem & ſpoliatum & contra uſurarium pauperem eſt inanis, *c. olim de reſtit. ſpol.*

Ab accuſatione poteſt deſiſti ante inſcriptionem, *c. licet, de accuſat.*

## *Accuſare qui poſſint, vel non.*

Primum ſine legitimo Accuſatore nemo inter reos eſt recipiendus, *cap.* 1. *de accuſationib.* 2. *quæſt.* 1. *cap. nihil. c. imprimis.* §. *ſed & de perſonis accuſantium* 3. *quæſt.* 9. *cap. dignum. in fin.* 6. *quæſt.* 1. *cap. nos ſequentes.*

Accuſatus prior a reo accuſare non poteſt, niſi prior accuſatio ſit finita, 3. *quæſt.* 11. *in princ. cum cap. ſequen. c. non eſt, in princ. c. neganda*, 4. *quæſt.* 1. *c. ult.* §. *fin* 6. *quæſt.* 1 *qui crimin.*

Fallit ſi accuſator de majori crimine accuſetur, *d. c. non eſt.* §. *hoc autem.*

Si reus contra accuſatorem priorem inſcriptiones tantum pendente accuſatione deponat: hoc enim facere non prohibetur, *d. c. neganda, in fin. & dict. c. neganda, in princ.*

Actor inimicum Epiſcopum accuſare non poteſt, 2. *q* 4. *c. detractores. item* 6. *q.* 1. *c. deteriores.*

Affinis Accuſati accuſare non poteſt, ut nec cognatus, familiaris, vel domeſticus, 3. *q.* 5. *c. ſimiliter. verſ. vel affines. c. accuſatores. verſ. nec familiares. item* 3. *q.* 11. *c. ult.* §. *ſi quis enim.*

Alius pro alio accuſare non poteſt, 2. *q.* 6. *c. ſi quando. Vide inf. in accuſator.*

Anathematizatus: *Vide inf. eodem in Excommunicatus.*

Apoſtata. *Vide inf. eod Hæreticus.*

Qui Calumniatus antea fuerit, vel prævaricatus, hic accuſare non poteſt, 2. *q.* 1. *c. prohibentur.* §. *alii propter ſuſpicionem. item* 2. *quæſt.* 3. *c. ult.* §. *accuſator.*

Cognatus accuſati. *Vid ſup. eod. Affinis.*

Cohabitans. *Vid. inf. eod. Domeſticus.*

Conſpirator accuſare non poteſt, *dict. quæſt.* 4. *c. conſpiratores.*

Qui conſuluit ſortilegos & Magos, non poteſt accuſare, 2. *q.* 8 *c. quiſquis.* §. *fin. item* 3. *q.* 5 *c. conſtituimus. verſ. ſeu qui ad.*

Contentioſus homo accuſare non debet, 3. *q.* 5. *c. ſuſpectos. & d. cap. ſimiliter. & d. q.* 5. *c. nullus verſ. nullus. frequenter litigans.*

An Clericus Clericum accuſare poſſit, 3. *q.* 5. *c. de accuſationibus. c. accuſationes. c. accuſatores, in princ. cap. nullus. in fine.*

Laicus, qui Clericus non eſt, nec eſſe poteſt, Clericum non accuſet, 2. *quæſt.* 7. *c. beati* §. *fin. cum cap. ſequente. c. teſtes, in pr. &* §. *ſic & illud. cap. ſacerdotes. item* 6. *q.* 1. *c. omnes vero. verſ. indignum eſt enim. cap. infames.* §. *hi nimirum omnes. item* 15. *q.* 3. *in pr. verſ. generaliter enim.*

Item Clericus Laicum non accuſet, 2. *q.* 7. *c. ſicut. & c. decretum.*

Culpabilis ipſe, & in crimine conſtitutus accuſare non poteſt, 6. *quæſt* 1. *in princ. cum c. ſequente. & c. beatus. in prin. item c qui crimen. item* 3. *quæſt* 5. *c. ſuſpectos. c. canonica. c. ſimiliter. c. nullus.* hujus exemplum habetur, *c. cum. Eccleſiaſtica*, 3. *de exceptionibus.*

Qui deſtitit ſemel ab inſtituta accuſatione, iterum accuſare prohibetur, *c. licet*, 14. *de accuſationib.*

Detractor accuſare non poteſt, 2. *q* 4. *c. detractores.*

Domeſticus inimici accuſati, vel ei cohabitans, non poteſt accuſare, *c. repellantur*, 7. *de accuſationibus. item* 3. *q.* 5. *c. accuſatoribus, in princ.*

Domeſticus vel familiaris Judicis non accuſet, 3. *q.* 5. *c. ſimiliter. in verbo Gratioſi &* 4. *q.* 4. *c. pen.* §. *fin. cum c. ſeq.*

Eccleſiaſtica perſona non accuſat. *Vide ſupra in Clericus.*

Excommunicatus vel anathematizatus accuſare non poteſt, 4. *quæſt.* 1. *c.* 1. *in princ. cap. quod autem*, 2. *quæſt.* 7. *c. in ſancta*, 6. *q.* 1. *c. illi qui.* §. *ſimiliter. c. omnes*, 3. *quæſt.* 4. *c. conſpiratores. c. nullus. c. omnes.* Niſi reus accuſatori excommunicato communicaverit. Sed hoc reprobatur, *c.* 1. *de exceptionibus.* quæ exceptio fallit in caſu *c.* 2. *de exceptionibus.*

Exterus & ignotus non accuſat, 5. *quæſt.* 5. *canonica. verſ. & eos, qui non ſunt eorum gentis. item c. accuſatores verſ. nullus alienigena.*

Familiaris accuſati accuſare non poteſt. *Vid. ſup. eodem in Affinis.* quod fallit, ſi reus accuſatorem propter crimen, quod illi objicit, a ſua familiaritate non repulerit: hoc enim caſu accuſare poterit, *c. nulli*, 5. *de accuſationibus*, 3. *q.* 5. *c. nulli, in princ.*

Familiaris Judicis. *Vide ſupra in Domeſticus.*

Filius parentes. *Vide infra eodem in Liberi.*

Hæreticus, apoſtata, vel alias vilis homo accuſare non poteſt, 2. *q.* 7. *c. quærendum. c. alieni. c. pagani. item* 3. *quæſt.* 4. *c.* 1. *c. beatus. c. ſi quis. item* 3. *qu.* 5. *c. ſuſpectos. c. canonica. c. nullus. item* 4. *q.* 1. *cap.* 1. §. *omnes etiam. c. quod autem.* fallit, ſi hæreticus hæreticum velit accuſare, *d. c. pagani.* §. *in hoc. & d. q.* 7. *c. ſi hæreticus, in princ.*

Infamis accuſare non poteſt, *d. cap prohibentur.* §. *alii propter delictum*, 3. *qu.* 4. *in pr. cum c. ſeq.* 3. *qu.* 5. *c. canonica c. accuſatores. in fin. c. conſtituimus. c. ſimiliter c. nullus. item* 4. *q.* 1. *c.* 1. §. *omnes etiam*, 6. *q.* 1. *in pr. cum c. ſeq c. beatus*, 6. *q.* 2. *omnes. c. illi qui. c. ſumma.* §. *finali. cum c. ſeq.* fallit ſi ex lege Julia de annona infamis accuſet, 2. *q.* 1. *c. prohibentur.* §. *mulierem. verſ. fam ſi quoque.* item ſi de hæreſi vel ſimonia infamis accuſare velit, 6. *q.* 1. *c. nos ſequentes.* §. *ſed licet.* Contradicere videtur *d. qu.* 1. *c. quæro ergo.* Ubi Gratianus ſubjecit ſolutionem verſ. utrum hoc Auguſtini.

Inferior ſuperiorem, vel minor majorem accuſare non poteſt, 2. *quæſt.* 7. *c. qualis.* §. *fin. cum c. ſeq. item c. majorum. c. quærendum. c. in ſancta. verſ. & ſicut major. item* 6. *quæſt* 1. *c. beatus, in pr. verſ. & qui eis coæquales. &* §. *finali. c. omnes vero, in fin. item* 3. *q.* 5. *c. accuſationes, in fine.* fallit ſi major ſit hæreticus, & minor catholicus, *d. quæſt.* 1. *c. cum majores.* item ſi major exemplo ſuo ad interitum trahat juniores, 2. *q.* 7. *cap. Paulus dicit.* vel ſi major vita & moribus minore ſit deterior, *d. q.* 7. *cap. qui nos.* §. *finali. cum c. ſequente. c. quanquam. c. puto q. quæritur.* ſed tamen ſi minor ſit irreprehenſibilis, accuſare poteſt, *d. q.* 7, *c. criminationes, in princ.*

Inimicus accuſati ab accuſationes repellitur, 3. *qu.* 5. *c. ſuſpectos, & c. canonica. & d. c. nullus. verſ. nullus, qui inimicitiis ſtudet. & d. c. omnes, in fine. item* 3. *q.* 5. *c. accuſatores. c. accuſatoribus. c. nulli.* §. *quod vero. c. ultimo.* §. *finali. item* 23. *qu.* 4. *c. ea vindicta* §. *ſed huic vindictæ. & c. ultimo. item de accuſationibus. c. cum P.* 10. *& c. meminimus*, 13. 5. *q.* 5. *in pr. cum c. ſeq. c. non omnis. c. non oſculatur.* licet obſtet *d. c. non oſculatur.* §. *fin.* ſed ei reſpondetur *d. quæſt. q. c. ult.* §. *ſed aliud.*

Inobediens Papæ non poteſt accuſare, 3. *q.* 4. *c.* 1. *& c. ſi quis.*

Si accuſatoris nihil interſit, accuſare non poteſt, *c. illa præpoſitor*, 3. *de accuſationibus.*

Laicus Clericum non accuſat, 2. *quæſtion.* 7. *in princ. cum c. ſequente. c. nullus c. laico. c. in ſancta. c. laicos. c. ſicut, c. laici. item* 6. *quæſt.* 1 *c. beatus c. ſacerdotes. c. ſunt plurimi. c. quieſcite, item* 11. *quæſt.* 1 *c. Clericum, in fin. item c. cum P.* 10 *de accuſat & c. de cætero*, 14. *de teſtibus. Vid. ſupr. eod. in Clericus.*

Li-

UNED

Liberi parentes non accuſent, 2. q. 1. cap. prohibentur. niſi in crimine læſæ majeſtatis, 3. qu. 11. cap. Epiſcopus. §. & in criminali. verſ. crimen vero.

Libertus Epiſcopum non accuſet, 5. quæſt. 5. c. accuſatores. §. finali. & c. nullus.

Nec Libertus patronum accuſet, 3. quæſt. 11 c. ult. §. fin. 12. q. 2. c. Epiſcopus, §. hujuſmodi autem. & §. in criminali. d. §. alii per conditionem. fallit ſi ex lege Julia majeſtatis accuſet, d. §. in criminali, verſ. crimen vero. item ſi civiliter, non criminaliter agatur, 2. q 1. cap. prohibentur. §. liberi.

Qui in Magiſtratu poſitus eſt, accuſare non poteſt, 2. q. 1. c. prohibentur, in pr.

In illegitimo Matrimonio conſtitutus vel ei conſentiens, accuſare prohibetur, 3. q. 4. c. conſanguineorum.

Miles accuſare non poteſt, 2. q. 1. cap. prohibentur. Niſi miles ex lege Julia de annona accuſet, d. cap. prohibentur. §. mulierem. verſ. milites quoque.

Monachus Clericum non accuſet, 2. q. 7. cap. placuit. cap. nullus, in pr. 3 qu. 4. cap. hi qui. §. fin 4 quæſt. 5. cap. canonica. p. fin. Contradicit dicta quæſtio ſeptima, cap. ult. §. item Joannes: reſpondetur per diſtinctionem dicti cap. nullus. §. ſed aliud. & dict. qu. 7. cap. negligere. cap. ſancta. item De accuſationibus. cap. ex parte, 11.

Mulier ab accuſando repellitur, 2. q. 1. cap. prohibentur, 15. qu. 3. in princ. & cap. de crimine. Niſi mulier ſuam ſuorumve injuriam perſequatur, d. q. 3. in princ. verſic. niſi forte ſuas. & cap. ex eo quod. §. finali. cap. certis de cauſis, in princ. & §. uxor. ſua. ſi tamen mulier maritum vel adulteram adulterii velit accuſare, hanc injuriam non poteſt perſequi, 32 q. 1. cap. apud miſericordem. §. publico. Hujus ratio eſt 32. q. 5 cap. penul. §. ſed quæritur. cum capite ſeq. item ut crimen læſæ majeſtatis mulier deferat, 15. qu. 3. cap. certis de cauſis. §. in quæſtionibus, cap. ſane. §. unde aut. item ex lege Julia de annona mulier accuſet, 2. q. 1. cap. prohibentur. §. mulierem.

Par parem, vel Superior inferiorem accuſare poteſt, 2. q. 7. cap. pagani.

Pauper accuſare prohibetur, 2. qu. 1. cap. prohibentur. §. nonnulli. & c. in primis. §. ſed & de perſonis.

Qui pecuniam antea ob accuſandum, vel non accuſandum acceperit, ab accuſatione repellitur, 2. qu. 1. c. prohibentur.

Plures reos habens, accuſare prohibetur, 2. qu. 1. cap. prohibentur.

Plures eundem de eodem crimine accuſare non poſſunt, cap. illa, 3. de accuſationibus. Niſi priore accuſatore deſiſtente alius eundem reum reperat, 2. qu. 1. cap. prohibentur. §. ab alio.

Qui in probatione defecit adverſus eundem, vel alium, accuſatione inſtituta iterum accuſare non poteſt, 3. qu. 10. in princ. cum cap. ſequente. & cap. ult. item 4. qu. 6. cap 1. cap. ſi accuſatorum. & cap. ult. Niſi accuſator propriam cauſam, non tamen criminalem vel Eccleſiaſticam perſequatur, dict. qu. 6. cap. ult. verſic. niſi proprias.

Prohibitus accuſare poteſt ſuam ſuorumve injuriam perſequi: hoc enim caſu accuſatio ei non deneganda, 2. q. 1. cap. prohibentur. § tamen omnes, 4. qu. 6. cap. omnibus. & cap. illud vero verſic. niſi proprias. item cap. ſi accuſatorum. verſic. niſi proprias. & cap. ultimo. verſ. niſi proprias. item ſi hæreticus accuſetur, 4 quæſt 7. cap præſumunt. §. huic oppoſitioni. verſic. cæterum ſi a fide. item 6 qu. 1. cap. nos ſequentes. §. ſed licet. & cap. cum majores cap. quæro. quod fallit, ſi hæreticus de alio crimine, quam de hæreſi accuſetur ab eo, qui eſt inferior in converſatione vitæ, diſt. quæſt. 7. c. ſi hæreticus. §. ſed quæritur.

Item accuſare prohibitus poteſt, ſi teſtis in reum produci poſſit, dict. quæſt. 7. cap. teſtes. §. nunc demonſtrandum. verſ. at quicunque.

Pupillus accuſare non poteſt, 2. quæſt. 1. c. prohibentur, in princ. Niſi pupillus patris vel avi injuriam perſequatur, 15 q 3. c. certis de cauſis. §. pupillis.

Qui Quæſtus cauſa accuſat, prohibetur, cap. ſignificante, 5. qui matrimon. accuſare poſſunt.

Raptor accuſare non poteſt, cap. conſanguineorum, verſic. ſimiliter, de raptoribus.

Qui renunciavit accuſationi, antea præſtito jurejurando, ab accuſatione repellitur, cap. veniens, 16. de accuſationibus.

Sacrilegus non accuſat, 5. q. 4 cap. nulli.

Servus dominum accuſare non poteſt, 3. qu. 11. cap. ultimo. §. ſi quis enim. & 2. quæſt. 3. cap. ultimo. §. cauſa vero, 2. quæſt. 1. cap. in primis. §. quod autem dicitur.

Item non poteſt omnino Servus accuſare, 3. quæſt. 5. cap. canonica. verſ. aut libertas. cap. accuſatores. §. finali. cap. nullus. niſi ex lege Julia de annona velit accuſare, 2. qu. 1. c. prohibentur. §. mulierem.

Item niſi Servus mulierem, quæ cum propriis ſervis rem habuit, deferat, 12. quæſt. 2. c. Epiſcopus. §. in criminali. verſ. quo caſu cum ſeq.

Subditus Prælatum vel Magiſtrum ſuum accuſare prohibetur, 2. quæſt. 7. cap. 2. c. ſacerdotes. c. qualis. c. ſententia. c. oves. c. ſunt nonnulli. c. ſi hæreticus § item quod dicitur, 3. quæſt. 4. c. hi, qui, 6. quæſt. 1. c. oves. c. deteriores, 8. quæſt. 2. c. ultim. in fin. Contradicit 2. q. 7. c. plerunque. c. teſtes. §. ecce oſtenſum, cum ſequentibus, uſque ad c. Clericos aut Laicos. Item contradicit d. quæſt. 7. c. de criminationes. §. colligitur. & c. admonendi.

Fallit ſupradicta deciſio, ſi Prælatus a fide exorbitaverit: tunc enim a ſubditis ſuis accuſari poteſt, 2. quæſt. 7. cap. Sacerdotes, in fin. c. oves. verſic. niſi a fide & cap. præſumunt.

Secundo ſi Prælatus nomine tantum ſit, non vita, d. qu. 7. c. non omnes. c. non omnis. c. ſecuti. c. qui nec. c. plerunque. §. fin. c. Paulus. item 8. quæſt. 1. c. vereor.

Tertio fallit, ſi Clericus ſubditus Prælatum accuſet, verum hæc replicatio reprobatur, 2. quæſt. 7. c. Sacerdotes. c. oves. §. his auctoritatib. c. plerunque. §. item probatur. item 3. quæſt. 5. c. Clericus.

Denique fallit ſi accuſator vir ſit probus, minime criminoſus, d. § his auctoritatibus. cum c. ſequente. & d. q. 8. c. accuſatio, in pr. c. ſunt nonnulli. § fin. cum c. ſequente. item c. ſi hæreticus. §. item quod dicitur.

Superior inferiorem accuſare poteſt. vide ſupra eodem Par.

Suſpectus accuſare prohibetur, 3. qu. 5. c. ſuſpectos. c. canonica. c. accuſatores. c. omnes in fine. item 3. q. 8. c 1. in princ.

Accuſare me non poteſt, qui contra me teſtimonium tulit, c. meminimus. de accuſ.

Vilis perſona in dignitate conſtitutum accuſare non poteſt. vide ſupra eodem. Hæreticus. item in inferiore.

## *Quos accuſare liceat, vel non.*

Alium quam qui crimen commiſit, accuſare ac punire non licet, 1. quæſt. 4. in princ. cum ſequentibus, uſque ad c. quia præſulatus. c. crimen. c. Judæi. c. jam itaque. c. non imputantur. item 24. quæſt. 3. in pr. §. unde per Ezechielem. & §. quia vero item cap. 1. c. certum. §. illicita. item c. 2. §. finali. de his, quæ fiunt a majore parte. & de conſecratione, diſt. 4. cap. quæris, in princ.

Accuſare licet eum qui coegit ad crimen faciendum: nam & hic tenetur, 22. quæſt. 5. in princ. cum cap. ſeq.

Conſentientem in crimen: nam & hic propter ſuum conſenſum tenetur, 11. qu. 3. c. qui conſentit. 17. qu. 4. cap. omnes. 22. qu. 5. in princ. 27. qu. 1. cap viduas. §. finali. item diſt. 86. cap. facientis.

Eum cujus conſilio crimen ſit commiſſum: hoc enim caſu uterque poteſt accuſari, de pœnitentiis, diſt. 1. cap. ſi quis iratus, cum cap. ſeq.

Defendentem crimen alterius: nam & hic ob ſuam defenſionem tenetur, diſt. cap. qui conſentit. verſ. & defendit alium. item verſic. ſi quis peccantem defendit. Exemplum

habe-

UNED

*habetur dicta quæſt. 3. cap. ita corporis. & 14. quæſt. 6. cap. 1. §. illud vero fidentiſſime.*

Mandantem, *diſt. 1 cap. ſi quis iratus. cum cap. ſequente.*

Poſteros, ſi pœna non ſolum crimen committenti, ſed etiam ejus poſteris lege ſpecialiter impoſita ſit: hoc enim caſu poſteri quoque puniuntur, exemplo criminis læſæ majeſtatis, niſi poſteri per fœmininam, non maſculinam lineam deſcendant, *cap. ubicunque, 4. de pœnis, in 6.*

Non propulſantem injuriam, cum poſſet: nam & hic tenetur, *diſtinct. 83. in pr. cum cc. ſequentibus item cap. conſentire. item diſtinct. 86. cap. facientis. item 23. qu. 3. cap. non in inferenda. cap. qui poteſt. c. ab Imperatoribus. & cap. ultimo. item 2(. quæſt. 5. cap. non putes. cap. non eſt. cap. qui vitiis. item 23. quæſt. 8. cap. præterea. item de ſententia excommunicationis, in 6. §. & quidem.*

Accuſari non debet de eodem crimine abſolutus, *cap. de his, de accuſationib.*

Accuſari non poteſt inimicus vel ejuſdem amicus, *cap. repellantur, de accuſat.*

Accuſari poteſt matrimonium poſt ternam denuntiationem, ſi ante non conſtabat impedimentum, *cap. cum in tua, qui matr. accuſare poſſ.*

Accuſari quis poteſt de diverſis criminibus in eodem libello, *c. licet, de accuſ.*

## *Ubi accuſare liceat.*

In loco, in quo crimen commiſſum eſt, regulariter reus accuſandus ac puniendus eſt, *cap. 1. de raptoribus, 6. quæſt. 3. cap. Paulum. §. revera. 3. qu. 6. in pr. cum c. ſequente. & cap. ultimo, 3. quæſtion. 9. cap. nec extra, 6. quæſt. 1. cap. placuit. cap. ultimo.* Niſi Papa permiſerit alibi accuſari, *dicto cap. nec extra. verſic. ſalva tamen* vel cum alibi de crimine conſtare poſſit, vel ſi per appellationem, vel recuſationem Judicis cauſa alio devolvatur, *d. quæſt. 6. c. pulſatus. §. hoc autem.* item ſi Epiſcopus accuſetur, *dicta quæſt. 6. d. ſi quis, in princ. 3. quæſt. 5. c. accuſatores. §. nullus.* denique ſi reus alibi deprehendatur, *c. 1. §. contrahentes de foro competenti.*

In Templis, Cœmeteriis & aliis locis Eccleſiæ, cauſæ ſanguinis agi non debent, *c. cum Eccleſia, 5. de immunit. Eccleſ.*

## *Apud quem Accuſare liceat.*

Apud eum, cujus intereſt, accuſatio inſtituti poteſt, *cap. illa, 3. de accuſat.*

Apud Magiſtratum Eccleſiaſticum accuſatio publica non competit, *c. in Archiepiſcopatu, 4. de raptorib.*

Apud Stationarios accuſatio non competit, *4. q. 4. c. nullus. §. ſi quis ſe accuſat.*

## *Forma, & quemadmodum Accuſatio inſtituenda.*

Admonitio præmittenda accuſationi Prælatorum, *2. q. 7. c. accuſation. §. ſed ſi quis c. ſi quis erga.*

Cum cauſæ cognitione circa perſonam: nam accuſatoris, & accuſandi cauſa præmittenda, *d. q. 7. c. ſi qui ſunt c. quærendum. c. accuſatio c. Clericos. c. criminationes, in prin. item 3. q. 4. c. ſi quis a vero, in fin. 3. q. 9. c. habetur. & c. dignum.*

Per epiſtolam accuſatio non poteſt inſtituti. *Vid. inf. in Accuſator.*

Inſcriptione accuſantis interponenda. *Vid. inf. in Accuſat.*

Accuſatio in ſcriptis producenda eſt, ac legenda, *2. q. 8. in princ. cum c. ſeq.* Contradicit, *d. quæſt. 8. in cap. ult. in princ.* cui reſpondet Gratianus *ibid. §. ſed Calixtus.*

Subſcriptione accuſatoris interveniente, *2. qu. 8. c. ult. §. item ſubſcribere.*

In accuſatione, denunciatione & inquiſitione qualiter ſit procedendum, *habetur in c. licet, de ſimon.*

Accuſandum non eſt per reſcriptum, ſed viva voce, contra matrimonium, *cap. a nobis, qui matr. accuſ. poſſ.*

ACCUSATOR unde dicatur, *c. forum, 10. §. accuſator, de verb. ſignif.*

Accuſare per alium non poteſt, neque per epiſtolam, *2. q. 6. c. ſi quando, 1. q. 7. c. criminationes, 2. q. 8. c. per ſcripta, in pr. 3. qu. 9. c. abſente. c. non oportet. c. habetur. c. qui accuſare. c. dignum. c. abſens. c. ult. item 5. qu. 2. c. relatum. 5. q. 3. c. in criminalib.* fallit, ſi abſentiæ cauſa per procuratorem reddatur, *5. q. 3. in pr. cum c. ſeq. item de accuſat. c. veniens. 15. §. idem vero ad ſuum.* item ſi accuſator in illuſtri dignitate ſit conſtitutus, *3. q. 9. c. abſens.* item ſi civiliter ex crimine agatur: puta ſi maritus uxorem de adulterio accuſet, ut ab ea ſeparetur, *cap. tuæ fraternitati; 5. de procur.* fallit denique, ſi per modum exceptionis crimen objiciatur, *c. ſuper his, 16. §. fin. de accuſat.*

Accuſator cuſtodiæ ſimilitudinem patietur, *2. quæſt. 8. c. quiſquis.*

Libelli inſcriptio ab accuſatore facienda, *2. q. 8. cap. quiſquis ille. 3. quæſt. 9. c. qui accuſare. verſ. inſcriptione videlicet, 4. q. 4. c. nullus §. inſcriptio ſemper. §. in aliis. & §. inſcriptio vero.*

Quod fallit, ſi maritus uxorem de adulterio accuſet: hic enim inſcribere in crimen non tenetur, *d. c. nullus. §. ſi moritur.*

Item ſi de abigeatu accuſatio inſtituatur, *d. cap. nullus. §. abact.*

Item ſi per officiales crimen Præſidi nuncietur, *dict. cap. nullus. §. aliquando.* vel ſi non per accuſationem, ſed per denunciationem crimen deferatur, *c. ſuper his, 16. in princ. de accuſat.*

Denique ſi per modum exceptionis crimen objiciatur, quod probatur ſimul & diſtinguitur, *d. c. ſuper his, §. cum autem excipiendo.*

Porro de modo & forma inſcriptionis, item iis quæ deſignanda, vel inſcribenda ſunt, *vide 2. qu. 3. c. Paulum. §. omnis igitur. quæſt. 8. c. pen. item c. ult. § quæ vero. & §. ſed etſi aliud.*

Ad formam etiam inſcriptionis pertinet ut accuſator ſubſcribat, vel alius pro eo, ſi literas neſciat, *d. c. ult. §. item ſubſcribere.*

Denique ſi in crimen inſcriptum non ſit, vel non recte, rei nomen aboletur & ex integro repetendi reum poteſtas fiet, *d. c. ult. §. quod ſi libelli.*

Accuſatori probandi onus incumbit, *2. quæſt. 7. c. ſi quis Epiſcop. & 4. qu. 6. c. ult.* quibus autem rationibus crimen probandum ſit, *paulo inferius inter officia Judicis, regul. 4. cum ſequentibus docebitur.*

Accuſatore deficiente, nihilominus indicitur purgatio infamato, *c. accedens, de accuſat.*

Accuſatore deficiente, reus abſolvitur, *c. ut noſtrum, Ut benef. Eccleſ. ſin. dim.*

Accuſatoris injuſti pœna, *c. accuſaſti, de accuſat.*

De *accuſatoribus*, Calumniatoribus, Prævaricatoribus, & Tergiverſatoribus. *Vid. inf. unumquodque verbum in ſua litera.*

ACCUSATUS contumax coercetur per excommunicationem, *4. q. 5. in pr. cum c. ſeq.*

Accuſatus apprehenſus cuſtodiendus, niſi reus judicio ſiſti, vel de parendo juri ſatisdare ſit paratus, *c. ſi Clericos, 15. §. fin. de ſentent. excomm. in 6.*

Accuſatus non recipiendus, nec occultandus, *d. c. 6. p. 3.* niſi recipientes ſint privilegiati ad recipiendum: ſed reprobatur, *c. unico, de privileg. in extravag. Joan. XXII.*

Accuſatus defendere ſe per alium in criminalibus non poteſt, nec per epiſtolam, *3. quæſt. 9. c. ult. 5. qu. 3. c. in criminalibus, in fin. & cap. ult. verſ. excepto publico.* quod fallit, ſi abſens ſit damnandus ad pœnam: hoc enim caſu quilibet potius pro eo verba faciens admittendus eſt, quam abſens damnandus, *d. quæſt. 3. c. 1. ſi ægrotans. §. reos. Item de accuſ. c. veniens, 15. §. idem vero.* item ſi illuſtris perſona de injuriis accuſetur, hæc enim per procuratorem ſe defendere poteſt, *3. quæſt. 9. c. abſens.*

Deni-

denique abſentiæ cauſa per procuratorem reddi poteſt, *de hac re dictum ſupra in Accuſatore.*
Accuſatus ſuſpendendus eſt interim ab officio ſuo, 2. *quæſt. 4. c. accuſat.*
Accuſato interdicitur alienatio rerum Eccleſiaſticarum, *cap. prælatorum, de accuſation.*
Accuſatus de crimine & convictus deponitur, per modum vero inquiſitionis convictus, removetur, ſi eſt ſubditus, ſimpliciter: prælatus vero removetur ab adminiſtratione, *cap. dilectus, eod. tit.*
ACOLYTHI unde dicantur, *diſt. 21. c. Cleros. §. acolythi.* & de officio, *diſt. 25. c. 1. §. ad acolythum, diſt. 33. c. 1. §. deſervientes.*
De modo ordinandi acolythum cavetur, *diſt. 23. cap. acolythus.*
Acolythus rem a Presbytero conſecratam alii ne porrigat, *diſt. 24. cap. 1.*
Acolythus uxoratus tonſuram portare non tenetur, *c. Joan. de Cleric. conjug.*
Acolythus uxoratus beneficium amittit Eccleſiaſticum, *cap. 1. eod. tit.*
ACQUISITA ab Eccleſiaſtico poſt promotionem cedunt Eccleſiæ poſt mortem, *de ſucceſſ. ab inteſt. c. ſed. hoc.*
ACTA Judicis non valent, niſi teſtibus juventur, *c. cum a nobis, de teſtib.*
Acta judicii temere violans non poteſt impugnare, *cap. coram, de offic. & poteſt. Jud. deleg.*
An ACTIO jure divino ſit permiſſa, *14. q. 1. in pr. & 23. q. 4.* ubi vindicta prohibetur: contrarium tamen concluditur, *d. q. 1. c. 1. §. fin. cum duob. c. ſeq.*
Actio litigioſa cedi ac emi prohibetur, *c. ult. §. cum igitur, de alienat. judic. mutandi cauſa facta.*
Actio Clericis & Monachis videtur deneganda, *14. q. 1. in princ. cum c. ſeq. in prin.* fallit ſi de damno vitando, non de lucro captando agant, *d. quæſt. 1. c. 1. §. his ita.* item ſi non ſuo, ſed alterius vel Eccleſiæ nomine agant, *d. c. 1. §. aliud eſt, uſque ad § fin.*
Actori non debet licere, quod reo non permittitur, *c. non licet, 32. de reg. jur. in 6* nam favorabiliores ſunt rei conventi, quam actores, *cap. cum ſunt, 11. & c. in pari, 65. de reg. jur. in 6.*
Actore non probante reus abſolvitur, *de cauſ. poſſeſſ. & propr. c. cum Eccleſia.*
Actor poteſt juramento probare intentionem, ſcil. in caſu, *c. ſuper eo, de iis quæ vi met. cauſ. fiunt.*
Actor quando poſſit reum ſub quo vult Judice convenire, *vide in c. 8. 10. & 11. de for. competen.*
Actore abſente per contumaciam, lite non conteſtata partis adverſæ teſtes recipiuntur, *cap. cauſam, de dolo & contumacia.*
Actor, niſi teſtibus & inſtrumentis deficientibus, non tenetur jurare, *c. ſicut conſuetudo, de probat.*
Actor ab actione cadit, ſi juramentum calumniæ præſtare nolit, *c. ult. de juram. calumn.*
Actor ab accuſatione non repellitur, quamdiu oppoſita excommunicatio ſibi non probatur, *c. except. de except.*
ACTUS legitimi conditionem non recipiunt, neque diem, *c. actus, 50 de reg. jur. in 6.*
ADAMUS natus eſt immortalis, *de conſecr. diſt. 4. cap. placuit igitur.*
ADSCRIPTITIUS agrum, cui adſcriptus eſt, deſerere non debet, *cap. indicatum, 3. de immun. Eccleſ.*
ADVENA probare debet ordinem antequam admittatur in ordinem ſuſceptione, vel ulterius promoveatur, *de Cler. pereg. non ord. can. inter quatuor.*
ADVERSARIUS injuſte fatigans condemnatur in expenſis, *c. cæterum, de reſcrip.*
Adverſarii gratiæ ſe committens non cadit ob hoc a jure ſuo, *c. ſane, de renunt.*



Adverſarius per viginti dies eſt expectandus in cauſa appellationis, *c. 1. de appellat. in 6.*

# DE ADULTERIO ET STUPRO

## *De Adulteris & Adulterinis.*

Adulterans vir uxorem adulteram dimittere non poteſt, *c. ſignificaſti, de divort.*
Adulteræ occultæ non eſt deneganda pœnitentia, *c. officii, de pœn. & remiſſ.*
Adulter cum adultera poſt mortem viri contrahere poteſt, niſi fidem dederit de contrahendo, vel actu eam duxerit, & ante vel poſt, uxore ejus ſuperſtite, ipſam cognoverit, *c. veniens. & c. ſi quis, de eo qui dux. in matrimon. quam per adult. poll.*
Adultera ſeparata ſine ſpe conjugii manet, *c. literis, de præſumpt.*
Adultera virum repetere non poteſt, niſi & ipſe ſit adulter, *c. conſtitutus, de converſ. conjug.*
Adultera pœnitens reconcilianda eſt viro ſecundum Concilium, *c. gaudemus, cum ibi not. de converſ. conjug.*
Cum adulterinis filiis non faciliter diſpenſatur, *c. per venerabil. qui fil ſint legit.*
Adulterini filii non ſunt, qui ex muliere ſuperducta in facie Eccleſiæ, ignoranter vivente prima, gignuntur, *c. ex tenore, eod. tit.*

## *Adulterii vel ſtupri qui accuſare poſſint.*

Marito adulteræ imprimis accuſatio competit, *c. maritis, 4. de adult.* Niſi maritus ipſe ſit adulter, *c. intelleximus, 6. de adult.*
Uxori adulteri accuſatio adulterii non competit, *32. quæſt. 1. c. apud miſericordem. §. hoc in mulieribus, cum ſeq. item q. 5. c. ult.*

## *Quos Adulterii accuſare liceat vel non.*

Qui Adulterium commiſit, *27. q. 1. c. nubendi. §. fin. item diſt. 88. c. fornicari.* definitio & differentia fornicationis, ſtupri, & adulterii traditur, *36. q. 1. c. lex illa. §. ſed non omnis, cum ſeq* Sane omnis illicitus coitus definitur adulterium eſſe, *32. q. 4. c. nemo. & 32. q. 5. c. illa autem. § cum ergo. verſ. at enim ait.* ſi quis tamen liberorum procreandorum non libidinis cauſa adulterium vel ſtuprum commiſerit, accuſari non poterat, *32. q. 4. in prin. & c. dixit. in prin. c. objiciuntur.* ſed exceptio reprobatur, *d. q. 4. c. ſicut ſatius. in pr. c. recurras. §. fin. verſ. nec illorum. c. dicat aliquis. c. ſic non ſunt.*
Coitus omnis extra legitimum matrimonium punitur, *d. c. nemo. § quicquid. & d. §. cum ergo.*
Concupiſcentia ſola quoque punitur, *de pœnit. diſt. 1. c. ſi cui etiam, 32. q. 7. c. non ſolum.* & ſi ob Defectum vel Sterilitatem uxoris cum alia concubuerit accuſari poteſt, *32. q. 4. c. ſicut ſatius, in princ.* ſi cum Deformi vel Paupere fornicatio ſit commiſſa, *14. q. 6. c. ult. §. quomodo.*
Si deprehenſum in adulterio conjugem conjunx retinuerit, *c. ſi vir, 3 in princ. de adulter. 32 qu. 1. in prin. c. ſicut. c. dixit. verſ. imo cum illa. c. ſi quis uxorem. c. apud miſericordem. § quod ſi in adulterio. & § unde in nono.*
Qui dimiſit uxorem ſuam ſine cauſa, accuſari de adulterio non poteſt, *27. q. 2. c. matrimon. c. omnis res.*
Qui dimiſſum dimiſſamve ob adulterium adulterii accuſatum reduxerit, *34. q. 1 c. non ſatis. § rem novam. verſ. cumque egreſſa.* quod fallit, ſi repudiatus repudiatave pœnitentiam egerit, *c. ſi vir ſciens, 3. §. fin. de adulteriis, 32. q. 1. c. benedicto. c. quod autem. & c. non erit.* item fallit, ſi ob aliam quam adulterii cauſam quis uxorem dimiſerit: hanc enim recipere non prohibetur, *27. q. 1. c. ſi quis gentilis.*
Si quis duas uxores ſimul habeat, vel una duobus nupta ſit, accuſari poteſt, niſi per errorem & ignorantiam quis eam, quæ alium habet maritum duxerit, vel contra: is enim cave ignorantiæ exceptione defenditur, *34. q. 1 c. cum per bellicam. verſ. nec tamen culpabilis. item c ſi quis neceſſitate. §. final. cum cap. ſequenti.* Alia exceptio eſt;

Niſi prior conjunx propter fornicationem dimiſſus dimiſſave ſit, 32. *quaſt.* 7. *c. quemadmodum*.

Qui per Errorem putans ſuam eſſe uxorem, cum aliena rem habuerit, adulterii accuſari non poteſt, 32. *q.* 1. *c. ſi virgo*, §. *fin. cum c. ſeq.*

Si inceſtus crimen ſit commiſſum, accuſare licet, 36. *quaſt.* 1. *c. lex. illa.* §. *inceſtus eſt*.

Si liberorum cauſa adulterium commiſſum ſit, punitur, *ut ſup. eod. in pr. in adulterium*.

Si quis contra naturam Luxurietur, vel mares cum maribus coierint, 32. *quaſt.* 7. *c. adulterii. c. offerebat c. flagitia. c. uſus*.

Si cum Meretrice, aut alias ignominioſa muliere ſtuprum ſit commiſſum, punitur, *d. c.* 4. *c. meretrice. eſſe. & c. in eo.*

Si quis ab alio repudiatam uxorem duxerit, vel ſi qua repudiato nupſerit, 31. *qu.* 1. *c. denique.* §. *prima auctoritas*, 32. *quaſt.* 1. *c. dixit. q.* 7. *c. licite*, *in princ. dominus*, *in fine. c. omnes.* §. *qui dimittit. verſ. & qui dimiſſam. item* 34. *q.* 1. *c. non ſatis* §. *rem novam. verſ. cumque egreſſa*.

Si cum ſoluta ſit commiſſum, punitur, 32. *qu.* 4. *c. ſi non ſunt.* §. *final. cum c. ſeq. q.* 6. *c. fieri poteſt*.

Si cum ſerva commiſſum ſit adulterium vel ſtuprum, punitur, 14. *q.* 6. *c. ult. verſ. ancilla*.

Si per vim aliqua ſtuprum vel adulterium ſit paſſa, accuſari non poteſt, niſi vim paſſa non exclamaverit, 34. *qu.* 1. *non ſatis.* §. *legat libros.*

Amor uxoris immodicus & libidinoſus punitur, 32. *qu.* 4. *c. origo. c. recurrat.* §. *fin. c. in eo.* §. *fin. c. in eo.* §. *fin. & c. liberorum*, *in princ.*

## *Forma accuſandi de adulterio, & quemadmodum accuſatio fiat.*

Juramento accuſatoris interveniente, 35. *qu.* 6. *c. ſi duo.* §. *fin. cum c. ſequenti*.

Confeſſio alterutrius non probat contra alterum, quoad pœnam, ſed quoad purgationem indicendam ſufficit: *c. ſignificaſti*, 5. *de adulteriis*, 2. *qu.* 5 *c. interrogatum*.

Probatio inceſtus requiritur, 35. *qu.* 5. *c. ſi duo*, *in pr.*

Pœna. Vide in loco Pœnis, in litera P.

## *De Advocatis & Poſtulantibus.*

Advocati confeſſio non revocata præjudicat domino ſuo. *c. cum cauſam. de appell. c. olim, de cenſibus*.

Advocatum poteſt dare Judex requiſitus, *c. ex literis*, *de offic. jud.*

Et advocatus a Judice ſic datus non poteſt recuſari per partem, quia Judicis ſit domeſticus. *Ibid.*

Poſtulare quid, 3. *q.* 7. *c. infames.* §. *eſt autem*.

## *Advocati qui eſſe poſſint, & poſtulare.*

Advocatus adverſus eum, pro quo antea poſtulavit, in eadem cauſa poſtulare quis prohibetur: niſi cum antea contra patrem pupilli poſtulaſſet, poſtea tutor filii factus ratione ſui officii pro pupillo poſtulet, 3. *qu.* 7. *c. infames.* §. *ſi contra*.

Advocatus fiſci contra fiſcum poſtulare non prohibetur, excepta cauſa, in qua fiſci advocatus fuit, *d. c. infames.* §. *quamvis illi*.

Qui cum Beſtiis pugnavit, vel operas ſuas, ut cum beſtiis pugnaret, locavit, prohibetur, *d. c. infames.* §. *ſimiliter. verſ. vel qui operas*.

Clerici & Monachi poſtulare prohibentur, 5. *q.* 3. *cap. ult. item De poſtulando. c.* 1. *c. ex parte* 2. *& c. ult.* Niſi propriam cauſam perſequantur, *d. c.* 1. *verſ. niſi propriam cauſam. d. c. ult. verſ. niſi pro ſe ipſo.* item niſi Eccleſiæ cauſam defendam, *d. c.* 1. *verſ. vel Eccleſia ſua. & dict. cap. ult. verſ. vel Eccleſia ſua.* item niſi cauſam conjuncti defendant *d. c. ult. verſ. pro perſonis conjunctis.* item niſi miſerabilium cauſam defendant, *d. c. ult. verſ aut miſerabilibus item diſtinct.* 87. *c.* 1. *cum cap. ſeq.* denique niſi in judicio publico, 5. *q.* 3. *cap ult. verſ. excepto publico*.

Cæcus advocatus eſſe nequit, 4. *qu.* 7. *infames.* §. *nam ut præmiſimus. verſ. vel propter caſum*.

Exceptione poſtulans, a poſtulatione ſubmovetur, *d* §. *qui adverſus ea*.

Excommunicati poſtulare non poſſunt, *c. intelleximus*, 7. *de judiciis. c. decernimus*, 8. *de ſent. excom. in* 6.

Fœmina poſtulare non poteſt, *d. c. infames.* §. *alii prohibentur. c.* 2. *de judiciis*, *in* 6. Niſi fœmina pro ſe velit poſtulare, quæ exceptio non habet locum, ſi monialis pro ſe velit poſtulare, *d c.* 2. §. *cæterum fœminæ. c. unic.* §. *porro moniales*, *de ſtatu regularium*, *in* 6.

Hæretici poſtulare non poſſunt, *de pœnitentiis*, *diſt.* 1. *c.* 1. *nemo vel in foro*.

Honoratis urbis Romæ poſtulare permittitur, 3. *qu.* 7. *c. infames.* §. *apud urbem.*

Infamibus poſtulare prohibitum, *d. c. infames*, *in pr. & alii prohibentur. verſ. vel propter notam*. Niſi infamis pro ſe non pro aliis velit poſtulare, *dict. cap. infames.* §. *alii enim omnes.* item niſi pro patente, patrono, liberis, fratre & aliis hujuſmodi perſonis conjunctis poſtulare velit, *dict.* §. *alii enim omnes verſ. & pro perſonis. & d. c. infames.* §. *permittitur.* denique niſi infamis in integrum ſit reſtitutus, *dict.* §. *alii enim omnes verſ. niſi in integrum reſtitutionem*.

Minoribus ſeptemdecim annorum poſtulare interdictum, *d. c. infames.* §. *nam ut præmiſimus.* Quod extenditur ad minores viginti quinque annis, *cap. qui generaliter*, 5. §. *fin. de procuratorib. in* 6. ſed fallit in cauſis beneficialibus & cæteris ſpiritualibus, in quibus majori quatuordecim annis poſtulare permittitur, *c. ult. de jud. in* 6.

Monachus advocatus eſſe non poteſt. *V. de ſupra eod. in Cler.*

Moniali ne pro ſe quidem poſtulare permittitur. *Vide ſupra eodem*, *Fœmina*.

Qui procuratorem dedit ob id poſtulare, & cauſæ ſuæ adeſſe non prohibetur, *c.* 2. *in fin de proc. in* 6.

Prohibitus poſtulare advocatus eſſe poteſt pro ſe, non pro aliis, *d. c. infames* §. *his perſonis.* item ſi non ſponte, ſed neceſſario fungantur officio, *d. c. infames.* §. *his perſonis. verſ. niſi forte. &* §. *omnes.* item pro parente, patrono aliiſque ſimilibus perſonis poſtulare poteſt, *dict. c. inſanus* §. *permittitur. &* §. *nurus.* Fallit tamen, ſi affines pro quibus poſtulare permittitur, eſſe deſierint, *d. c. infames.* §. *adfinitates.* alias ſi prohibitus poſtulare contra fecerit, pœna poſtulanti ſtatuta eſt, *de pœn. diſt.* 1. *c. quicunque*.

Surdo poſtulare prohibitum, *d.* §. *nam ut præmiſimus.*

## *Officia Advocatorum & Jura.*

Advocati ne cui patrocinium denegent, cavetur, 3. *q.* 7. *d. cap. infames.* §. *ſi quis vero commonitus*.

Honoraria exigere & accipere advocati non prohibentur: quod fallit in Clericis advocatis, 15. *qu.* 2. *in pr. cum cap. ſequente*.

Paciſci cum cliente non debent advocati, *d. c. infames. d.* §. *præterea* Ne de quota litis paciſcantur, *d. cap. infames.* §. *arceantur etiam*.

Ut ratione, non probris certent, cavetur, *d. cap. infames. d* §. *ſi quis adeo*.

Ne ex induſtria litem protrahant, cavetur, *dict. cap. infames.* §. *præterea non licet*, *in fine*.

Advocati & Procuratores jurabunt, quod injuſtam cauſam non ſuſcipient, nec fovebunt, & in cauſa quacunque non plus accipient, quam 20. libras Turon. *c. procurator*, 20. *de poſtulat. Gregor. in Novell. cap.* 1. Pœna facientis contrarium eſt hæc: Receptor punitur reſtitutione & officii privatione, advocati per triennium, procuratores puniuntur in perpetuum, *Gregor.*

Advocatus non habentibus dandus, *c.* 1. *de officio Judicis*, 3. *qu.* 7. *c. infames.* §. *ſi vero in uno. &* §. *ſi quis autem*.

ÆQUITAS Mater juſtitiæ, 25. *quaſtion.* 2. *cap.* 26.

ÆTAS

UNED

ÆTAS ſi quem ſeniorem faciat non vita, graviter increpandus eſt, 2. q. 7. cap. 28.

AFFECTUS non ſufficit, niſi ſequatur effectus, ubi ex neceſſitate opus eſt facto, c. 1. de eo, qui mitt. in poſſ. rei ſerv.

Affectus malus culpatur, licet non ſequatur effectus, c. adoleſcens, de ſpon.

AFFINITAS contrahitur per coitum fornicarium, can. per tuas, de probat.

Affinitas nulla eſt inter conſanguineos viri & uxoris, c. quod ſuper his, de conſang. & affinit.

Affinitas ſuperveniens ſponſalia futura ſolvit, cap. ſuper eo, de conſang. & affinit.

Affinitas cauſata ex copula illicita, rumpit ſponſalia præcedentia, & privat facultate contrahendi matrimonium, c. ex literis, de eo qui cognov. conſang. uxor.

Affinitas iniqua non nocet ignoranti, cap. 2. & 11. eod.

Affinitas prohibet abſtinere a conſanguineis uxoris, ſicut a propriis, c. 1. de conſang. & affin.

Affinitatis tertium genus hodie ſublatum eſt, cap. non debet, eod.

Affinitate non obſtante, permittitur neophytis converſis, ut ſtent cum relictis fratrum ſuorum, ſed non permittitur poſtea de novo contrahere cum illis, c. Deus, qui, de divort.

AFFLICTIO non eſt addenda afflicto, c. ex parte, c. de Clerico ægrotante. Ne flagellatis, 7. quæſtion. 1. c. 2.

AGERE non poteſt, qui exceptione vel replicatione impeditur, c. 3. de except.

ALEÆ & taxillorum ludis non ludant, & nec interſint Clerici, c. Clerici offic. de vit. & honeſt. Cler.

### *De Alienatione rerum Eccleſiaſticarum.*

Alienationis verbum continet conceſſionem, donationem, & permutationem, cap. nulli liceat, de reb. Eccleſ. alien. vel non.

ALIENATIO rerum Eccleſiaſticarum regulariter prohibetur, cap. nulli liceat, 5. cap. ſi quis, 6 de rebus Eccleſiæ alienandis. extravag. comm. unica, eod. tit. c. fraternitatem, 2. de donationibus. c. ut commutationes, 2. de rerum permut. c. 1. c. cum nos, 3. & c. tua nuper. 8. de his quæ fiunt a Prælato. cap. hoc conſultiſſimo, 2. d. rebus Eccleſiæ non alienandis, in 6. 10. quæſt. 2. in princ. cum c. ſequente, 12. q. 2. in princ. cap. Apoſtolicos. cap. quiſquis. c. non liceat. c indigne. c. Vulteranæ. cap. ſtatuimus. cap. Epiſcopus. verſ. ſi quid de Eccleſia. c. diaconi c. quicquid c. alienationes. c. Abbatibus. c. ſi qua de. c. precaria. c. ſicut. §. his omnibus. c. placuit. c. ſine exceptione, in princ. & §. Epiſcopus. 16. qu. 1. c. quia juxta. c. poſſeſſiones, 17. qu. 4. c. 1. ratio, 18. qu. 2. cap. quum ſit, in princ. 10 qu. 2. cap. ea enim.

### *Qui res Eccleſiaſticas alienare poſſint.*

Laicus alienare quandoque poteſt, ut ſi Laicus decimas, quas ab una Eccleſia habet, alii Eccleſiæ donaverit, c. cum Apoſtolica, 7. eod. tit. item ſi Laicus jus ſuum patronatus, quod in Eccleſia habet, eidem vel alii Eccleſiæ contulerit, cap. 1. in princ. de jure patronat. in 6.

Ne Papa quidem alienare poteſt 12. q. 2. non liceat Papæ.

Prælatus alienare poteſt, ſi alienans de ſuis rebus tantum det Eccleſiæ, quantum eſt in re alienata, 12. qu. 2. c. ſi quis qualibet & 12. quæſt. 5. c. ſi Epiſcop.

### *Alienatio Eccleſiaſticarum rerum permittitur, & quarum.*

Si Ædes ruinoſæ, aut deſtructæ alienentur. Quod probatur certo modo, 10. quæſt. 2. cap. hoc. jus. §. ſi quas vero.

Feudum quoque Eccleſiaſticum concedi poteſt, de quo antea quis inveſtitus eſt, cap. per tuas, 5. de donationibus, item ſi feudum apertum alii rurſus in feudum concedatur, cap. ex parte, 2. de feudis.

Inutile alienari poteſt, ut ſi res alienata inutilis ſit, & multis præſtationibus onerata, cap. ut ſuper, 8. §. fin. 10. qu. 2. c. hoc jus. §. prædium. c. hujuſmodi, §. fin. 12. quæſt. 2. c. non liceat Papæ. verſ. niſi tantummodo. c. ſine exceptione. §. fin. c. terrulas. cum cap. ſeq. injuſtum. verſ. cum canonica.

Res ad menſam Prælati & Capituli pertinens, alienari non poteſt, c. ut ſuper, 8. & c. poſſeſſiones, 10. in princ. de rebus Eccleſiæ alienandis. Niſi cum quis juramento præſtitiſſet de non alienandis rebus ad menſam ſuam pertinentibus, nonnullas res mobiles ad menſam pertinentes, vel de quibus dubitatur, an ad menſam pertineant, alienaverit. c. ut ſuper, 8 de rebus Eccleſiæ alienandis.

Mobilia aliquando alienari poſſunt, ſed hæc ſententia patitur multas exceptiones: nam alienari prohibentur mancipia, vel coloni adſcriptii: certo tamen modo, c. mancipia, 3. & cap. injuſtum, 4. de rerum permut. 10. q 2. 1. 12. q. 2. c. injuſtum. item vaſa ſacra, veſtes aut alia donaria ad religionem neceſſaria, dict. c. 1. verſ. vel vaſa, item 22. q. 2. c. Auguſtino c. Apoſtol. item extravag. comm. unica, in pr. verſ. & pretioſa mobilia, de reb. Eccleſ. non alien.

Modica res alienari poteſt, c. cæterum, 1. de donationibus.

Monaſterium quomodo alienari poſſit, 16. q. 1. c. nemini.

Pignori obligatum alienari non poteſt, d. extravag. unica, in pr. verſic. hypothecam. Niſi ſacra vaſa, veſtes aut alia donaria ad religionem neceſſaria pignori data ſint, c. 1. de pignoribus quæ exceptio vera eſt, ſi neceſſitas urſerit, d. c. 1. verſ. niſi juſtiſſima neceſſitate. alias ſi pro alieno debito res Eccleſiaſtica pignori ſit obligata, non poteſt alienari, cap. ſi quorundam, 2. de ſolutionibus.

Remotam rem alienare licet, d. cap. terrulas. verſ. aut longe poſitas.

Uſusfructus tantum rei Eccleſiaſticæ alienari poteſt, 10. q. 2. c. ſi œconomus. cum c. ſequente. quod fallit Clemen. 1. de rebus Eccleſiæ non alienandis.

### *In quos Alienatio permittatur, vel non.*

Si diſpenſatoribus Eccleſiarum Liberiſve eorum, Cognatis vel Affinibus alienatio ſit facta, non valet, c. cum Clerici, 11. de cenſibus, 10. q. 2. c. hujuſmodi. §. quibuſcunque, 16. quæſtion. 1. c. in canonibus. §. generaliter.

Si peregrinis Neceſſitate exigente largitio ſit facta, valet, 16. q. 1. c. poſſeſſiones. & cap. ult. in pr.

Servo Eccleſiæ ſi quid Epiſcopus a ſe manumiſſo donaverit, valet. Quod probatur & diſtinguitur, d. q. 2 ſi quos de ſervis.

### *Ob quas cauſas permittatur.*

Ob Æs alienum urgens res Eccleſiaſtica poteſt alienari. Quod probatur certo modo, 10. q. 2. cap. hoc. jus, in pr. 17. q. 4. cap. nullus res.

In Alimoniam pauperum alienatio valet, 12. q. 2. cap. gloria c. aurum.

In Fabricam Eccleſiæ donatio facta valet. Quod probatur & diſtinguitur, 16. q. 4. cap. queſti ſunt.

Si miſerationis intuitu ſervi Eccleſiæ manumittantur, valet manumiſſio, 12. q. 2. cap. cum redemptor.

Propter Redemptionem captivorum res Eccleſiæ alienari, valet, 10. q. 2. cap. 1. in fine. 12. q. 2. cap. Apoſt. in pr. verſ. excepta cauſa. cap. & ſarorum c. ſicut omnino. c. aurum. ut & propter redemptionem terræ ſanctæ, c. ult. §. fin. de voto.

Item ſi Religionis intuitu res Eccleſiaſtica monaſterio alienetur, valet, 12. qu. 2. ſi Epiſcopus. c. ult. & qu. 5. quia, Joannes. 16. qu. 1. c. poſſeſſiones, verſ. aut monaſteriis. quod fallit ſi id quod religionis intuitu alienatur, quinquageſimam vel centeſimam partem rerum Eccleſiæ exceſſerit, 12. qu. 2 c. pen.

Si pro remuneratione obſequii datum ſit, valet, d. qu. 2. c. quicunque. c. Eccleſiaſticis, 16. qu. 1. c. poſſeſſiones, verſ. niſi forte. Niſi in perpetuum pro remuneratione res immobilis data ſit, d. c. poſſeſſiones. verſ. ſic tamen ut hæc. & d. q. 1. c. præd. §. illud autem.



UNED

## *Quibus modis permittatur, vel non.*

Donatione, vide ſupra eod. in loco comm. In quos.

In Emphyteuſin dando res Eccleſiaſtica alienari poteſt certo modo, 10. q.2. cap. hoc jus. c. perpetua. Contradicit, c. nulli liceat, 5. §. alienationis. verſ. & emphyteuticum perpetuum. c. ad audientiam, 9. le re‑us Eccleſiæ alienandis. c. hoc conſult. 2. §. non concedendo. eod. tit. in 6 extravag. comm. unica, in princ. verſ. nec non infeudationem, eod. tit. Contradicit item 10. qu. .. c. de precariis. admittitur tamen in terra non fertili & de ſylvis extirpata, c. ad aures. 7. d. tit. Item admittitur in rebus ſolitis in emphyteuſin concedi, verſ. nec non infeudationem. ſi tamen emphyteuta biennio continuo non ſolverit canonem: hoc caſu emphyteuſis poteſt revocari, d. §. perpetua verſ. qui rem. item ſi emphyteuta rem fecerit deteriorem: nam & tunc revocari poteſt, d. §. perpetua verſ. qui rem fecerit.

Locari poteſt res Eccleſiaſtica ad tempus, c. veſtra, 2. de locato & conducto. Quod coarctatur in triennium, extravagant. comm. unica, in pr. verſ. locationem & conductionem, de rebus Eccleſiæ non alienandis. item Eccleſiæ laicis locari non poſſunt, cap. ſecundum, 6. in fin. ne Clerici vel Monachi ſecularibus negotiis.

Permutatione quoque res Eccleſiaſtica alienari poteſt, c. 1. de rebus Eccleſiæ alienandis. c. ad. qu. 6. de rerum permut. 10. quæſt. 2. hoc jus. §. ſibi invicem. quod etiam verum eſt, ſi Imperio vel Imperatori res Eccleſiaſtica ſit permutata, cap. 1. de rerum permut. 10. q. 2. c. hoc jus. §. ſed & permutare. non tamen ſpirituale cum temporali permutari poteſt, cap. ult. de rerum permut.

Si longi temporis præſcriptione alienatio ſit firmata, non valet, d. §. contractus autem. verſ. nec præſcribendi etiam.

Reſtitutione rei oblatæ ei, quem profeſſionis pœnituit, ſeu alias beneficio privatur, res alienari poteſt, 17. qu. 4. c. hanc ergo. §. ſed notandum. & c. quod ad te, 3. §. fin. de Clericis conjug. quod etiam verum eſt, ſi oblata ei, qui poſtea filios eſt ſortitus reſtituantur, 17. q. 4. c. ult. §. quam laudabile.

Si Clericis in ſtipendium datum ſit, valet, 12. qu. 2. c. ſæpe ſit.

Per tranſactionem res Eccleſiaſtica alienari poteſt, cap. ſtatuimus, 2. c. contingit, 3. de tranſactionibus. Niſi ſine conſenſu Prælati vel ſuperioris facta ſit tranſactio, d. c. 2. verſ. de aſſenſu Epiſcopi. c. veniens, 8. eod. tit. ipſe tamen tranſigens dum vivit, nihilominus obligatur, d. c. 8. verſ. ne pacta inter alios. c. de cætero, 5 eod. ult. item Clerici de beneficio inter ſe tranſigere non poſſunt, cap. conſtitutus, 4. d. tit. c. cum pridem, 4. de pactis. c. non ſine, 2. de arbitris mediatori tamen tranſactio iſta nocet, c. ex literis, 6. de tranſactionibus.

Gratis, nullo dato vel promiſſo, tranſactio de beneficio facta valet, c. ſuper eo, 7. eod. tit.

De jure patronatus aliquo accepto non valet tranſactio, c. præterea, 9 d. tit.

Non valet, ſi de ſubjectione ſpirituali ſit tranſactum, c. præterea, 10. d. tit.

## *Forma Alienationis & quemadmodum ea fieri debeat.*

Si Eccleſiæ conditio per alienationem Melior ſit facta, valet alienatio, 32. q. 2. cap. ſicut Eccleſia. §. fin. c. ſine exceptione.

Item ſi cum Conſenſu Capituli & ſolenni Decreto interveniente facta ſit alienatio, cap. paſtoralis, 7. §. fin. de donationibus, 10. qu. 2. c. hujuſmodi. §. quod ſi neceſſitas. 17. qu. 4. nullus res.

Item ſi Capitulum ſciens alienationi non contradixerit, cap. continebatur, 2. de iis quæ fiunt a Prælatis. alias ſi ſine Conſenſu Capituli, & ſolenni decreto non interveniente, facta ſit alienatio, non valet, c. hoc conſultiſſ. 2. in princ. verſic. & caſibus a jure permiſſis, 2 §. contractus autem, de rebus Eccleſ. non alien. in 6. uti quoque ſit ſine Conſenſu Prælati alienatio ſit facta, c. præterea, 8. & c. cum Clerici, 11. de cenſib. 17. q. 4. c. in venditionibus, in pr. quod tamen fallit, in c. 3. in pr. de jure patronatus, in 6. denique ſi ſede vacante nullo defenſore conſtituto alienatio facta ſit, non valet, c. 1. de rebus Eccleſiæ non alienand. in 6.

Si Epiſcopus ſolus alienationi conſenſerit, non valet, 17. q. 4 c. in venditionib. §. etiamſi.

Si Conſuetudo vel Statutum loci alienationem permittat, valet. Quod probatur certo modo, d. c. 3. verſ. & illius terræ conſuetudo. Niſi conſtitutio loci laicorum ſit, c. ult. de rebus Eccleſiæ alienandis. Contradicit c. ſine exceptione, 12. quæſt. 2.

Etiamſi alienatio Juramento ſit firmata, non valet tamen, c. hoc conſultiſſimo, 2. §. contractus autem, de rebus Eccleſ. non alienand. in 6.

Neque Juſſu quidem Imperatoris alienatio fieri poteſt, 23. q. 8. c. convenior. Niſi res alienata ab Imperat. ad Eccleſiam fuerit profecta, 10. q. 2. c. hoc jus, in pr. videtur tamen rei Eccleſiaſticæ alienatio valere, ſi Princeps aliquis ſecularis res Eccleſiæ alienaverit, c. qui res. 2. de reb. Eccleſ. non alien. 1. q. 2 c. de rebus.

Si Papa permiſerit & confirmaverit alienationem, 12. q. 5. c. quia Joannes.

Si Capitulum alienationem poſtea ratam habuerit, c. cum nos, 3. in fin. eod. tit.

Si res Eccleſiaſtica licite alienata eſt, is cui ea eſt alienata, eam ultra debitum & naturam contractus uſurpare non debet, c. hoc conſultiſſimo, 2. §. ex contractib. de reb. Eccleſ. non alienand. in 6.

De evictione præſtanda ei, cui res alienata fuit evicta, cavetur, c. ad audientiam, 9. §. fin. de rebus. Eccleſ. alien. 10. q 2. c. hoc jus. § qui vero. verſ. ſed adverſus eum, 12. qu. 2. c. Vulterana. §. ſit emptoribus.

De re alienata vindicanda ſeu reſtituenda, 10. quæſt. 2. c. ult. q 2 monemus, in fin. c. quiſquis, §. fin.

Quilibet ex Clero rem repetere poteſt, d. c. ſi quis Presbyterum, 6. § fin.

Alienatio rei Eccleſiæ licet non valeat, tamen alienans eam retractare non poteſt, c. inter dilectos, 8. de donation.

ALIUS poteſt pro me, quod per me non poſſum; tamen melius per me facerem, cap. quia propter, de elect.

Inter alios res acta aliis non præjudicat, cap. inter dilectos, de fid. inſtrum.

ALTARE non magnam habens fracturam, nec tabula mota, non debet reconſecrari, cap. ligneis, de conſ. Eccleſ.

Altare non reconſecrantur, ſi aliquid addatur non conſecratum: quia ſacrum trahit ad ſe non ſacrum, c. quod in dubiis, de conſ. Eccleſ.

Altare, ad cujus honorem Eccleſia eſt conſecrata, ſi mota eſt menſa ſuperior, cum Eccleſia reconſecratur, c. propoſuiſti, de conſ. Eccleſ.

Altaris reconſecratio non cogit Eccleſiam reconſecrari, c. quod in dubiis, eod. tit.

Altaria plura poteſt Epiſcopus ſimul una die conſecrare, c. cum ſis, eod. tit.

Altaria ſine permiſſu Epiſcopi non ſunt erigenda, de conſ. diſt. 1. nullus Presbyter.

Altaria ſuperflua ſunt deſtruenda, d. diſt. 1. cap. Eccleſ. in ſn. Ut & ea quæ ſine Sanctorum reliquiis ſunt inſtituta, d. diſt. placuit.

AMISSIS, Quibus modis acquirimus, iiſdem in contrarium actis amittimus, c. 1. de R. J.

ANCILLA, ſi noſcitur, poſt contractum matrimonium repudiari poteſt, niſi ipſam cognoverit poſtquam ſcivit. cap. propoſuit, de conjug. ſerv.

de ANIMA, Clement. 1. §. porro doctrinam, de ſumma trinitate, 32. quæſt. 2. cap. quod vero. §. hic de anima c. Moyſes. de pœnitent. diſt. 1. c. reſuſcitatus, diſt. 2. c. illa anima.

ANIMUS, Diverſitatem corporum diverſitas ſequitur animorum, c. quia diverſitatem, 5. in princ. de conceſſione

ceſſione

*ceſſione prabenda.*

ANNULIS non utantur Clerici, niſi quibus competit ex officio, *c. Clerici, de vita & honeſt. Cleric.*

Per Annulum poteſt Epiſcopus Clericum inveſtire, *cap. cum olim, de ſent. & re judic.*

Annulus delatus ſignum eſt matrimonii contracti, *c. illud quoque, de præſumpt.*

ANTEQUAM dictio non ſemper implicat, *cap. quod dicitur, 4. de verbor. ſignificat.*

de ANTINOMIA concilianda ex cauſa, tempore & loco, *habetur, diſt. 29. in pr. cum tribus cc. ſeq. diſt. 30. in pr. diſt. 31. c. ſi laicus. §. quod autem. cum. c. ſeq. diſt. 31. in pr. cum. c. ſeq. & c. penult. §. ſi quis igitur.*

Antinomiæ canonum ita conciliantur, quod ejus concilii ſententia tenenda eſt, cujus antiquior & major eſt authoritas, *diſt. 50. c. domino. §. in fine autem, 33. q. 2. c. hoc ipſum. §. in fine autem.* cæteras leges videto, *diſt. 19. c. in canonicis, diſt. 20. c. 1. cum c. ſeq. 11. q. 3. c. qui reſiſtit.*

ANTISTES, *diſt. 21. cap. Cleros. §. antiſtes.*

de APOSTATIS coercendis, *cap. a nobis. §. de apoſtatis.*

## DE APPELLATIONIBUS.

Appellationis uſus, *2. qu. 6. in princ. cum c. ſeq. & c. cum ſpeciali, de Appellat.*

Appellatio non excuſat aliquem a perjurio, *cap. brevi, de jurejurando.*

Appellatio non tuetur aliquem in notorio delicto, *cap. qua not. de appellat.*

Appellatio admittitur in parvis, ſicut in magnis, *ibid.*

Appellatio fraudulenter facta non valet, *c. ſuggeſtum, eodem titulo.*

Appellatione eximitur quis a poteſtate ſui ordinarii, *c. directe, eod. tit.*

Appellatio generalis non admittitur, *c. 2. eod. tit.*

Appellatio ante litis ingreſſum dicitur provocatio, non appellatio, *c. cum ſit Romana, & c. conſtitutus, eod. tit.*

Appellationi in dubio deferendum eſt, *cap. ſacro approbante, de ſent. excommun.*

Appellationi alterius qui non defert, nec ſuæ deferendum eſt, *c. an ſit, de appellat.*

Appellatione partis adverſæ non obſtante, abſolvitur quis, cautione præſtita de juſtitiæ obtemperando, *cap. qua fronte, de appellation.*

Appellatio unius valet omnibus, cum plures gravantur, *c. una ſententia, de appell.*

Appellatio non tenet in his, quæ dilationem non capiunt, *c. qua fronte, eod. tit.*

Appellatio in omnibus articulis commiſſionis interdicta intelligitur, ſi in uno interdicatur articulo, *c. ſecundo requiris, eod. tit.*

Appellationis articulo prætermiſſo, poteſt coram Judice a quo litigari, non obſtante appellatione, *c. cum teneamur, eod. tit.*

Poſt appellationem delinquens, punitur ab ordinario, non obſtante appellatione, *c. 22. de appell.* Neminem enim tuetur in ſua nequitia appellatio, *c. ad noſtram, eod. tit.*

Appellatio licet ſit remota de principali, appellatur tamen ſuper quæſtione incidente, *c. cum teneamur, eod. tit.*

### *Qui appellare poſſint?*

Alius quam qui condemnatus eſt, vel qui egit, appellare non poteſt, *cap. cum inter. 16. de Elect. 2. q. 6. c. non ſolet, in princ.* Niſi alterius interſit, hic enim ratione ſui intereſſe agere vel appellare non prohibetur *c. ult. §. fin. ut lite pendente nihil innovetur. in 6. cum ſuper 17. de re jud.*

Abſens per contumaciam, ſi condemnatus eſt, non poteſt appellare, *2. q. 6. c. ſunt etiam, 24. q. 3. c. de illicita. §. de conventione.* Fallit ſi ideo non adſuit, quod ante definitivam ſententiam appellaverit, *probatur & diſtinguitur, Clement. 1. de dolo & contumacia.* Item ſi ideo non adſuit, quod dicat ſe libellum Principi dediſſe, & ejus expectare reſponſum: ſed reprobatur hoc, *2. qu. 6. cap. non ſolent.*

Adiens de attentatis poſt appellationem interpoſitam, alium Judicem, quam appellatum, non poteſt appellare, *cap. ſollicitudinem, 54. de appellat.*

Qui admittere noluit antea appellationem ſui adverſarii, in eadem cauſa appellare ipſe non poteſt, *d. c. un. ſit, 42. verſ. quod cum in eo qui. & c. conſtituit, 13. eod. tit. c. bonæ memoriæ, 23. §. dein inquireret, de electione.*

Aperiens acta cauſæ ſigilla violando appellare non poteſt, *cap. cum olim, 33. dict. tit.*

Si appellans poſt appellationem nonnulla contra appellationem attentaverit, ad appellationem non admittitur, *c. an ſit, 42. de appellat.*

Ne Clericus laicum Judicem appellet, *21. q. 5. in princ. cum ſeq.*

Confeſſus appellare non poteſt, vel ſi cauſa ſit manifeſta, *c. cum ſpecial. 61. §. porro. de appellat. cap. Romana, 3. §. ſi autem poſt. eod. tit. in 6. c. 2. q. 6. cap. quicunque.*

Qui deſeruit antea appellationem ab alio gravamine factam, nihilominus appellare poteſt, *cap. directa, 39. de appellat.*

Qui Juravit quod ſententiæ velit ſtare, appellare non poteſt, *cap. qu. 21. de appellationib.* Niſi ſententia excedat limites juramenti & licitæ promiſſionis, *cap. ad hæc, 20.*

Laicus Eccleſiaſticum Judicem appellare poteſt, *2. qu. 6. c. omnis.*

Niſi Officialis a ſuo Judice ob male geſtum officium fuerit condemnatus, non poteſt appellare, *3. q. 6. c. ei qui appellat. §. nulli quoque.*

Qui Renunciavit appellationi, vel litem coram Judice, a quo appellaverat, poſtea proſecutus eſt, non poteſt appellare, *c. gratum, 20. §. fin. de offic. deleg.*

Appellare quis poteſt pro parochianis, *cap. ad audientiam, de appellat.*

Appellare non poteſt de crimine notorio accuſatus, *c. licet, de offic. jud. ordin.* Ut nec is cui indicitur purgatio ſuper infamia, niſi modus excedatur, *cap. quod ad conſultationem, de ſent. & re jud.*

### *A quibus, ad quos appellare liceat, vel non.*

Ab arbitris delegatorum a Papa judicum Papa appellatur, *cap. ab arbitris, 11. de offic. deleg. in 6.* Niſi ex compromiſſo Arbiter ſumptus pronunciaverit. Quod probatur & diſtinguitur, *2. q 6. c. a judicibus. cum c. ſeq. c. ſi quis Epiſcop. §. arbitrarii tantum.* Poteſt tamen a compromiſſario appellari: ſi in ordinarium vel delegatum Judicem ſit compromiſſum, *d. c. a judicib. verſic. ab his etſi ut arbitrarii.* item ſi non omnes, in quos eſt compromiſſum, judicaverint, *dict. quæſt. 6. c. ſane ſi ex conſenſu partium.* denique ſi non ſponte, ſed jure cogente in arbitros ſit compromiſſum, *cap. ab arbitris, 11. de offic. deleg. in 6.*

Ab auditore ſeu Subdelegato an provocetur, vide *cap. ſuper, 27. §. verum cum totam. & §. ejus ergo, de offic. deleg.*

A Capitulo ad Epiſcopum appellatur, ſed diſtinguitur, *c. a collat. 11. de appell. in 6.*

A Civili Judice Papa non appellatur, niſi ſit de temporali juriſdictione Eccleſiæ, *c. ſi duob. 7. §. fin. de appellat.*

A Compromiſſariis appellare licet, *vide ſupra eod. ab Arbitris.*

A Concilio Provinciali appellatur Primas, *2. q. 6. c. placuit, 6. q. 4. c. ſi inter, 11. q. 4 c. presbyteri.*

Non tamen ad transmarina Concilia appellatur, *d. c. presbyteri. verſ. ad transmarina. & d. c. placuit. verſ. ad transmarina,* ubi additur exceptio hæc: Niſi Papa appelletur.

A Delegato Judice appellatur Delegans, *c. ſuper quæſtionum, 27. §. fin. de offic. jud. deleg.*

Etiam ſi datus ſit remota appellatione; nimirum ſi fuerit ad ante alii delegata, *c. paſtoralis, 28. §. præterea, de offic. delegati* Vel cum duobus cauſa Delegata eſſet, ne ab iis appelletur, unus alteri ex iis vices ſuas commiſit, *c. ſuper, 27. §. ſi vero, d. tit.*

An ab Epiſcopali liceat appellare, 11. *qu.* 1. *c. omnes itaque, in princ.* Et ordinarie ab Epiſcopo Archiepiſcopus appellatur, *c. Romana, 3. §. debet autem, de appellat. in ſext.* Niſi communi conſenſu comprovincialium Epiſcoporum ſententia ſit lata, *6. q. 4. c. ſi metropolitanus, cum c. ſeq.*

Ab Executore appellare non licet, niſi modum excedat, *c. novit ille, 43. de appellat. c. quod ad conſultationem, 15. §. fin. de re judic. 2. q. 6. c. ult.*

Ad Hæreticum appellare non licet, vel ad eum qui non eſt Fidei catholicæ, *2. q. 6. c. catholicus.*

A judice ita dato, ne ab eo appelletur, appellare non licet, *c. paſtoralis, 53. in princ. de appellat. cap. 1. de reſcriptis.* Niſi ſpecialis aliquis caſus a jure fuerit exceptus, *d. c. 53. verſic. quæ a jure non indulgetur expreſſe.* Et quamvis appellatio executionem ſententiæ hoc caſu non impediat, tamen nihilominus gravamen appellantis per Judicem appellationis poterit emendari, *d. cap. 53. verſ. ſed ſi appellans fuerit.*

Item a tali Judice appellatur, ſi appellans privilegium habeat appellandi. Sed reprobatur, *d. cap. 1. de reſcriptis.*

Item ſi alius, quam cui Judex datus eſt, ob ſuum intereſſe appellet: nam poteſt, *cap. ſuper eod. 15. de officio deleg.*

Item a tali Judice appellari poteſt, ſi ſententia manifeſtam contineat Iniquitatem, *cap. inter cæteras, 9. de re judicata.*

Præterea ſi cum plura eſſent negotia, quibus Judex datus eſt, alia eorum præcedant clauſulam, appellatione remota, alia eam ſequantur: hoc enim caſu clauſula illa ad ſequentia non videtur pertinere, *cap. inquiſitioni, 71. de appellation.* Niſi negotia ſint connexa, *d. cap. 71. verſ. ſi ſunt plura negotia ſe minime contingentia. & cap. ſecund. 41. in princ. eod. tit.* Vel ſi clauſula hæc, Appellatione remota, in fine literarum fuerit repetita: tunc enim a nullo appellare licet, *dict. c. 71. verſ. niſi forte in fine.*

Item adverſus Judicem datum, appellatione remota, recuſatio poteſt objici, *cap. poſtrem. 36. dict. tit.* Ut & exceptio loci non tuti, ſi appellans ad locum non ſatis tutum in jus vocetur, *cap. ex parte, 47. eod. tit.*

Legatus Papæ omiſſo medio adiri vel appellari poteſt, *cap. 1 de officio legati.*

A Metropolitano ad Synodum provocatur, *6. qu. 9. ſi metropolit.*

Ab Officiali generali Epiſcopi non appellatur Epiſcopus, ſed Archiepiſcopus, *cap. non putamus, de conſuetudine, in 6. c. Romana. 3. in pr. de appellat. in 6.*

Ad Papam omiſſo medio appellatur, *2. qu. 6. cap. ſi quis veſtrum. c. omnes. cap. ad Roman. c. ſi quis putaverit. c. ad Roman. cap. ideo huic. c. decreto. c. qui ſe ſcit. c. arguta. c. ſi quis putaverit. c. ideo huic. cap. quoties, 3. qu. 6. c. accuſatus. & de Appellationibus. c. ſi duobus, 7. in princ.* Niſi conſuetudine aliter obſervetur, *c. Romana, 3. §. ab Archidiaconis. verſ. niſi aliud, de appellat. in 6.*

A Primate regionis non appellatur, *6. qu. 4. cap. ſi inter, §. fin.*

A Pari par Judex non appellatur, *2. quæſt. 6. cap. anteriorum, §. illo videlicet.*

A Subdelegato ad priorem delegatum appellatur, ſi delegatus alii non ad ſubdelegantem cauſam ſubdelegaverit, quod probatur ſub conditione, *dict. c. ſuper quæſtionum, 27. §. porro. & §. ſi vero, in fine, de offic. deleg.* Niſi ſubdelegans aliquid ſibi de juriſdictione reſervaverit: hoc enim caſu ſubdelegans eſt appellandus, *d. §. porro. & d. c. 27. in pr. verſ. ipſe namque reſpondit. & §. ejus ergo. & c. cum te conſulente, 18. eod. tit. item c. ſi delegatus, 7. §. fin. eod. tit. in 6.* item & alio caſu a ſubdelegato ad delegantem appellatur, ſi ex tribus delegatis duo vices ſuas non in totum ſubdelegaverint: hoc enim caſu tertio delegato cum duobus ſubdelegatis cognoſcente non ad ſubdelegantem, ſed ad delegantem provocatur, *c. ſi duo, 3. d. tit. de officio delegati, in 6,* Item ſi ſubdelegans excommunicatus vel mortuus ſit, *c. ſi is cui, 10. dict. tit.* vel ſi ſubdelegans negetur habere juriſdictionem: his enim caſibus omiſſo ſubdelegante ad delegantem appellatur, *cap. ſi a ſubdelegato, 14. eod. tit.*

## *A quibus Actibus appellare liceat, vel non.*

Si Apertura teſtamenti conceſſa ſit, non appellatur a tali ſententia, *c. ult. §. ſi quis etiam auſus, de appellat.*

Ab Appellatione non admiſſa provocare licet: ut ſi Metropolitanus a provinciali Epiſcopo appellatus, appellationem ſuſcipere nolit, ad Synodum provocare licet, *6 q. 4. c. ſi metropolitanus.*

A citatione ad locum non tutum licet appellare, etiam contra Judicem datum cum clauſula, appellatione remota, *cap. ex parte, 47. de appell.*

A Correctione regulari non appellandum, niſi modus excedatur, *c. reprehenſibilis. & c. 22. de appellat.*

A criminali ſententia appellatur. *Vide infra eodem in Sententia.*

A Decreto perpetuo non appellatur, *c. 29. de appellat.*

Ab Exiguæ rei ſententia appellatur. *Vide in Sententia, infra eodem.*

Ab Exceptione rejecta appellare licet, ut ſi cui exceptio, ne ultra duas diætas in jus vocetur, auferatur, *c. olim, 7. de exceptionibus.* item ſi Exceptio non ſufficientis mandati vel litis pendentiæ per interlocutoriam ſit rejecta: ab hac enim interlocutoria licet appellare, *cap. ſignificavit, 48. de appellationib.* Item ſi exceptio rei petitæ in libello non deſignatæ per interlocutoriam fuerit rejecta, *c. ſignificantibus, 49 d. tit.* variatum fuit hic a Pontificibus: nam talis exceptio reprobatur, *c. cum ſit, 5. §. ſi vero. c. ſuper eo, 12. in pr. de appellationib. 2. qu. 6. c. qui ſcit, §. fin. c. non ita. & c. ſi quis.* alias admittitur, ſi cauſa rationabilis coram Judice, a quo ante ſententiam appellatur, non fuerit ab appellante expreſſa, *c. ut debitus, 19. de appellationib. c. Romana, 3. §. cum autem, eod. tit. in 6.* Juxta hanc diſtinctionem intelligendum videtur, *c. ultim. de dolo & contumacia, in 6.*

A Fiſcalis negotii ſententia non appellatur, *c. ult. §. quoties etiam, de appell.*

A Gravamine omni appellare non licet, ſi generalis ſit appellatio de omni gravamine, tam præſenti quam futuro, *c. inter cætera, 2. de appellat.* Niſi generalis appellatio reſtricta ſit ad certam cauſam, *cap. conſuluit, 18. eod. tit.*

A Gravamine ſublato non licet appellare, *c. cum ceſſante, 60. eod. tit. & c. ſi a judice, 10. §. fin. eod. tit. in 6.*

Ab Interlocutoria appellare licet, *vide ſupra in eodem in Exception.* exempli gratia, ut ſi Judex quæſtionem habendam interlocutus ſit; ab hac enim interlocutoria poteſt appellari, *dict. cap. non ſolent. §. ante ſententiam.*

A Poſſeſſione ſcripto hæredi decreta non appellatur, *cap. ult. §. ſi quis etiam auſus, de appellat.*

A Poſſeſſione momentanea decreta non appellatur, *2. q. 6. c. ult. §. de poſſeſſ. c. ad hoc, 37. de appellat.*

A Probatione exceptionum adverſus teſtes denegata, appellare licet, *c. ex parte, 7. de teſtibus.*

A Sententia conditionali appellatur, *cap. præterea, 40. de appellationib.*

A Sententia medio tempore a Papa confirmata appellatur, *c. bonæ memoriæ, 3. de confirmat. utili.*

A Sententia in cauſa criminali appellare licet, *2. q. 6. c. liceat. item. c. cum ſit Romana, 5. §. fin. de appellat.*

A Sententia exiguæ cauſæ permiſſa appellatur, *cap. de appellationibus, 11. de appellationibus.*



UNED

A Sententia in cauſa fiſci vel tributariæ functionis non appellatur, *d. c. ult. §. quoties etiam, de appell.*

A Sententia interdicti non appellatur, *cap. ad hoc, 37. cap. de appell.*

Appellari non poteſt contra convenientem, qui impetrat literas appellatione remota, *cap. prudentiam, de mutat. pet.*

## *De Forma Appellationis, quoties & quemadmodum appellandum.*

Bis in eadem cauſa, *c. ſua nobis, 65. de appellat. 2 qu. 6. c. ſi autem, in princ. & §. unde in ſeptimo.*

Contra id quod perpetuo Edicto decretum eſt, non appellatur, *c. conſuluit, 29. de appell.*

De Forma appellandi agitur, *2. qu. 6. c. poſt appellationem, § forma vero.*

Fruſtratorie appellare prohibitum: quod verum, ſi appellatio manifeſte ſit Fruſtratoria, *c. paſtoralis, 53. in pr. verſ. quod per appellationem, de appellat. 2. q. 6. c. ideo huic. §. fin. c. qui ſcit, §. patet ergo. c. quicunque.*

Gradatim appellandum eſt, non omiſſo medio, *c. dilecti, 66. de appell. c. duo ſimul, 9. de officio ordinarii. c. Romana, 3. §. Ab Archidiaconis, de appellat. in 6.*

Coram Majori parte judicum eſt appellandum, *Clement. 1. in pr. de app.*

Contra Regularem diſciplinam, ſeu Correctionem non appellatur, *c. ad noſtram, 3. c. reprehenſibilis, 26. §. nec ſubjecti. & §. fin. c. quia nos, 32. de appell.*

In ſcriptis regulariter eſt appellandum, *2. qu. 6. c. poſt appellationem, §. fin.* niſi quis ipſo die, quo ſententia fertur, apud acta viva voce appellaverit, *2. quaſt. 6. c. ult. §. litigatoribus.*

Tertio in eadem cauſa non licet appellare, *cap. ſua nobis, 65. de app. 2. quaſt. 6. c. ſin autem, in fin. §. unde in ſeptimo.*

Viva voce ne quidem apud acta appellare licet, ſi vel ab interlocutoria vel extraordinario gravamine ad Papam appelletur, *c. 1. in pr. de app. in 6.*

## *Quando appellandum, & quamdiu?*

Ante Sententiam definitivam non appellatur, *2. quaſt. 6. c. non ſolent. §. fin.*

Intra Statutum tempus appellandum eſt, *2. quaſt. 6. c. propter ſuperſluam.* nimirum intra biduum, *2. qu. 6. c. biduum, § palam eſt.* intra quinquendium, *d. quaſt. 6. c. propter ſuperfluam.* item Decendium, *d. q. 6. c. anteriorum, in pr. & c. quod ad conſultationem, 15. de re judicata.*

Plane quæ de tempore, quo biduum aut triduum currere incipiebat, jure antiquo ſtatuta ſunt, ad jus novum decem dierum transferri poſſunt. Biduum autem & triduum illud currere incipiebat ex die latæ ſententiæ, *2. quaſt. 6. c. biduum in pr.* ſi ſententia ſub conditione lata ſit, *d. c. biduum. §. 1. & dict. §. biduum. verſic. quid ergo. item c. præterea requiſiti, 40. de app.*

Item fallit, ſi Judex ſententiam Imperatori tranſmiſerit confirmandam, vel ut locus pœnæ aſſignetur: hoc enim caſu etiam a reſcripto Principis tempus appellandi currit, *dict. c. biduum. §. ſi quem in inſulam.* item fallit ſi extrajudicialis ſit cauſa, in qua appellatur. Sed reprobatur, *c. concertationi, 8. de app. in 6.*

Item fallit ſi non per appellationem, ſed per aliud juris remedium gravamen proponatur, *dict. c. 8. verſic. ſed ſi per contradictionem.*

Denique fallit ſi in ſententia præcipiatur aliquid fieri intra certum terminum: hoc enim caſu videtur non niſi termino elapſo decendium currere. Sed reprobatur, *c. quod ad conſultationem, 15. de re judicata.*

Item ſi appellans intra ſtatutum tempus dimiſſorias literas non petierit vel impetraverit, aut iter ad Judicem appellationis non arripuerit, appellatio non valet, *dict. c. propter ſuperfluam, & dict. quaſt 6. c. ab eo. item Clem. quamvis, 2. de appell.* quod fallit, ſi non per appellantem, ſed per Judicem ſteterit, quo minus ſuo tempore Apoſtoli dati ſint, *dict. quaſt. 7. c. poſt appellationem. §. ſufficit. d. Clement. quamvis, 2. §. quod ſi Judex, & c. ut ſuper, 4. in fine. cap. ab eo, 6. de appellationib. in 6.*

In appellationis termino præfigendo conſideranda, *c. cum ſpeciali, de appell.*

Appellationis proſequendæ annus unus vel duo, ſecundum diſtantiam locorum, & perſonarum & negotiorum qualitatem breviatur, *c. cum ſit Romana, eodem titulo. & c. conſtitutus, ibid.*

Appellari non debet poſt juramentum ad ſtandum Eccleſiæ mandatis. *c. ad hac, eod. tit.*

Appellatio poſt ſententiam excommunicationis latam non tenet, *c. paſtoralis, eod. tit.*

## *Ex quibus Regionibus appellare liceat, vel non?*

Ex Ægyptiaco, tractu vel Lybia appellatur Præfectus Auguſtalis, *2. q. 6. c. anteriorum. §. illud etiam.*

Ex tractu Orientali appellatur Comes Orientis, *d. c. anteriorum. §. Orientalem autem.*

## *De appellante.*

APPELLANS Acta edere & tranſmittere tenetur, *2. q. 6. c. ult. §. judicib. c ult. de probationibus.*

Appellans Apoſtolos ſeu libellos dimiſſorios a priore Judice ad poſteriorem petere debet ac dandi ſunt, *c. 1. in pr. verſic. petat apoſtolos. & cap. ut ſuper. 4. de appellat. in 6. 2. quaſt. 6. c. poſt app. in pr.* Forma Apoſtolorum præſcribitur, *d. c. poſt appell. § forma.*

Cauſam appellationis appellans ante ſententiam reddere Judici, a quo appellatur, tenetur, *c. ut debitus, 59. §. cum autem & c. cum ſpeciali, 61. §. exceſſu quoque. de appellationibus. c. 1. in princ. verſic. cauſam appellationis, eodem titulo in 6.* ſed ea Judici, a quo appellatum eſt, probanda non eſt, *cap. ſi a judice, 10. de appellationib. in 6.* neque Judex a quo appellationem denegare debet, *quaſt. 6. c. appellantem. & c. ult. §. ſimiliter. item de app. c. de priore, 31.*

Coram Judice appellationis cauſa probanda eſt, quod ſcilicet exceptio legitima non ſolum fuerit oppoſita, ſed etiam non admiſſa: ideoque appellatio interpoſita, *c. dilecto, 63. c. interpoſita, 70. in principio, de appellationibus.* & cauſa appellationis ab initio expreſſa mutari non poteſt, aliaque in proſecutione appellationis allegari, *Cl. appellanti, 5. eod. tit.*

Nec Appellatio a Judice appellationis recipienda, nec remittenda, *cap. interpoſita, 70. § eidem, de appellationibus, 1. q. 6. c. placitis. ult. §. fin.*

Contumacia appellantis punienda, *c. reprehenſibilis, 26. §. ſi autem in quocunque, de appellationibus. c. 1. §. quod ſi appellationibus. c. 1. §. quod ſi appellator. eodem titulo in 6.* Appellans Judicem appellatum mutare, & errorem ſuum corrigere poteſt, *1. quaſtion. 6. c. ultim. §. ſi vero bis qui.*

Appellatio appellato inſinuanda, *dict. Clementin. 1. verſic. eſt tamen appellatio. & Clementin. cauſam, 3. de electione.*

Iter ad Judicem appellationis intra certum tempus arripiendum, *2. quaſt 6. c. propter, verſicul. & in his ipſis.*

Proſequenda appellatio quando proſequenda, & quamdiu, item per quos & quibus, dicetur infra.

Probare quæ licet in cauſa appellationis, *Clementin. 1. de cauſa poſſeſſion. & proprietatis. Clementin. appellanti, 5. de appellationibus.*

Appellans videtur appellationi renunciaſſe, cum poſtea inducias petit, vel teſtibus nititur, *c. gratum, de offic. deleg.*

Appellans intelligitur, qui iter arripit ad curiam Romanam, *c. bona, de appellation.*



UNED

Appellantes cogendi ſunt a Judice, a quo appellatum eſt ad certum diem proſequi appellationem, vel judicio ſuo parere, *c. conſuluit nos, eodem titulo.*

Appellans injuſte remittitur ad eum, a quo appellavit, niſi fiat ſuper Judicis recuſatione, *cap. cum in Eccleſia, eod. tit.*

Appellans impotens proſequi, poſt biennium proſequi poterit, *c. conſtitutus, eod. tit. & c. ex ratione, ibid.*

Appellans in criminibus manifeſtis non auditur, *cap. cum ſit Romana, eodem titulo.*

Appellans, appellationem ſuam non proſequens, contumax cenſetur, & condemnatur in expenſis, *cap. ſæpe contingit, de appellationib. & c. reprehenſibilis, eod. tit.*

Appellationem non proſequens incidit in juriſdictionem illius a quo appellavit, *c. reprehenſibilis, eod. tit.*

## *De Appellato.*

APPELLATI contumacia punienda, *dict. cap. 1. §. fin. item cap. cum ſpeciali, 61. §. exceſſu quoque. verſic. nullo autem. & cap. interpoſita, 70 §. fin. de appellationibus.*

## *De Appellationis Judice, ejuſque officio.*

Appellationis cauſa remittenda ad Judicem a quo appellatum eſt, ſi conſtiterit male appellatum eſſe, *c. cum in Eccleſia, 38. c. ut debitus, 59. §. cum autem. verſic. etſi minus. c. cum ſpeciali, 61. §. fin. de appellation. c. Romana, 3. §. fin. & c. cum appellation. 5. eod. tit. in 6.* quod fallit ſi cauſa nondum cognita remittatur, *c. accepta, 35. de appellation.* poteſt tamen remitti, ſi partes conſentiant ut remittatur, *dict. c. accepta. verſic. niſi partes conſenſerint.* item ſi appellans cauſam remitti petat, *c. interpoſita, 70. §. ille denique, de appellationibus.* ſecundo fallit, ſi Judex, a quo appellatum eſt, appellationem injuſtam admiſit: tunc enim ad eum remittenda non eſt, *c. cum appellationibus, 5. de appellationibus, in 6.*

Appellatione a definitiva facta, revocari etiam poteſt interlocutoria, licet ab ea non fuerit appellatum, ut probatur & diſtinguitur, *c. ult. de appellat in 6.*

Si conſtiterit bene appellatum eſſe, Judex ad quem appellatum eſt, reſciſſa priore ſententia in cauſa principali procedere poteſt ac debet, *cap. ad probandum, 24. de re judicata. cap. ut debitus, 59. §. cum autem. verſic. alioquin ipſe procedat. & c. cum ſpeciali, 61. §. exceſſu quoque. verſic. appellationis cauſa, de appellationibus.* Niſi exceptio de ultra duas diætas non citando reo, propter quam fuit appellatum, probetur vera: hoc enim caſu quamvis bene appellatum eſſe conſtet, nihilominus tamen cauſa eſt remittenda, *c. olim, 7. de exceptionibus,*

Sententia priori caſſata, non punitur Judex a quo, niſi inimicitia vel pecunia probetur corruptus, *2. qu. 6. cap. hoc etiam.*

Pœna appellantis non obtinentis, *2. qu. 6. c. omnino,* hæc non operatur, ſi appellans ante ſententiam appellationi renuntiaverit, *d. q. 6. c. ult. §. ſi vero is qui.*

Si ad reſidendum in Eccleſia admonitus *appellaverit*, interim alius in locum ejus ſubſtituendus eſt *cap. pervenit, 28. verſic. interim vero, de appellationibus.*

## *Appellatione pendente.*

Appellatione pendente nihil innovandum, eſtque de eo Judici, a quo appellatum eſt, per Judicem appellationis inhibendum: & innovatum ſeu attentatum reſcindendum, *2. quæſt. 6. c. poſt appellationem. §. Ulpianus.* Ejus exemplum proponitur, *3. quæſt. 6. c. accuſatus, verſi. & dum iterato. item de appellationib. c. 1. & c. ad præſentiam, 15. & cap. dilectis, 55 item c. licet, 4. de ſentent. excomm. in 6. & cap. cum olim, 32. de offic. deleg. c. cum tu fili, 16. de teſtib. c. dilecta, 10. de exceptionibus.* Quod verum eſt, ſi etiam antequam Appellatio interpoſita eſt, fuerit innovatum, *c. non ſolum, 7. in princ. de appellat. in 6.* item etiam ſi extrajudicialiter ſit appellatum, *cap. bona, 51. de appellation. in 6.*

## *Appellatione pendente quando aliquid innovari poſſit.*

Ut ſi appellans quoque contra appellationem ſuam vel adverſarii ſui antea factam aliquid novaverit, *c. conſtitutis, 23. de appellationibus, in 6.*

Niſi per ſententiam excommunicatus ad cautelam abſolvatur, *c. qua fronte, 25. d. tit.*

Si appellans appellationem non proſequatur, *cap. ad hæc, 27. cap. pervenit, 28. & cap. cum ſpeciali, 61 §. exceſſu quoque. verſ. quam ſi proſequi, de appellat.*

Si Appellatio aliquo jure non ſubſiſtat. *cap. ult. de dolo & contumacia, in 6. cap. non ſolum, 7. in princ. verſic. exceptis caſibus, de appellation. in 6.*

Si cum ab adverſario dicatur appellationis cauſa injuſta ſeu minus legitima, Judex appellationis, nondum recepta appellatione velut ex cauſa probabili facta, cœperit de cauſæ veritate cognoſcere: tunc enim inhibere non poteſt, *dict. c. Romana. §. quod ſi objiciatur.* quod fallit, ſi a definitiva ſententia appellatum: hoc enim caſu etiam ante receptam appellationem Judex poteſt inhibere, *dict. §. quod ſi objiciatur. verſic. ante ſententiam & d. c. Romana. §. ſi autem poſt.*

Si appellans agat de præbenda ſibi antequam vacaſſet promiſſa: hoc enim caſu ea poteſt alii conferri appellatione non obſtante, *c. relatum, 3. conceſſ. præbendæ.*

Si nondum conſtet, cauſam per appellationem ad Judicem inhibentem eſſe devolutam, tunc ab eo inhibendum non eſt, *c. Roman. 3. §. ſi vero vocatis, de appellat. in 6.*

Deſerta cauſa Appellationis: ut ſi in alia cauſa vel quæſtione procedatur, quam in qua appellatio eſt interpoſita, *c. cum terreamur, 17. & cap. præterea, 22. de appellationibus.* quod fallit, ſi quæſtio in qua non eſt appellatum, ſine ea, in qua appellatum eſt, expediri non poſſit, *c. ſuper eo, 10. dict. tit.* item fallit, ſi propter plura crimina condemnatus, in gravioribus appellavit: hoc enim caſu in aliis minoribus executio ſuſpenditur, *2. q. 6. poſt appellationem. § ſi quis ex pluribus* denique fallit, ſi alterum alterius, ob quod appellatum eſt, ſit acceſſorium, *c. dilect. 15. de appellat.*

Si ab electione a majore parte facta ſit appellatum, *c. 1. & c. ex ore, 3. de his quæ fiunt a majore parte.* item ſi duobus præſentatis, prior repulſus appellaverit: hoc enim caſu alterius inſtitutio, quamvis pendente appellatione facta, valet, *cap. paſtoralis, 29. de jure patronatus.*

Si a ſententia Excommunicationis vel Suſpenſionis ſit appellatum, *c. paſtoralis, 53. §. verum quia. dict. tit. & c. is cui, 20. §. fin. de ſent. excomm. in 6.*

Si poſſeſſore condemnato, fructus rei ſequeſtrentur, *2. quæſt. 6. cap. quoties poſt.*

Si Judex gravamen, ob quod appellatum eſt, revocaverit, *c. ſi a Judice, 10. §. fin. de appellat. in 6.*

Si ab interlocutoria ſit appellatum: hoc enim caſu procedi poteſt, *d. cap. non ſolum, 7. §. illa autem.* Niſi poſtea appellationis cauſam veram eſſe conſtet, *dict. §. illa autem. verſ. donec appellat. cauſam.* item, niſi legitima inhibitione facta innovatum ſit, *d. §. illa autem. verſic. niſi Judex appellationis.*

Si Judex a quo appellatum eſt, jusjurandum præſtiterit de ſententia intra certum tempus exequenda, ſed hoc reprobatur, *cap. venientes, 19. de jurejurando.*

Si in integrum reſtitutione contra ſententiam petita, præſumptio ſit eam malitioſe ad differendam executionem peti: hoc enim caſu executio fieri poteſt, cautione ab adverſario præſtita, *c. ſuſcitata, 6. de in integr. reſtitut.*

Si appellationi ſit renunciatum, *c. ut ſuper, 4. verſic. niſi appellationi, dict. tit.*

Si tertius aliquis pendente appellatione aliquid innovaverit: hic enim de attentatis contra inhibitionem non tenetur, *c. Romana, 3. §. in alium, de appellation. in 6.*

Si tres conformes ſententiæ in eadem cauſa latæ ſint, *Clement. 1. de re judicata.*

*Appella-*

UNED

## *Appellationi affinia remedia.*

Accuſatio & denunciatio perperam electi, *c. conſtitutis, 46. de appellationibus.*

Exceptio, Quod quiſque juris adverſus alium ſtatuit, ut ipſe eodem jure utatur, affine remedium eſt: Niſi ſtatutum jus non habuerit effectum. *De pœnitent. diſt 1. cap. hæc autem verba,*

In integrum reſtitutio adverſus ſententiam etiam affine eſt remedium. Niſi pro libertate judicatum ſit, vel niſi Papa ſententiam dixerit. Quæ tamen exceptio reprobatur, *c. cum ex literis, 5. de in integr. reſtitut.*

Nullitas, de qua Judex qui ſententiam tulit, non executor cognoſcit, *c. de cætero, 5. de re judicata. cap. paſtoralis, 28. §. quia vero ſæpe, de officio delegati.*

ex L. AQUILIA de damno dato actio adverſus dantem competit, *c. ult. in pr. de injuriis.*

Etiamſi per ignorantiam vel imperitiam damnum dederit, *dict. cap. ult. in princ. verſ. aut hæc imperitia.* fallit, ſi actor damnum evitare potuit, *c. damnum, 86. de reg. jur. in 6.*

Si Cauſam & occaſionem damni dedit, de damno dato tenetur. Niſi quis licitum faciens alteri cauſam vel occaſionem damni dedit, *23. q. 5. de occidendis. §. qui vero repelluntur, uſque ad §. fin.* item fallit ſi ne damnum accideret, nihil ex contingentibus omiſit, & ita culpa caret, *c. ult. §. fin. de injuriis.*

Si Domum vel ſuperficiem aliam incenderit, punitur, *cap. ſi quis domum, 6. de injuriis, 23. qu. 8. c. ſi quis membrorum, cum c. ſeq.*

Si quis Foveam fecerit, in quam alienum pecus ceciderit, is qui foveam fecit, de damno dato tenetur, *cap. ſi quis, 2. de injuriis.*

Si fructus alienos immiſſo pecore depavit, de damno dato tenetur, *c. ſi læſerit, 4. d. tit.*

Si Ignem immiſit in alienam ſegetem, de damno dato tenetur, *c. ſi egreſſus, 5. dict. tit.*

Si Liberum hominem vulneravit, punitur, *c. 1. de injuriis, & d. c. ſi quis membrorum, in princ.*

ARBITER is eſt, qui conſenſu Litigantium in Judicem eligitur, ut ipſius ſententiæ ſtent, *2 q. 6. c. a Judicib. §. quod de arbitris. & c. placuit, 2.*

Item nullus arbiter eſſe poteſt in ea cauſa, in qua fuit Judex, *3. q. 7. cap. ante finem. §. ſi quis vero.*

Arbiter ſuper ſpirituali non poteſt eſſe Laicus, niſi auctoritate ſuperioris, *cap. per tuas, de arbitr.*

Fœmina arbitra eſſe poteſt ſecundum conſtitutionem terræ, non aliter, *cap. dilecti filii, de arbitr.*

Arbiter non poteſt infirmare ſententiam per jus latam, *cap. expoſita, eod. tit.*

Arbiter tantum judicat de his, de quibus eſt compromiſſum, *cap. cum dilectus, eod. tit.*

Ab arbitro non requiritur ſuper ſententiæ dubitatione interpretatio, ſed a ſuperiori, *c. cum olim, eod. tit*

Arbiter in cauſa reſtitutionis in integrum eſſe non poteſt, *cap. cauſa, de reſt. in integ.*

Coram arbitris conventus, non poteſt convenire convenientem, *cap. cum dilectus fil. de arbitr.*

Arbitri quot eligantur, *c. ſane. eod. tit.*

ARBITRIUM injuſtum per ſuperiorem corrigi debet, *cap. non ſine multa, eod. tit.*

Arbitrium contra jus & formam compromiſſi non tenet, *cap. pervenit, eod. tit.*

Arbitrio Judicum compelluntur partes ſtare, ſi juſte ſit arbitratum, *cap. dilecti, & cap. cum olim, eod. titul.*

Arbitrium inter privatos, in damnum Eccleſiæ non valet, *cap. pervenit, eod. tit.*

In arbitrium ſub certa pœna compromitti poteſt, *cap. literas, de præſumpt.*

In arbitrium licet compromittere in rebus ſpiritualibus, *cap. cum Apoſtolica, de his quæ ſiunt a Prælat.* Arbitrium finitur uno adverſario defuncto, *cap. ex parte, de arbitr.*

Arbitrium valet auctoritate ſuperioris, quod aliter non valet, *cap. cum a nobis, eod. tit.*

Arbitrium, ſi male recognoſcatur arbitratum, non tenet, *cap. non ſine multa. eod. tit.*

ARCHIDIACONUS, ſi Epiſcopus negligens fuerit, a Clero eligi poteſt, *cap. 89 cap. volumus. § hinc colligi.* officia ejus enumerantur, *diſt. 25. c. 1. §. hi ſunt ordines, uſque ad §. Archipresb.*

Archidiaconus vicem gerit Epiſcopi in omnibus, & major eſt poſt Epiſcopum, *cap. 1. & cap. ad hæc, 7. §. Archidiacon. verſic. ſecundum vero, de officio Archidiac.*

Archidiaconus ponit Abbates & Abbatiſſas in ſede, *d. cap. 9. in fin.*

Acolythos ordinare debet, *dict. cap. 2. §. fin.*

Archidiaconus non dat Commendatitias ad ordines, *cap. ſignificaſti, 8. eod. tit.*

Quæ corrigenda in diœceſi videt, corrigere ac emendare poteſt ac debet, *dict. §. fin. & cap. ad hæc, 7. §. item in epiſt. eod. tit.*

Omnis ſolicitudo & cura Cleri & Eccleſiarum ejus ad Archidiaconum pertinet, *cap. 1. verſ. & omnem curam. cap. ad hæc 7. §. Archid. verſ. paroch. & verſic. omnem ſolicitudinem, de Officio Archidiaconi. diſt. 19. cap. 1. § hi ſunt ordines.*

Curam animarum ſine licentia Epiſcopi nemini committere debet, *cap. cum ſatis, dict. tit.*

Cuſtodia vaſorum Eccleſiæ ad Archidiaconum pertinet, *cap. ea quæ, 3. d tit.*

Decani rurales per Epiſcopum & Archidiaconum communiter ordinandi ac removendi ſunt, *dict. cap. 7. §. fin.*

Dominari Clericis, & Cenſum ab eis exibere prohibetur, *dict. § Archidiaconus, cum cap. ſeq*

Circa Evangelium legendum Officium Archidiaconi, *cap. officium, 2. dict. tit. & diſt. 25. cap. 1. hi ſunt ordines. verſ. quis Levitarum.*

Examen Clericorum ordinandorum ad Archidiaconum pertinet, *d. § in quadam. & c. ut noſtrum, verſic. & illos examinare, eod. tit.*

Jus Excommunicandi ſine auctoritate Epiſcopi non habet, *cap. Archidiaconi, 5. de officio Archidiaconi.*

Inſtructio corporalis tam ſuper beneficiis, quam etiam dignitatibus ad Archidiaconum pertinet, *dict. cap. 7. § in quadam vero noſtra.*

Jurgia ſingulorum audire debet, *cap. ad hæc, 7. §. Archidiaconus verſ. & audire, dict. tit.*

Juriſdictioni ejus ſubjecti ſunt Diaconi & Levitæ, *dict. cap. 7. §. Archidiaconus. diſt. 25. cap. 1. & §. hi ſunt ordines. verſic. Archidiaconus.* ſed in Monaſteriis juriſdictionem non habet, niſi quantum tribuit ei generalis vel ſpecialis conſuetudo, *cap. ult. de officio Archidiaconi.*

Omne officium Eccleſiaſticum providendo Lectiones aut Reſponſoria in matrice Eccleſia dare debet, & auſcultare, *d. cap. officium, 2. §. omne. & dict. verſ. qui Levitarum.*

Oculus Epiſcopi appellatur, *dict. cap. 7. §. item in epiſtola.*

Repræſentat ordinandos Epiſcopo, *dict. cap. 9. & dict. §. in quadam.*

Viſitare Quolibet triennio per diœceſim tenetur parochias, *cap. 1. §. fin. de officio Archidiaconi.* & Non niſi ſemel in anno ad Eccleſias viſitandas accedere debet, ut diſtinguitur, *cap. mandamus, 6. de officio Archidiaconi.*

Clericorum Vitam inquirere debet, & corrigenda Epiſcopo nunciare, *diſt. 94. cap. ſi quis. §. Archidiaconus.*

Archidiaconus poteſt cognoſcere de cauſis matrimonialibus, *cap. ad hæc, de officio Archidiac.*

Archidiaconus, cum perſonaliter viſitat, poteſt procurationem petere, *cap. 1. de offic. Archidiac. & cap. cum Apoſtolus, de cenſib.*

Archidiaconus nemo ſit in duabus Eccleſiis: ſed in una poteſt habere præbendam, in alia Archidiaconatum, *c. præterea, de præbend. & cap. ex inſinuatione, de procur.*

Ab

UNED

Ab Archidiaconi juriſdictione non debet Epiſcopus Eccleſias eximere, *cap. ad hæc, de exceſſ. Prælat.*

Archidiaconus exercet juriſdictionem ſecundum conſuetudinem loci, *cap. Archidiaconus, de offic. Archid.*

Archidiacono detur coadjutor, ſi efficiatur paralyticus, *cap. ult. de Cler. ægrot.*

ARCHIEPISCOPI definitio, *diſt. 21. c. 1. §. Archiepiſcopus. §. patriarcha patrum. & §. fin. item cap. nulli, in fine.*

Non niſi Presbyter vel Diaconus in Archiepiſcopum eligendus, *diſt. 60. c. nullus.*

Ab omnibus ſuis ſuffraganeis ordinandus eſt, *diſt. 66. c. 1.*

Sine Suffraganeis ſuis Archiepiſcopus nihil agere debet, *d. c. 1. in fin. d. c. per ſingulas. §. fin. & 9. q. 3. c. ſalvo. c. Archiepiſcopus. c. ſi autem. c. nullus. c. Epiſcopo. item 3. q. 6. c. diſcutere. in princ. Apoſt. canon. 33. §. ſed neque illa.* quod fallit ſi Papa ſine Suffraganeis ſuis agat, *dict. c. ſalvo.* Item ſi Patriarcha ſeu Primas ſine Suffraganeis ſuis agat. Sed reprobatur, *d. quæſt. 3. c. conqueſtus.* Tertio fallit ſi Suffraganeus in ſuo officio negligens ſit, & ſubditis conniveat, *dict. quæſt. . cap. cum ſimus. & c. ult.* item fallit ſi a Suffraganeo ad Archiepiſcopum ſit provocatum, *d. c. conqueſtus. verſ. niſi forte pro cauſis.* Fallit quoque ſi Suffraganeus deceſſerit, *d. c. conqueſtus verſ. vel ſi Epiſc. ſuus.* item ſi Archiepiſcopus ad hoc ſpecialiter ſit privilegiatus ut ſine conſenſu Suffraganeorum agere ei liceat, *dict. c. conqueſtus, in fin.* denique fallit ſi ad propriam ipſius Archiepiſcopi parochiam negotium pertineat, *d. q. 3. c. ſi autem. verſic. niſi eas tantum. cap. nullus. verſic. niſi quod ad ſuam.*

Sine Archiepiſcopi conſenſu & conſilio Suffraganei nihil agere debent, *cauſ. 3. qu. 6. cap. hac quippe, in princ. 9. quæſt. 3. c. 1. cap. per ſingulas cap. nullus. §. fin. cap. Archiepiſc. verſ. nec illi.* Niſi in ſua Eccleſia aliquid agant Suffraganei, non extra, *dict. c. per ſingul. verſ. niſi hoc tantum. & dict. cap. nullus. §. fin. item dict. cap. Archiepiſcopus. verſ. niſi quantum ad ſuas, d. cap. 33. §. illa autem.*

Archiepiſcopus poteſt providere de Epiſcopo vel Abbate, ſi intra menſes non eligitur de conſilio Capituli ſui, & aliorum virorum prudentum, *cap. ne pro defectu, de elect.*

Archiepiſcopus debet conſecrari, in ſua Eccleſia ab omnibus Suffraganeis, *cap. ſi Archiepiſcopus, de temp. ord.*

Archiepiſcopi proviſio caſſatur, ſi non poſt ſex menſes providit, quando potuit, *cap. dilectus, de conceſſ. præbend.*

Archiepiſcopus provinciam ſuam viſitans, poteſt petere procuratorem, *c. ſopita de, cenſib.*

Archiepiſcopi legati non poſſunt abſolvere de injectione manuum in Clericos, *cap. excommunicatis, de offic. legat.*

Archiepiſcopus ſubdito ſui Suffraganei non poteſt cauſam aliquam invito delegare, *cap. paſtoralis, de offic. jud. ord.*

Archiepiſcopus debet excommunicatos Suffraganei vitare, & ſententiam ejus tenere, & ad abſolvendum remittere, ſi ſit appellatum ad eum, *cap. ad reprimendam, eod. tit.*

Archiepiſcopus cedens ſubeſt Archiepiſcopo, in cujus provincia moratur, *cap. ad ſupplicationem. de renunciat.*

Archiepiſcopus non debet ſtatuere in provincia ſui Suffraganei, vel acceptare contra jus ſine ſuo conſenſu, *cap. ſicut, de exceſſ. Prælat.*

Ad Archiepiſcopum poteſt appellari a Suffraganeo in cauſa, etiamſi videatur interdicta, *cap. licet, de offic. judic. ordin.*

Archiepiſcopus non habet juriſdictionem in Subditos Suffraganeorum, niſi in caſibus expreſſis, *cap. paſtoralis, eod. tit.*

Ad Archiepiſcopum non devolvitur poteſtas conferendi beneficia, ſi intra ſemeſtre tempus non conferantur, nec quando collatio ad Capitulum & ad Epiſcopum ſimul pertinet & ipſi ſimul non conferunt: ſed tunc confert ſuperior, *cap. poſtulaſtis, de conceſſ. præbend.*

In Archiepiſcopum confirmatus poteſt Epiſcopum confirmare, etiam non conſecratus, *cap. cum ex illo, de translat. Epiſc.*

*De Pallio Archiepiſcoporum quære literam P.*

ARCHIPRESBYTERI a multis Decani appellantur, *c. ad hæc, 7. §. Archidiaconus. verſic. Archipresbyteri. de offic. Archidiaconi.*

Non niſi Presbyter aut Diaconus in Archipresbyterum, vel Decanum eſt ordinandus, *diſt. 60. c. 1. c. nullus in præpoſitum. c. innovamus, in princ.*

Archipresbyter vicem Abſentis Epiſcopi gerit in providendo, ut Sacerdotes ſuum faciant officium, & in aliis, *cap. 1. verſic. & in Epiſcopi ſui abſentia c. miniſterium, 2. §. ſi Epiſcopus c. officium, 3. in princ. de offic. Archipresbyteri. & diſtinct. 25. cap. 1. §. Archipresbyter. verſ. & quando.*

Providere debet, ut officium Sacerdotum cardinalium in communicatione corporis & ſanguinis Chriſti, & aliis ſimilibus rite expediatur, *cap. miniſterium, 2. in princ. d. tit.*

Archipresbyter ruralis Presbyterorum & Laicorum plebaniæ ſuæ curam gerit: contra decretum tamen Epiſcopi nihil poteſt, *cap. ult. d. tit.*

Officia Archipresbyteri circa infirmos, pœnitentes, convertendos, & infantes exponuntur, *d. c. 3. §. debet etiam.*

In præcipuis feſtivitatibus aut ipſe Miſſam celebrabit, aut alii celebrandam committet, *dict. cap. 2. §. fin. & c. offic. 3. in princ. eod. tit.*

Aſſidue in Eccleſia ſtare debet, Collectam dicere, aut alii injungere, *d. c. 2. verſ. & aſſidue in Eccleſia. & dict. §. Archipresbyter. verſ. & aſſidue.*

Archipresbyter præeſt Presbyteris & Presbyteralibus officiis, *d. cap. 1. verſic. & quod ſpecialiter. item d. §. Archipresbyter. verſ. & quod ſpecialiter.*

Archipresbyter ſubeſt Archidiacono, *dict. verſ. Archipresbyteri. & cap. 1. de officio Archipresbyteri. diſt. 25. cap. 1. §. Archipresbyter.*

Providere debet, ut vita Sacerdotum cardinalium ſit honeſta & decens, *d. c. 2. verſ. provideat etiam.*

ARGUMENTUM, *cap. forus, 10. §. argumentum, de V. S.*

In argumentum trahi nequeunt, quæ propter neceſſitatem aliquando ſunt conceſſa, *cap. in argumentum, 78. de reg. jur. in 6.*

Quæ a jure communi exorbitant, nequaquam ad conſequentiam ſunt trahenda. *c. quæ a jure, 28. de reg. jur. in 6.*

Argumentum dicitur, quod non per teſtes vel tabulas, ſed naturali probatione inducitur, *c. forus, de verb. ſign.*

ARIOLUS, *cap. 1. §. arioli, de ſortileg.*

ARMA Clericorum orationes & lachrymæ, *23. qu. 8. c. non pia quærant. & c. convenior. ante medium, diſt. 36. cap. ult.* ſic Chriſtus in Ægyptum ab Herode fugiens, & lapidibus Judæorum cedens, docuit non arma armis, ſed fugam perſequentibus opponi, *2. q. 3. c. 1. §. 1. per totum.* ideoque etiam Petro dictum eſt: converte gladium in vaginam tuam, *23 quæſt. 8. cum a Judæis.* Quare Eccleſia non corporalia arma, ſed Chriſtum patienter exſpectet, *16. q. 3. porro.*

Arma Laicis pro tuitione Eccleſiæ & patriæ non ſunt prohibita, *23. quæſt. 3. per totum.* & quatenus Clericis & Eccleſiaſticis liceat Laicos hortari, *23. qu. 8. c. igitur & ſeq.*

Arma portantes Clerici excommunicentur, *cap. Clerici, de vit. & honeſt. Cleric.*

In armis inventi Clerici poſt trinam admonitionem Epiſcopi non defendantur, quia jus perdunt clericale, *c. in audientia, de ſentent. excommun.*

Arma portantes & ſeditionem facientes Clerici, ſi occidantur, non mittuntur ad curiam occiſores eorum, *c. perpendimus, eod.*

Armis ſe defendere poſſunt Clerici ab inimicis, *ibid.*

Armis Clerici aſſociati aliis, ſi aliqui & ſine eorum conſilio occiduntur ab aliis, non ſunt promovendi, *c. ult. de Cleric. percuſſ.*

ARCTA

ARCTA non poteſt contrahere matrimonium, & contractum dirimitur, *c. fraternitatis, de frig. & maleficiat.*

Arcta probanda eſt per aſpectum, qui præfertur juramento, *Ibid. & c. propoſuiſti, de prob.*

ARTES liberales diligenter docendæ, *37. diſtinct. capit. 1.*

ARUSPEX *26. q.3. c.1. §. haruſpices, 26. q.5. c. contra idolorum. c. nec mirum. §. haruſpicina.*

Si aruſpicem, mathematicum vel ſimilem conſulat, vel ei credat, *26. quaſt.2. c. intelligi. item 26. qu.5. c. qui divinatione. c. ſi quis Epiſcopus, 26. q. 7. c. non obſervetis. item de ſortilegiis. c. ex tuarum, 2.*

ASSESSOR eſt, qui conſenſu partium eligitur ad cauſas dirimendas, *cap. ſuper quaſtionum, de offic. Jud. de leg.*

ASTROLOGUS aut Mathematicus, *26. qu. 5. c. non liceat, in princ. 26. qu. 2. cap. 1. §. ſic & aſtronomia. & §. aſtrologi. c. illos planetarios. c. ſed & illud. §. eſt & illud.*

ATTESTATIONES unius Judicis, alius Judex recipere poteſt, *c. cauſam qua de teſtib.*

Atteſtationibus publicatis contra matrimonium, alii teſtes & alia inſtrumenta admittuntur, *c. ſeries, eod. tit.*

Atteſtationibus clauſis iterato poſſunt produci teſtes, *c. cum cauſam, eod. tit.*

Atteſtationes quando non valent, *patet in tit. ut lit. non conteſt. non prov. c. ult.*

Atteſtationibus publicatis, poſſunt inſtrumenta exhiberi, *c. cum dilectus, de fid. inſtr.*

AUCTORITAS conſequitur pallium Archiepiſcopale, *de auct. & uſu pallii, per tot.*

Auctoritas ſuperioris non excuſat delinquentem, *c dilectus fil. de temp. ord.*

Auctoritas eligentium præfertur numero eligentium, *c. dudum, de elect.*

Auctoritas regalis & ſacerdotalis tenetur defendere res Eccleſiæ, *23. q.5 c. res autem omnes.*

AUDITUS teſtium contra matrimonium non valet, niſi ſint graves perſonæ teſtantes factum, *c. præterea, de teſtib.*

Auditur quis veniens contra factum ſuum *c. Lator, de ſent. & re jud.*

Ab auditore dato a Judice ordinario non poteſt appellari, *c. ſuper quaſtionum §. verum, de offic. deleg.*

AUGUR vel Augures conſulendi, *26. qu. 3. c.1. §. augures, q. 5. c. nec mirum. §. auguria.*

AUGUSTINUS *2. qu.7. c. quanquam.*

AUTHENTICA ſcriptura quæ, *cap. 1. & 2. de fid. inſtrum.*

AUXILIUM malefactoribus ferendum non eſt, *14. q. 5. per totum.*

*B.*

BALISTARII & ſagittarii adverſus Chriſtianos artem non exerceant, *c. unico, de ſagittariis.*

BALNEA Die dominico conceduntur, dummodo non fiant voluptatis cauſa, ſed propter neceſſitatem, *de conſult. diſtinct. 3 cap. pervenit.*

Ne viri cum mulieribus lavacra habeant communia, cavetur, *diſt. 81. c. non oportet.* Hæc ſunt dicta de delictis & quaſi delictis: ad quæ alia plura connumerari poſſent. Nam quicquid fit contra præceptum legis, delictum dici poteſt, & pœnam meretur, *15. qu. 2. quiſquis.*

BAPTISMUS quid, *de conſecrat. diſt. 4. c. Baptiſmi. & cap. Catechumenum.*

Baptiſmus verus eſt, a quocunque conferatur in forma Eccleſiæ, *c. firmiter, de ſumm. Trin.*

Baptiſmi nec ſuſcipit rem, nec characterem qui publice contradicit, nec poſt conſentit, *cap. majores, de baptiſmi.*

Baptizare nemo poteſt ſeipſum, *c. debitum, eod. tit.*

Baptizari qualiter poſſunt dementes & dormientes, *ib.*

Baptizatus habendus eſt, qui inter Chriſtianos natus, honeſte converſatus eſt, niſi evidentibus ſignis contrarium probetur, *c. venient, de Presbyt. non baptizat.*

In baptiſmo crimina remittuntur, ſed matrimonium non ſolvitur, *cap. gaudemus, de devort.*

Non baptizatus baptizetur, & iterum ordinetur, *cap. veniens, de Presbyt. non baptizat.*

Baptiſmus conferri debet & poteſt interdicti tempore, *cap. reſponſo, de ſent. excomm.*

Baptizandi modus, & quando dubitatur baptizatus aliquis, *cap. de quibus, de baptiz.*

Baptizatus a Latino non rebaptizatur a Græco, nec econverſo, *c. licet, eod. tit.*

Baptizatus bis non promoveatur ad ordines, ſi eſt publicum, nec intret religionem, *c. ex literarum, de apoſt. & reit. baptiz.*

Baptizatus non poteſt accipere filiam ejus qui eum baptizaverit, *c. & literis, de cognat. ſpirit.*

BEATITUDO Æterna ſolummodo membris Chriſti paratur, *de pœnit. diſt. 1. omnis qui non diligit.*

BEGUARDI & Beguinæ damnantur, *Clement. 1. de religioſi-domibus. Clement. ad noſtram, 4. de hæreticis. Extravag. Joan. XXII. unica, de religioſis domib.* Ab hac regula excipiuntur mulieres fide dignæ, nec ſuſpectæ, ſub habitu Beguinarum viventes, *extravag. comm. unic. eod. tit.*

BELLICIS actibus, aliquibus diebus feriandum, *c. 2. de tregua & pace.*

Niſi neceſſitas urgeat, *25. q. 8. c. ſi nulla.*

Belli tempore quæ ſecuritate gaudeant, *c. ult. de treuga & pace.*

BENEFICIA, *cap. tua nobis, 32. de verb. ſignific.*

Beneficium Eccleſiaſticum non poteſt licite ſine inſtitutione Canonica obtineri, *c. 1. de reg. jur. in 6.*

Beneficium Principis latiſſime interpretandum, *c. olim, 16. & cap. Abbate, 25. de verb. ſign. c. cum dilecti, 6. de donat.* Hujus regulæ exceptio eſt in literis ſuper obtinendo beneficio impetratis, *c. quamvis, 4. in princ. de prabendis, in 6.*

Ad beneficia non debent aliqui promoveri, niſi caſtitate promiſſa, *c. ſane, de Cleric. conjug.*

Beneficium contra jus poſſeſſum juſte poſſidetur per tolerantiam ſuperioris, *c. literas, de ſuppl. negl. Pralat.*

Beneficium vacans ex cauſa poteſt retineri ad tempus, *c. præterea, de cenſ.*

Beneficiorum tempus computatur a notitia, *c. licet, de ſuppl. negl. Pral. & c. quia diverſitatem, de conceſſ. prabend.*

Beneficium vacans ultra ſex menſes, ſi Capitulum debet conferre & non fecerit, Epiſcopus conferet, & econverſo, ſi Epiſcopus neglexerit, ad Archiepiſcopum, vel ad Papam, ſi ille non fecerit, collatio pertinet, *c. intra ſex menſes, de conceſſ. prabend. & cap. licet, de ſuppl. neglig. Pralat.*

Beneficium ſibi ipſi nullus dare poteſt, *c. cum ad noſtram, de inſt.*

Beneficium primum ipſo jure amittitur, ſi aliud recipitur, *c. jam dudum, de præb. & dignitat.*

Beneficium ſuum habeat Clericus infirmus, *c. cum percuſſio, de Cler. agrot.*

Beneficium quis amittit, propter ingratitudinem, *cap. cum Sacerdotis, de poſtulat.*

Beneficium quis non debet amittere, niſi convincatur de crimine, *c. ſi conſtiterit, de accuſ.*

Beneficium habens ſufficiens, ab Eccleſia cui non ſervit, nil recipiat, *c. quia nonnulli, de Cler. non reſid.*

Beneficium non vacans, nulli promittatur ſpecialiter, *c. accepimus. de pec.*

Pro beneficiato non ſcribit Papa, niſi primi fecerit mentionem, *c. poſtulaſti, de reſcrip.*

Bene-

UNED

Beneficium habens primo, ſi literas ſuper alio obtinendo impetret, non valent, niſi de primo mentionem faciant, *c. poſtulaſti, de reſcript.*

Beneficium male dans conferendi poteſtate privetur, *c. grave, de præbend.*

Beneficium Clerici detineri poteſt a Judice pro debitis, *cap. pervenit, de fidejuſſ.*

Beneficia plura non poteſt quis habere ſine diſpenſatione, *c. dudum, de elect.*

Beneficia conferenda a religioſis, non poſſunt ſuis monaſteriis conferri, & ſi negligant præſentare Clericum, Epiſcopus providebit, *c. ſicut nobis, de ſuppl. negl. Prælat.*

A beneficiis debent removeri Clerici incontinentes, *c. Cler. de cohab. Cler.*

Beneficium curatum habens vel Prælaturam recipiens ſit 25. annorum, *c. cum in cunctis, de elect.*

Beneficium obtinens, ſi literas impetret tacita veritate, non valent literæ, *c. ad aures. & c. in noſtra, de reſcript.*

Beneficia conferat Epiſcopus, ſi neglexerit patronus, *c. eam te, de jur. patr.*

Beneficium dimittat Clericus uxorem ducens, *c. quod a te, de Cler. conjug.*

Beneficium non detur, niſi reſidere volenti; *cap. quia nonnulli, de Cler. non reſid.*

Beneficium dans quod non potuit, tenetur alia dare, *c. inter cetera, de præbend.*

BIBERE non licet id, quod reliquum eſt ex eo, quod dæmonibus eſt immolatum, *26. qu. 2. c. ſed & illud. §. fin. cum cap. ſequent.*

BIGAMI, *27. qu. 1. cap. quotquot.*

Bigamus ad Sacerdotium promoveri non poteſt, *c. ut bigami, de bigam.*

Bigamus ex diſpenſatione ordinari non poteſt, *c. ſuper eo, eod tit.* & ordinator privetur officio, niſi ex diſpenſatione toleretur.

Bigamus ipſo jure eſt a divinorum celebratione ſuſpenſus, *c. de bigamis, eod. tit.*

Bigamus non eſt contrahens cum vidua, ſi adhuc eſt incognita, *c. debitum, eod. tit.*

Bigamus non eſt plures habens concubinas, *c. quia, eod. tit.*

Bigamus contrahens non debet benedici a Sacerdote, *c. capellanum, de ſecund. nupt. & c. vir autem, ib.*

Bigamiæ pœna punitur in ſacris ordinibus conſtitutus, cum vidua contrahens de facto, *c. quia & c. nuper, de bigam.*

Bigami Clerici ipſo jure cadunt a privilegio, tonſura, & habitu Clericali, & foro ſeculari ſunt, addicti, *Greg. in novell. de bigam. lib. 6.*

BLASPHEMIÆ & adjurationes puniendæ, *cap. 2. de maledicit.*

BONA fides non patitur, ut bis idem exigatur, *c. bona fides, 83. de reg. jur. in 6.*

Bonarum mentium eſt, ibi etiam culpam agnoſcere, ubi culpa non eſt: quia ſæpe ſine culpa agitur, quod venit ex culpa, *diſt. 6. c. ult. §. fin. cap. conſilium, 2. §. cum autem, in fine, de obſervantia jejuniorum.*

Bonos paucos ſanctius eſt, quam multos malos habere, *c. oum ſit ars, 14. verſ. ſanctius enim, de ætate & qualitate. præficiendor.*

BONORUM nomine tam mobilia quam immobilia dicuntur, *c. relatum, de teſt.*

Bona mobilia per Eccleſiam acquiſita, poſſunt dari locis religioſis & pauperibus, ſive etiam ſervis, conſanguineis, vel aliis poſt mortem Clericorum: ſed alia quocunque modo acquiſita, pro voluntate morientium diſtribuantur, *c. relatum, de teſtam.*

C.

qui quoties CADIT, toties reſurgit, juſti vocabulum non amittit, *de pœnit. diſt. 3. c. quamvis. §. hac, in fin.*

CALCARIBUS deauratis non utantur Clerici, *cap. Cler. de vit. & honeſt. Cler.*

CALUMNIÆ juramentum poſt litis conteſtationem præſtatur, *cap. cum in cauſa, de juram. calumn.*

Calumniæ juramentum præſtare recuſantis pœna, *cap. fin. eod. tit.*

De calumnia non juratur in cauſis ſpiritualibus, *cap. literas, eod. tit.*

De calumnia jurare non tenetur Clericus alicujus ordinis, *cap. inhærentes, eod. tit.*

De calumnia jurari poteſt per œconomum & per ſyndicum, *c. in pertractandis, eod. tit. & c. imperatorum, eod.*

Calumniæ juramentum in caſu requiri poteſt a Clerico, *c. ceterum, de juram. calumn.*

CALUMNIANTES ad vindictam poſcit ſimilitudo ſupplicii, *2. q. 8 cap. quiſquis, 5. q. 6. cap. qui calumniam, cum ſeq.*

Calumniari præſumitur denunciator non probans quod intendit, *cap. 2. de calumn.*

Calumniatores Prælatorum puniuntur degradatione. incarceratione, ſuſpenſione, *d. c. 2. ib.*

CAMPANAS Religioſi mendicantes plures habere prohibentur, exceptis certis caſibus, *c. unico, de officio cuſtodis, in extr. comm.*

Campanarum pulſatione ceſſante, poſſunt Clerici, interdicti tempore, in cœmeterio ſepeliri, qui tamen ſervarunt interdictum, *c. quod in te, de pœn. & remiſſ.*

Campanas non licet templariis nec hoſpitalariis habere, nec pulſare ſine conſenſu Epiſcopi diœceſeos, *cap. potentib. de privileg. & exceſſ.*

CANONICUS Epiſcopo ſerviens beneficium non perdit, *cap. de cætero. & cap. ad audientiam, de Cler. non reſid.*

In Canonicum recepto præbenda debetur, *c. relatum, de præbend. & c. cum ſuper, de conceſſ. præb.*

Canonici certum numerum Canonicorum in Eccleſia ſtatuere poſſunt, *c. in Eccleſia, de inſtitut.*

Canonici dignitates Eccleſiarum mutare poſſunt, *cap. cum acceſſiſſent, de conſtit.*

Canonicorum numerus non debet ex Laicis ſuppleri, *cap. Eccleſia. de inſtit.*

Canonici dignitatem vel præbendam ſupprimere propria auctoritate non poſſunt in ſuis Eccleſiis, *cap. cum acceſſiſſent, de conſtit.*

Canonici regulares Eccleſias parochiales regere poſſunt, & regulam ſuam ſervare debent, ut Epiſcopo ſint ſubjectæ, *c. inter quatuor, de relig. dom.*

Canonicorum numerus augeri poteſt, ſi facultates augentur, etſi ſit Canonicorum numerus ſtatutus, *c. cum M. Ferrarien. de conſt.*

Canonici non poſſunt minuere numerum Canonicorum, *c. ex parte, eod. tit.*

Canonicus ægrotans habeat debitam portionem ſuæ præbendæ, *c. ad audientiam, de Cler. non reſid.*

Canonicorum correctio in criminalibus pertinet ad Epiſcopum, *c. irrefragabili, de offic. jud. ord.*

Canonicorum numero, juramento & confirmatione Papæ firmato, literæ ſuper receptione non valent, niſi de prædictis mentionem faciant, *c. conſtitutus, de reſcrip.*

CANONUM origo & numerus Conciliorum exponitur, *diſt 14. in pr. cum c. ſequente diſt. 16. c. ſexta ſynodus, cum cc. ſequentib. uſque ad diſtint. 17.*

Canonis definitio, *diſt. 3. c. 1. cum duob. ſeqq.*

Canonum diviſio, *dict. diſtinct. 3. cap. regula. §. porro canonum.*

De Canonibus Apoſtolorum cavetur, *diſtinct. 26. cap. ſexaginta. cap. Clementis. c. placuit. cap. Iſidorus. cap. ſextam. cap. habeo. cap. quoniam.* Contradicit, *dict. diſtinct. 16. in princ. cum cap. ſequente. item dict. cap. Clementis.*

Cano-

Canones & decreta Pontificum vim legis obtinent, *cap. de conſtitut. diſtinct. 11. cap. hoc veſtra. diſt. 12. cap. ridiculum. item 1. quaſt. 7. cap. ſi quis, in princ. 25. quaſt. 1. cap. nulli. cap. violatores. cap. omne quod. cap. prima ſalus. cap. generali. cap. omnia. cap. hac conſona. cap. a ſanctis, item 25. qu. 2. cap. amputato. cap. ſi quis dogmata.*

Canon poſterior derogat priori, *c. 1. de conſtitut.*

Contra Canones recipiens & dans beneficium, uterque punitur privatione, *cap. quia nonnulli, de Cleric. non reſid.*

Secundum Canones agatur in judiciis, & nemo ſuo ſenſu utatur, *c. Canonum. & cap. ne innitaris, de conſtitut.*

Canones ſcire debent, qui cauſam matrimonii tractant, *arg. c. accepiſti, de frigid. & maleſic.*

CANONIZATIO requiritur ad hoc, quod debeat ſanctus venerari, etiam miracula faciens, *c. audivimus, de reliq. & vener. ſanctor.*

CAPELLA in præjudicium matricis Eccleſiæ non poteſt conſtitui, *c. intelleximus, de op. nov. nunciat.*

In capellis poſſunt eſſe Canonici privilegiati, *c. cum capella, de privileg.*

In Capellis Monachorum populum habentium debet inſtitui & deſtitui Capellanus per Epiſcopum, *c. 1. de capell. Monach.*

CAPITE langueſcente, facilius membra corporis inficiuntur, *6. qu. 1. c. ſunt plurimi. §. verum. & c. ex merito.* ſequuntur enim caput membra, *12. diſt. c. non. decet. 11. diſt. c. nolite, de conſecr. diſt. 3. c. celebritas.*

CAPITULI major pars & ſanior obtinere debet, *c. ex parte, de his qua fiunt a maj. part. cap.* ſed pars minor contradicere poteſt, ſi habet rationem, *cap. cum in cunctis, eod. tit. & cap. cum inter, 3. de elect.*

Capituli aſſenſus requirendus eſt in inſtitutione vel deſtitutione perſonarum vel dignitatum, ab Epiſcopo, *cap. quanto, de his qua fiunt a Pral.*

Capitulo non conſentiente, non eſt rata donatio Epiſcopi, *cap. cum nos, eod. tit. & cap. quanto, eod. Item cap. fraternitatem. & c. paſtoralis, de donat.*

Item nec penſionem augere poteſt Epiſcopus ſine licentia Papæ, *cap. paſtoralis, dict. tit.* nec centeſimam dare ſine conſenſu Capituli, niſi per Papam, *cap. Apoſtolica, eod. tit.*

Capitulo diſſentiente, non tenet donatio Abbatis, *cap. ea noſcitur, de his qua fiunt a Pral. ſine conſenſu cap.*

Capituli conſenſus confirmat dationem Epiſcopi, *c. paſtoralis, de donat.*

Capitulum, vacante ſede, poteſt excommunicare, abſolvere, judicare & confirmare, *cap. abolendam, de haret.*

CARDINALES Papæ in executione officii ſacerdotalis coadjutores adſiſtunt, *c. fundamenta, 17. verſ. decet namque ipſi Romano, de electione, in 6.*

CARITAS annonæ, *16. qu. 1. cap. revertimini. §. ſi quando. 16. qu. 7. cap. majores.*

CARNE uti licet, ſi Dies Nativitatis Domini ſit in ſexta feria, *c. explicari, de obſerv. jejun.*

Carnes etiam in quadrageſima & jejuniis ſolemnibus, cum urgens eſt neceſſitas, indulgeri poſſunt, *c. 2. eod. tit.*

CASSA eſt ſententia a non ſuo Judice lata, *cap. F. & G. 40. de off. & poteſt. Judic. delegat. & cap. at ſi Clerici, de judic.*

Caſſatur electio, ſi ante confirmationem electus miniſtret, *cap. qualiter, de elect.*

Caſſatur electio propter defectum ſcientiæ in electo. *ibidem.*

Caſſari debent quæ per importunitatem fiunt, *cap. tua, de prabend. & dignit.*

CASTITAS ſeu continentia voluntaria Deo placet, non neceſſaria, *33. qu. 5. cap. tunc ſalvabitur, circ. medium.*

Caſtitatem ſervare, eſt viam arctam & difficilem ingredi, *28. diſt. c. de his, & 33. qu. 5.*

CASTRANS ſeipſum ex juſta cauſa non eſt irregularis, *c. ex parte, 3. de corpor. vitiat.* Sed ſine neceſſitate faciens diſpenſatur per Epiſcopum in aliis, ſed non in altaris miniſterio, *c. ſignificavit, 4. eod. tit.*

CAUSA, *cap. forus, 10. §. cauſa a caſu. & §. cauſa aut, de verb. ſignific.*

Cauſa ceſſante ceſſat effectus, *cap. etſi Chriſtus, 26. §. quemadmodum ergo Paulus, in fine, de jurejurando.*

Prohibita cauſa, prohibitus quoque cenſetur effectus. *c. cum quid, 39 de reg. jur. in 6. c. nam concupiſcentiam, 4. de conſtitutionib.* ut contra prohibito effectu, omnis ejus cauſa prohibita cenſetur.

Cauſa dicitur inſufficienter inſtructa, lite non conteſtata, *c. olim, de lit. conteſt.*

Cauſæ committi debent ei, coram quo ſecure poteſt comparere, *c. accedens, ut lit non conteſt. non proced.*

Cauſæ non debent remitti ad eos, a quibus appellatum eſt, niſi partes conſenſerint, *c. accepta, de appell.* tamen quandoque remittitur, *c. litera, de matrimon. contra interdictum Eccleſ.*

Cauſæ majores ad ſedem Apoſtolicam mittendæ ſunt, *c. cum ex illo, de translat. Epiſc.*

Cauſæ continentia dividi non debet, *cap. 1. de ſequeſtr. poſſ. & fruct.*

Cauſa principalis ſicut committi poteſt, ita & incidens, *c. cauſam, de reſcript.*

In cauſa criminali intentata poteſt conſtitui procurator, *cap. tua fraternitati, de procur.*

In cauſa ſtatus vel liberali non debet procedi eo abſente, qui petitur in ſervitutem, *cap. inter quatuor, de major. & obedient.*

In cauſis gravibus non cogitur quis invitus conſtituere procuratorem, *cap. querelam, de procur.*

In cauſa pari potior eſt conditio primo occupantis, *cap. paſtoralis, de jur. patronat.*

In cauſis ſpiritualibus juratur, licet non de calumnia, tamen exceptionibus propoſitis in eis, *cap. literas, de reſtitut. ſpoliat.*

Cauſæ non ſunt audiendæ tempore nundinarum, *cap. ſignificaverunt, de judic.*

Cauſa civiliter tractata, non deducatur ad Judicem Eccleſiaſticum, *c. ex parte, de alienat. judic. mutand.*

CAUTIONEM ſtandi mandatis Eccleſiæ præſtet abſolvendus, *cap. ad noſtram, de jurejur.*

Cautionem præſtet in poſſeſſione exiſtens, cum de jure poſſeſſionis dubitatur, ſcilicet reſtituendi omnia tempore medio recepta, ſi cadit in cauſa, *cap. ſuſcitata, de in integr. reſtit.*

CELEBRARE divina ubicunque poſſunt prædicatores & minores, *cap. in his, de privileg.*

CELLA, *cap. privilegium, 4. de verborum ſignificatione; in 6.*

CENSURA Eccleſiaſtica dicitur excommunicatio, ſuſpenſio, & interdictio, *c. quærenti, 20 de verbor. ſignific.*

## *Cenſus ex quibus cauſis debeatur.*

Si CENSUS in prædio alicujus conſtitutus ſit per Legatum, indictionem vel ſimilem aliquem modum, debetur. Quod fallit ſi Eccleſiæ cenſus ſit impoſitus, *cap. ſcientes. 3. cap. prohibemus, 7 cap. cum Clerici, 11. de cenſibus. cap. præterea, 23. de jure patronatus.*

Cenſus ab Eccleſia debetur, ſi in fundatione Eccleſiæ conſenſu Epiſcopi, cenſus ei ſit impoſitus, *d. cap. 23. verſ. prater antiquos. cap. ſignificavit, 13. §. quocirca, de cenſibus.* Niſi vetus cenſus poſtea ſit auctus, *dict. c. prohibemus, 7. verſ. nec veteres. & cap. gravis, 15. de cenſib.*

Cen-

UNED

Cenſus ab Eccleſia præſtatur, ſi Epiſcopus remittendo Eccleſiæ jura Epiſcopalia cenſum ei impoſuerit, *cap. conſtitutus*, 6. *de religioſis domib.* non tamen, ſi Epiſcopus Eccleſiam a Laicis occupatam illis eripuerit, *cap. Eccleſiis*, *de cenſib.* neque etiam jusjurandum de perſolvendo cenſu præſtitum ſit, *cap. ſignificavit*, 13. & *cap. gravis*, 15. *eod. tit.*

Si Eccleſiæ auctoritate ſuperioris cenſus impoſitus eſt, debetur, *cap. præterea*, 8. *verſic. ſi Pontificis*, *dict. tit.* Niſi nulla juſta cauſa ſubſit, *dict. cap. ſignificavit*, 13. §. *fin.*

Ex Præſcriptione, ut ſi multis annis cenſus ſint perſoluti, debentur. Niſi Clericus ſine auctoritate ſuperioris ex reditibus Eccleſiæ cenſum perſolverit, *dict. cap. præterea*, & *c. cum Cler.* 11. *de cenſib.*

Neque etiam debetur Cenſus, cujus cauſa ignoratur, *cap. pervenit*, 5. *eod tit.*

Cenſus a privata perſona impoſitus, perſonalis eſt, nec ejus vitam excedit, *cap. præterea illi*, *de cenſib.*

Cenſus dicitur perſonalis, niſi exprimitur quod ſit realis, *cap. veniens*, *de tranſact.*

Cenſus novus Eccleſiis non imponatur, *cap. ſcientes*. & *c. prohibemus*, *de cenſib.*

## *De petitione Cenſuum.*

Cenſum petens, cauſam exprimere debet, ex qua debeatur, *cap. pervenit*, *de cenſibus*.

Cenſus a miſerabilibus perſonis non eſt extorquendus, *c. licet de cenſib.*

## *De ſolutione Cenſuum; quid & quantum debeatur?*

Si cenſus annui diverſis menſuris ſoluti ſunt, in minori Menſura debentur, *cap. ex parte*, 18. *de cenſib.*

Solvendi ſunt cenſus in antiqua Moneta, in qua ſunt inſtituti, *cap. penult. de cenſibus.* Niſi ſolutio alterius monetæ ſit præſcripta, *cap. olim*, 20. *dict. tit.* item niſi antiqua moneta in uſu eſſe deſierit: tunc enim æſtimatio ejus perſolvenda, *d. cap. penult. in fine*

Ne ratione cenſus vel alterius actionis Plus debito exigatur, *c ea quæ de*, 12. *d. tit.* & *cap. quia plerique*, 8. *de immunitate Eccleſ.*

Cenſus ignorantiæ ſolvi non debent, *cap. pervenit*, *de cenſib.*

Cenſum non ſolvens per biennium, amittit rei detentionem, *cap. querelam*, *de jurejur.*

Cenſus ſolutio eſt ſubjectionis probatio, *cap. omnis*, *de cenſibus*.

Cenſum ſolventes domino Papæ, tales Eccleſiæ ſunt exemptæ, *cap. recepimus*, *de privileg.*

Cenſus tempore certo & certa ex cauſa debet ſolvi, *c. pervenit*, *de cenſib.*

CERTIORARI ulterius non oportet eum qui certus eſt, *cap. eum qui*, 31. *de reg. jur. in* 6.

CESSIO Epiſcopi quando & quibus de cauſis admittitur, *c. niſi*, *de renunciat.*

Cedere non poteſt Epiſcopus auctoritate propria, *cap. quanto*, *de translat. Epiſc.*

Cedens propter honeſtam cauſam iterum poteſt reaſſumi, *cap. poſt translationem*, *de renunciat.*

Ceſſio ſufficientis & ſancti difficulter admittitur, *cap. literas*, *eod. tit.*

Ceſſionem petens & impetrans compellitur, ſi nolit, *c. quidam cedendi*, *eod. tit.*

CHARITATIS Definitio ſeu potius Deſcriptio, *de pænit. diſt.* 2. *c. charitas eſt*, *in pr. uſque ad* §. *ergo ſi charitatem.* item appellatur unctio inviſibilis, *d. diſt.* 2. *cap. unctio.*

Charitatis diviſio in perfectam & imperfectam, *d. diſt.* 2. *cap. Charitas in quibuſdam.*

Dilectio proximi ſpecialiter deſcribitur, *d. cap. Charitas eſt.* §. *proximos ; uſque ad dict* §. *illi vero plus quam ſe: item* 23. *quæſt.* 4. *cap. debet.*

de Charitate ſui ipſius ſeu philautia, quatenus conceſſa, *d. c. charitas eſt.* §. *corpus noſtrum.* & ordo charitatis perverſus quis ſit, *dict. cap. charitas eſt.* §. *ordinem dilectionis.*

Charitas non excidit, vel deſeri nequit, *de pænit. diſt.* 2. *charitas quæ. c. radicata. c. charitas eſt. in princ. verſ. corruptionis neſcia. cap. charitas nunquam. cap. unctio cap. ficta. cap. firmum. Contradicit d. diſtin.* 2. *cap. ut cognoverunt c. enim. c. ult.* §. *charitati. uſque ad fin.* & diſtinguitur regula propoſita in charitate imperfecta, *d. diſt.* 2. *c. charitas eſt aqua.* §. *fin. cap. ſuper tribus.*

Charitas Eccleſiæ peccata dimittit ac tenet, *dict. diſt.* 4. *cap. Eccleſiæ.*

Sine Charitate non remittitur peccatum, *de pænit. diſt.* 2. *cap.* 1. §. *fin. cap. charitas eſt aqua.* §. *ſine charitate.* §. *Amen, Amen. cap. ego ſum. ibid. diſt.* 7. *c. nullus.* §. *ſcriptum eſt.*

Charitatem habens non peccat, *d. diſt.* 2. *cap.* 1. §. *fin. c. ficta charitas* §. *fin.* & qui charitatem habet, non ſitiet in æternum, *d. diſt.* 2. *c. charitas eſt aqua*, *in princ.*

Charitas liberat a mundanis cupiditatibus, *dict. diſt.* 2. *cap. valida. cap. charitas eſt. in princ. verſ. mors criminum*, §. *ergo ſi charitatem. verſ. ſeculi blandimenta.*

Charitas facile peccato reſiſtit, *d.* §. *ergo ſi charitatem.* §. *quoniam ſi ex toto corde.*

Charitas omnia difficilia perficit, *dict.* §. *ergo ſi charitatem. verſ. & omnia* & omnia tolerat, *de pænit. diſt.* 3. *c. ult.* §. *hæc propter.*

Omnium bonorum radix eſt charitas, *de pæn. diſt.* 2. *c. quia radix.* & Charitas eſt excellentior via ad Deum, *dict. cap. charitas eſt.* §. *hæc eſt charitas.*

Bona Opera ſine charitate non proſunt, declaratur *de pæn. diſt.* 3. *dict. cap. ult in princ.*

an Charitas ſit in reprobis, & iis qui aliquando peccaturi ſunt criminaliter, diſſeritur, *d. diſt.* 2. *c.* 1. § *fin. cap. ſi enim.* §. *fin. cap. Apoſtolus. c. mirandum. c. multi bene.* §. 1.

Charitatis contrarium eſt odium, *de pænit. diſt.* 2. *c. tolle charitatem. Hæc ac charitate.*

de CHRISTI nomine, *cap.* 2. § *quia vero. verſic. Chriſtus enim*, *de ſacra unctione.*

Chriſtus verus Deus & verus homo eſt, *cap. in quadam*, 8. *de celebrat. Miſſarum. Clemen.* 1. *in princ. de ſumma trinitate cap. cum Chriſtus*, 7. *de hæreticis.*

Chriſtus Fundamentum eſt: quo deficiente, deficit id quod eſt ſuperædificatum, 1. *q.* 1. *c. cum Paulus.*

Chriſtus Panis eſt vivus, *de Conſecr diſt.* 2. *c. Chriſtus.*

Chriſtus quotidie Immolatur, cum corpus & ſanguis ejus ſumitur, *d. diſt.* 2. *cap. ſemel immolatus. de pæn. diſt.* 1. *cap. poteſt fieri.* §. *ficus.*

Semel Mortuus, non amplius morietur, *de conſecr. diſt.* 2. *cap. ſemel Chriſtus.*

Chriſtus pingendus eſt ſpecie hominis, non agni, *de conſecr. diſt.* 3. *c. ſextam.*

de Chriſti gratia, *de conſecr. diſt.* 4. *c gratia. cap. antepenult. cum duobus ſequentibus.*

Signum Deitatis in Chriſto eſt, quod ſuper eum deſcenderit & manſerit Spiritus Sanctus, *de pæn. diſt.* 2 *cap. quærendum.*

CIRCUMSTANTIÆ decem a teſtibus inquirendæ ſunt, *c. cum cauſam*, *de teſtibus.*

Circumſtantiis probatur crimen adulterii, *c. literis*, *de præſumpt.*

CITATIO non valet, ſi plures quam quatuor citantur, *cap. nonnulli*, *de reſcript.*

Citatio extra provinciam ultra duas dietas non valet, *ibidem.*

Citatio, ſi plures conditiones manifeſte inconvenientes habeat, non valet, *cap. accedens*, *ut lit. non conteſt. non procèd.*

Citatio ad locum periculoſum vel inhoneſtum non valet, *cap. ex literis*, *de off Jud. deleg.*

Cita-

Citatus legitime per ſuum ſuperiorem, etiamſi diœceſim mutaverit, juriſdictioni tenetur reſpondere, *cap. propoſuiſti, de foro compet.*

Citatus ad judicium debet comparere, & ſuum privilegium allegare, alias ſententia tenet, *cap. ſi duobus, de appellat.*

Citatus a ſecundo non tenetur reſpondere, niſi prius ſciat juriſdictionem prioris eſſe revocatam, *cap. ex tenore, de reſcript.*

Citationi reſcriptum Papæ eſt inſerendum, *cap. præterea, de dilat.*

Citari debet procurator abſente domino, & ſi ille non ſit, denuncietur domui ejus, *cap. ſi adverſarius, de eo qui mitt. in poſſ.*

de CIVIUM ornatu & fuco mulierum, *de conſecr. diſt. 5. c. fucare.*

CLANDESTINUM matrimonium aſſerentes, vel etiam negantes, non ſunt ab Eccleſia compellendi, *cap. quod nobis, de clandeſtin. deſponſ.*

Clandeſtine contrahentium in gradu prohibito, etiam ignoranter, proles illegitima cenſetur, *cap. cum inhibitio, eod. tit.*

Clandeſtinum matrimonium carnalis copula ſequens ligat, ſive de præſenti, ſive de futuro, *cap. 1. eod. tit. & cap. is qui, de ſponſ.*

Clandeſtinus contractus in facie Eccleſiæ eſt innovandus, *cap. 2. de clandeſtin. deſponſ.*

Clandeſtina matrimonia prohibentur, *cap. cum inhibitio, eod. tit.*

Clandeſtinum matrimonium debet probari per virum, *cap. ſi quis, eod. tit.*

Clandeſtino matrimonio conſentiens Sacerdos punitur per ſuſpenſionem per triennium. *c. final. §. final. eod. titul.*

Clandeſtinum matrimonium a contrahentibus publicatum confirmat Eccleſia, *c. quod nobis, eod. tit.* niſi rationabilis cauſa impediat.

CLAVIS *extravag. Joan. XXII. quia quorundam, 5. §. clavis eſt, d. tit.*

CLERICUS in conflictu exiſtens promoveri poteſt, ſi neminem percuſſit, & armis poteſt reſiſtere inimicis ſuis vim ſibi inferentibus, *cap. præſentiam, de Cler. percuſſ.*

Clericorum nomine Canonici intelliguntur, *cap. cum tibi, de verbor. ſignificat.*

## *Clericorum officium.*

Clericus ſine conſenſu Epiſcopi, alterius juriſdictioni ſe non ſubjiciat, *cap. ſignificaſti, de for. compet.*

Clericus comam non nutriat, eam nutriens invitus tondeatur, *cap. Clericus. de vit. & honeſt. Cler.*

Clericus judicio ſeculari ſe non ſubjiciat quoad pœnam, & percutiens ſic eſt excommunicatus, *c. contingit, de ſent. excomm.*

Clericus Laico in temporalibus non miniſtret, *c. Sacerdotibus. & cap. ſed nec. ne Cleric. ſe negot. ſecul. immiſc.*

Clericus alterius diœceſis ad ordines non tranſeat, nec recipiatur ſine literis ſui Epiſcopi vel Papæ, *c. fraternitate, de Cler. non reſign.*

Clerici canes vel aves ad venandum non habeant, *c. 2. de Cler. venat.*

Clerici officia ſive commercia ſecularia non exerceant, *cap. Cler. 2. de vit. & honeſt. Cler.*

Clericus in ſacris ordinibus conſtitutus, non debet eſſe tabellio in cauſa criminali, *c. ſicut te. ne Cler. ſe negot. ſecul. immiſc.* nec cauſam vel judicium ſanguinis agitet, vel literas ſcribat vel dictet, *cap. Cler. eod tit.*

Clericus prælaturam vel curam habens animarum, vel Sacerdos, Phyſicam vel leges non audiat: alias, ſi intra duos menſes non redierit, eſt excommunicatus, *c. ſuper ſpecula, ne Cler. vel Monach.*

## *Privilegia Clericorum.*

Clericum tenens in vinculis, ſolum, eſt excommunicatus, *cap. nuper a nobis, de ſent. excomm.*

Clericum verberans privatim etſi non ſit convictus, a Papa abſolvendus eſt, *cap. porro, de ſentent. excomm.*

Clerici ad judicium ſeculare non trahantur, *cap. qualiter, de jud.* nec a ſecularibus condemnentur, ſed coram Judice Eccleſiaſtico tractentur cauſæ eorum, *cap. nullus. de for. compet.*

Clericus a Laico judicari non debet, niſi depoſitus, *cap. Cler. de judic.*

Clericus de calumnia jurare non debet, niſi per alium, nec religioſus irrequiſito ſuperiore, vel Clericus inconſulto Epiſcopo, *cap. 1. de juram. calumn.*

Clericum percutiens quis vel ſe expurget, vel abſolvatur, alias quaſi excommunicatus habetur, *cap. cum deſideres, de ſentent. excomm.*

Clericus abſens poteſt per alium de beneficio inveſtiri, *cap. accedens, de præbend. & dignit.*

Clericum verberans Papam adeat, niſi ſit intra annos puberes, *cap. ſuper eo, 2. de ſentent. excommun.*

Clericus moriens poteſt conferre bona ſua intuitu perſonæ cui vult, & etiam alia mobilia ſervis vel cognatis, vel piis locis, *cap. ſed hoc, de ſucceſſ. ab inteſt.*

Clericorum percuſſoribus faventes, vel liberare nolentes, cum manifeſto poſſint facinori obviare, & non faciunt, incidunt in Canonem, *cap. quanta, de ſentent. excommun.*

Clericus poteſt convenire Epiſcopum coram Metropolitano, *cap. ſolicitudinem, de appellat.*

Clerici depoſiti non ſtatim debent tradi judicio ſeculari per Epiſcopum, *cap. ut ſi Clerici, de judic.*

Clerici tempore interdicti poſſunt ſepeliri in cœmeterio, ſi interdictum bene ſervarunt, *c. quod in te, de pœnit. & remiſſ.*

Clerici de bonis Eccleſiæ ſubvenire non debent Judicibus ſecularibus ſine licentia Papæ, niſi in neceſſitate, *cap. non minus, & cap. adverſus, de immunit. Eccleſiar.*

Clericus furem in foro ſeculari poteſt convenire civiliter, ſed non criminaliter, *cap. Henricus, de Cleric. pugn. in duell.*

Clerici poſſunt poni in locis religioſis, ſi defuerint regulares, *cap. inter quatuor, de religioſ. domib.*

Laicus Clericum capere poteſt tantum de mandato Prælati ſui, alioquin excommunicatur, dummodo etiam non excedat, niſi quantum rebellio exigit defendentium, *cap. ut fama, de ſent. excommun.*

Clericis in ſacris ordinibus conſtitutis non debet pœnitentia publica injungi, *cap. quæſitum, de pœnitent. & remiſſ.*

Clericus Laico fidelitatem jurare non tenetur, niſi aliquod temporale teneat ab eodem, *c. nimis, de jurejur.*

## *Clerici, quomodo privilegia ſua amittant, vel alias puniantur.*

Clericus negotia ſecularia exercens, amittit privilegium Clericale, *cap. ex literis, de vit. & honeſt. Cleric.*

Clericus fur auctoritate ſuperioris ligari poteſt & torqueri uſque ad reſtitutionem, *c. gravis, de depoſit.*

Clericus poſt trinam admonitionem a ſuo Epiſcopo, arma portans habitu Clericali relicto, non gaudet privilegio Clericali, *cap. in audientia, de ſent. excomm.*

Clericus verberari poteſt per ſuperiorem diſciplinæ cauſa, ſimiliter Monachus & Converſus, vel Clericus per Clericum, vel Monachus per Monachum de mandato ejus, *cap. univerſitatis, de ſentent. excomm.*

Clericus habitum & tonſuram dimittens non debet defendi ab Eccleſia, *cap. præterea, de Apoſtol.*

Clericum guerram & ſeditionem facientem interficiens, non eſt mittendus ad Papam, *cap. perpendimus, de ſentent. excommun.*

Cle-

UNED

Clericus propter hæreſim depoſitus, tradatur Judici ſeculari, *cap. ad abolendam, de hæretic.*

Clericus delinquens in habitu & tonſura ſeculari puniatur ut Laicus, *c. contingit, 2. de ſentent. excomm.*

Clericus duellum iniens, ſive obtulerit, ſive ſuſceperit, deponendus eſt; poterit tamen cum eo diſpenſare Epiſcopus, ſi mors, vel mutilatio membri inde non ſit ſecuta, *c. 1. de Cler. pugnantib. in duell.*

COACTIO voluntati contraria excuſat peccatum, 15. *quæſt. 1. cap. quod autem. § ſed hoc & cap. merito.*

Coactio an in cauſa religionis locum habeat? quod non, 45. *diſt. cap. de Judæis.* quod ſic, 23. *qu.* 4. *c. ipſa pietas. & cap. quid faciat, cum ſimilibus.*

Coactio non tenet in obligatione, ubi non ſequitur aſſenſus, ſimiliter nec in matrimonio, *c. 1. de iis quæ vi metuſve cauſ. fiunt. & c. cum locum de ſponſ.*

Coacta officia Deo diſplicent, 23. *q. 6. c. jam vero.*

COADJUTOR datur Clerico ægrotanti, *c. de Rectoribus, de Cler. ægrotant.*

COEMETERIA ubi excommunicati ſunt ſepulti, reconcilientur aqua benedicta ſolenniter, *cap. conſuluiſti, de conſ. Eccleſiar.*

COGITATIONIS pœna eſt ex lege divina, 49. *diſt. c. hinc enim, ante fin.*

In cogitatione voluptas reprimenda, ne etiam in actu dominetur, *d. c. hinc enim.*

a COLLECTIS & muneribus cæcus immunis eſt, *c. licet multum, 4. de cenſib.*

COLLEGIUM conſtituere ſine auctoritate ſuperioris non licet, *cap. dilecta, 14. de exceſſib. Prælator.*

Collegium ſive corpus debet habere ſyndicum, *cap. unic. de Syndico.*

COMMISSIONES duæ ſuper eodem negotio impetratæ, niſi una de altera faciat mentionem, non valent, *c. ex tenore, de reſcript.*

COMMITTENS in leges, fruſtra leges invocat, *c. quia fruſtra, 14 in pr. de uſuris.*

COMMODUM ſentire debet, qui ſentit onus & contra, *cap. qui ſentire, 55. & cap. rationi, 77. de regul. jur. in 6.* Ex eo non debet quis fructus conſequi, quod niſus extitit impugnare, *c. eo, 38. de regulis juris, in 6.*

in re COMMUNI potior eſt conditio prohibentis, *c. in re communi, 26 de regul. juris, in 6.*

COMMUTATIO præbendarum vel dignitatum ſine Epiſcopo non fiat, *cap. quæſitum, de rer. permutat.*

Commutatio Eccleſiæ fieri poteſt, licet non venditio, *cap. ad quæſtiones, eod tit.*

Commutatio ſpiritualis cum ſpirituali, temporalis cum temporali fieri poteſt, ſed non ſimul confuſe, *d. c. eod tit.*

COMPENSATIONIS exceptio oppoſita, condemnationem minuit, niſi depoſiti actione agatur, *c. 2. §. ſane depoſitori, de depoſito.* vel niſi debitum, quod opponitur, dubium ſit, non liquidum, *d. c. 2. §. fin.*

COMPASSIONEM vera juſtitia non debet habere, 43. *diſt. c. vera, 23. q. 4. c. eſt injuſt.*

COMPROMISSUM procuratoris debet dominus ratum habere: procurator tamen non debet compromittere ſine mandato domini, *cap. per tuas, de arbitr.*

Compromitti poteſt in Laicum auctoritate ſuperioris, *ibidem.*

Compromiſſio in Laicum de ſpiritualibus non valet, *cap. contingit, eod.*

Compromiſſione facta, quando non licet reſilire, *cap. in cauſis, de elect.*

Compromiſſionis fines ſervandi ſunt, alias non valet, *cap. conſtit. de appell.*

Compromiſſio facta de electione, ſemper intelligitur de idoneo, & ſic electus eſt recipiendus, *cap. cauſ. de elect.*

Compromiſſum non extenditur ad hæredes compromittentis, ſi de ipſis non caveatur, *ibid. & ult. d. arbitr.*

Compromiſſio tenet in beneficiis ſpiritualibus, *cap. niſi, de præb.*

CONCENTOR, *diſt. 21. cap. Cleros, §. Concentor.*

CONCESSIO Laici de re Eccleſiaſtica non valet, *cap. qui res, de reb. Eccleſ. non alien.*

Conceſſio præſumitur realis, niſi probetur fuiſſe perſonalis, *cap. cum veniſſent, de inſt.*

Conceſſionis verbo generali omnia concedi videntur, *ibid. & cap. nulli, de rebus Eccleſ. non alien.*

Conceſſio Epiſcopi Capitulo reclamante non tenet, per Capitulum facta tenet, niſi fiat contra mandatum Papæ, *c. cum nos, de iis quæ fiunt a Pral. & cap. 2. & 3. de conceſſ. præb.*

Conceſſionis auctoritas tranſit ad ſuperiorem, quando ſtatutum tempus negligitur, *capit. cum noſtris, eodem titulo.*

Concedere non poteſt Epiſcopus, ut in eadem Eccleſia plura quis habeat beneficia, *cap. literas, eod. tit.*

Ex conceſſione Epiſcopi poteſt haberi beneficium ſimplex habens curam animarum, *cap. de multa, de præbend.*

Conceditur nobilibus & literatis plura beneficia habere, ex diſpenſatione tamen Papæ, *ibid.*

Conceſſum ex gratia, nulli debet præjudicium generare, *c. bonæ memoriæ, de poſtulat.*

Conceſſio beneficiorum non vacantium prohibetur, *cap. 2. & 3. de conceſſ. præbend.*

## *De Conciliis.*

de CONCILII nomine & nominis ratione, *diſt. 15. c. 1. §. ſynodus autem, uſque ad fin.*

Antequam Concilia habeantur, prius de iis, quæ correctione indigent, inquirendum eſt, *cap. ſicut olim, 25. §. ut autem id valeas, de accuſat.*

Abſque Apoſtolicæ ſedis auctoritate Synodum particularem vel Concilium univerſale congregare non licet, *diſt. 17. in princ. cum cc. ſequentib. uſque ad c. ult. item 3. q. 6. c. dudum.* quod fallit ſi non ad generaliter aliquid definiendum, ſed ad corrigendum & indicendum id quod eſt ſtatutum, Concilia celebrentur, *diſt. 18. in princip.*

### *A quibus habenda Concilia?*

Regulares quoque Canonici, Abbates atque Priores poſſunt ac debent habere peculiare Concilium, *c. in ſingulis, 7. in princ. & §. hoc ipſum, de ſtatu Monachorum.*

### *Quando & quoties habenda Concilia?*

Singulis annis habenda Concilia provincialia, *cap. ſicut olim, 25. in princ. de accuſationib. diſt. 18. cap. quoniam quidem: in princ.*

Singulis annis bis habenda Concilia provincialia, *diſt. 18. cap. de Conciliis, in princ. cap. propter Eccleſiaſticas, in princ. c. pervenit. c. quoniam, in princ. cap. propter Eccleſiaſticas, in princ.*

Regulares quolibet triennio Concilia celebrabunt, *c. in ſingulis, 8. in princ. de ſtatu Monachor.*

Aliquot certis Diebus continue habendum, *dict. cap. 7. §. hujuſmodi vero.*

### *Qui ad Concilia convocandi?*

De Abbatibus ad Synodum non cogendis, *diſt. 18. cap. Epiſcopus. item 18. q. 2. cap. ult. verſic. non enim.* fallit ſi rationibus cauſa ſubſit, *dict. verſic. non enim. & dict. c. Epiſcopus.* item fallit ſi Abbates populum habeant, *c. quod*

*quod ſuper, 9. de majoritate & obedientia.* denique fallit ſi Concilium ſit Abbatum ac Religioſorum peculiare, *cap. in ſingulis, 7. in princ. de ſtatu Monachorum.*

Capitula cathedralium Eccleſiarum ad Concilia provincialia vocanda & admittenda, *c. ult. de his quæ fiunt a Præl.*

Diaconos, Presbyteros, & omnes quotquot ſe læſos exiſtimant, præſentes eſſe oportet. *dict. c. 18. c. propter Eccleſiaſticas. §. in ipſis autem. c. antepenult. verſic. ita ut ad Concil.*

Hæretici ad Synodum non convocandi, *24. q. 2. capit. cum quibus.*

Imperatores Synodis intereſſe non debent, *d. diſt. 96. cap. ubinam.*

Niſi univerſalis ſit Synodus, in qua de fide agitur, *dict. cap. ubinam. verſ. niſi forte. & d. diſt. 96. c. nos ad fidem.*

Presbyteri religioſi populum non habentes, ad Synodum non cogendi, *c. nimis prava, 17. & ibi gloſſa, de exceſſ. Prælatorum.*

Suffraganei Epiſcopi convocandi, *c. ſicut olim, 25. in princ. de accuſationib. item diſt 15. c. propter Eccleſiaſt. §. admoneant autem.*

Univerſi Sacerdotes convocendi, *c. cum ſuper, 9. de majoritate & obedientia. & d. c 7. in princ.*

## *Forma Conciliorum.*

Ne quis ex vocatis ad Synodum religioſorum plus quam ſex evectiones & octo perſonas ſecum adducat, *cap. in ſingulis, 7. in princ. verſic. hoc adhibito, de ſtatu Monachor.*

Præſidentes Synodi ordinandi, *cap. 7. §. advocent autem, de ſtatu Monachorum.*

Juramentum ſynodale, *15 q. 6. cap. Epiſcopus.*

De Meditatione & Solicitudine Epiſcoporum congregatorum circa mandata divina, *diſt. 18. quoniam, §. ut autem. verſic. & ea fideliter, de accuſat.*

De Inquiſitis quæ correctione indigent, in Concilio proponendis, *cap. ſicut olim, 25. §. ut autem. verſic. & ea fideliter, de accuſat.*

De Inquirenda culpa præſidentium priorum cavetur, *cap. ea quæ, 8. §. ſequentes. verſic. idem etiam. dict. tit. de ſtatu Monachorum.*

De Corrigendis exceſſibus & majoribus reformandis, & querelis dijudicandis in Concilio, *d. c 25. in princ. verſic. in quibus. & d. §. ut autem verſic. ut ſuper his. item diſt. 18. c. de Conciliis verſic. in quibus. cap. propter Eccleſiaſtic. in princ. & c. antepenult. in princ. item de ſtatu Monachorum, c. in ſingulis, 7. § hujuſmodi vero.*

De diffidentibus Epiſcopis reconciliandis, *diſt. 90. c. diffidentes.*

De Muneribus a ſubditis accipiendis vel offerendis, *diſt. 18. c. quoniam. §. fin. & c. de eulogiis.*

De Viſitatoribus eligendis, & horum officio, *diſt. 18. c. 7. §. ordinentur etiam.*

De Sequentis Concilii vel Capituli loco definiendo, cavetur *diſt. 18. c. 7. §. proviſo.*

De cavendo, ne Eccleſiæ a Laicis lædantur, cavetur *diſt. 18. cap. 7. § fin.*

De vita communiter celebranda & communibus expenſis cavetur *diſt. 18. cap. 7. §. qui convenerint.*

De contumacia vocatorum non venientium, vel non habentium ſingulis annis ſynodum coercenda, *diſt 18. cap. non oportet. cap. pervenit. cap. quoniam. §. hunc ergo. cap. Epiſcopus. cap. placuit. cap. ſi quis autem. cap. ſi Epiſcopus. cap. ſi Epiſcoporum.*

De Die Paſcharis annunciando cavatur *de conſecr. diſt. 3. c. placuit ut poſtquam.*

De Statutis publicandis, *diſt. 18. c. ult.* item de ſtatutis Concilii obſervandis, *cap. in ſingulis, 7. §. & quod ſtatutum. § ſi vero. verſic. cæteris irrefragabiliter, de ſtatu Monachor. item cap. ſicut olim, 25. §. ut autem. verſic. & quæ ſtatuerint, de accuſationibus.* & de Pœna tranſgreſſorum, *dict. cap. 25. § fin.*



§ Denique de iis, quæ in Synodo expediri non poſſunt, ad Pontificem referendis, *dict. c. §. §. ſi vero. item diſt. 18. c. de Conciliis, in fine.*

CONCIONATORES a ſolo Epiſcopo ordinandi, *c. 1. de Capellis Monachor.*

Qualis debeat eſſe concionator, definitur, *8. q. 1. c. oportet.*

## *Qui concionari poſſit, vel non.*

De Laicis ad *Concionandum* non admittendis, *d. diſt. 23. cap. mulier. § Laicis. item de hæreticis. cap. cum ex injuncto, 12. & cap. ſicut, 14.*

De muliere ad concionandum non admittenda, *diſt. 23. c. mulier. item de conſecrat. diſt. 4. cap. mulier. item c. nova quadam. 10. de pœnit.*

De Monachis ad concionandum non admittendis, *cap. 1. de Capellis Monachor. item 16. qu. 1. c. de Monachis. §. fin. cap. Monachorum. non cap. adjicimus. cap. hinc eſt. §. item illud. item cap. unico. §. perſonis quoque, de religioſis domibus, in 6.* quod fallit ſi Monachus in Clericum fuerit ordinatus, *16. qu. 1. cap. ſunt nonnulli § fin. cum duobus cc. ſequentibus, uſque ad § non eſt humilitatis.* item fallit ſi Monachus ſit Canonicus regularis, *cap. quod Dei timorem, 5. de ſtatu Monachor.* tertio fallit ſi divina gratia intus commoniti Monachi concionentur, *26. qu. 1. cap. placet rationabilis. §. oſtendit ergo.* denique fallit ſi Monachi conſulantur ab aliis habitum Monachalem ſuſcepturis, *d. q. 1. cap. juxta Chalcedonenſis. verſic. & a populorum.*

Non ordinati ad concionandum non admittendi, *cap. excommunicamus, 13. §. quia vero, de hæreticis,*

## *Forma Concionandi.*

De Admonendo in concionibus populo, ut decimas & alia Eccleſiæ fideliter ſolvant *cap. 1. de decimis, in 6. Clem. cupientes, 1. §. illos etiam, uſque ad finem, de pœnis.*

De admonendo in concionibus populo, ut operas ſibi invicem exhibeant, *11. quæſt. 1. cap. te quidem. §. fin. cum cap. ſequente ſicut.*

Omnes ad audiendam concionem admittendi, *de conſ. diſt. 1. cap. Epiſcopus nullum.*

Ut diligenter Concionibus auſcultetur, *1. quæſt. 1. cap. interrogo.*

Ut ſtantes Evangelium audiant, *de conſecr. diſt. 1. c. Apoſt.*

Ne ante finitam Concionem peractam exeant, *d. diſt. 1. cap. omnes fideles, cum duob. cc. ſequentib.*

CONCUBINA *diſtinct. 34. cap. omnibus. §. concubina.*

Concubina Clerici excommunicata, excommunicatione majori involvitur Clericus accedens ad eam, *cap. ſi concubinæ, de ſent. excommun.*

Concubina Clerici ſecundum Canones puniatur, *cap. ſi quiſquam, de cohabit. Cler. & mulier.*

Concubinam retinens poſt admonitionem Clericus perpetuo ſuſpendatur, *ibidem.*

Concubinam reſumens Clericus perpetuo ſuſpendatur, *cap. Clericos, eod. tit.*

Literæ a Clerico concubinario ſuper abſolutione (tacita facti ſerie) obtentæ, non valent, *cap. ſuper, eod. tit.*

Concubinatus primo puniatur per beneficii ſuſpenſionem: deinde perpetuam ſubtractionem, *cap. ſicut, eod. tit.*

Concubinarii miſſa audiatur, & ab eo Eccleſiaſtica Sacramenta percipiantur, quamdiu ab Eccleſia toleratur, niſi valde notorium ſit talem com eſſe, *c. veſtra, eod. tit.*

Concubinam habenti Clerico purgatio indicitur, *cap tua nos, eod. tit.*

CONCUSSIONIS crimen, *quæſt. 1. cap. concuſſionis.*

CONDEMNARI non debet quis propter credulitatem aliorum, *c. qualiter & quando, 2. de accuſat*

CONDICTIO ex lege Adfine remedium interdicti unde vi eſt, ſi poſt appellatio-

nem quid ſit innovatum, *cap. bona memoria*, 51. *de appellat.*

CONDITIO contra ſubſtantiam matrimonii diſſolvit illud, *cap. conditiones, de cond. appoſit. in deſponſ.* alias conditio inhoneſta matrimonium non diſſolvit, dummodo non ſit contra ſubſtantiam matrimonii, *ibidem*. habentur enim in favorem matrimonii pro non adjectis, *ibid.*

Conditionis error impedit matrimonium & dirimit, *cap. propoſuit, de conjug. ſervor.*

Conditio ex alieno conſenſu dependens, non ligat, niſi conſentiat, *cap. ſuper eo, de condition. appoſ. in deſponſ.*

Conditio hæc, Centum ſi mihi dabis, te in uxorem ducam: in matrimoniis pro honeſta habetur & valet, nec tenetur eam in uxorem recipere centum non datis, *cap. 3. de condit. appoſit. in deſponſ.*

Ab omni conditione appoſita in matrimonio receditur per copulam carnalem, *cap. per tuas, eod. tit.*

Conditio hæc in literis Papæ intelligitur, ſi preces veritate nitantur, *cap. ex parte*, 1. *de reſcript.*

Sub conditione alterius conſenſus, traditio rei non valet, niſi conſentiat, *cap. olim*, 2. *de reſtit. ſpol.*

Conditio locum bene habet in ſpiritualibus, *cap. ſignificatum, de præbend. & dignit.*

Sub conditione data poſſeſſio revocatur ea ceſſante, *c. verum, de condit. appoſ.*

Sub Conditione manumiſſus ut fiat Monachus, Monachus fieri debet, *c. 2. eod. tit.*

Si CONDUCTOR damnum in fructibus perceptis vel percipiendis paſſus ſit, remittenda eſt ei penſio, *cap. propter*, 3. *in princip. de locato & conducto*. Niſi anni præcedentis vel ſequentis fructus fuerint uberiores, *dict. cap. 3. in princ. verſ. niſi cum ubertate*. vel niſi culpa conductoris damnum contigerit, *dict. cap. in princ. verſ. ſine culpa*.

Si quis hoſpitium ab alio Conductum ante tempus iſtius conductionis finitum ſine conſenſu Prioris conduxerit punitur, *c. 1. de locato & conducto*.

CONFESSUS in jure ut convictus condemnatur, *cap. cum ſuper, de confeſſ.*

Confeſſio etiam coram non ſuo Judice tenet, *c. & ſi Clerici, de judic.*

Confeſſio ſemper eſt facienda in anno, *c. omnis, de pænitent. & remiſſ.*

Confeſſio invita & coacta non præjudicat, *c. cauſam, de offic. delegat.*

Confeſſio criminis extra jus facta præjudicat, *cap. ult. de confeſſ.*

Confeſſio de ſeipſo in præjudicium aliorum credi non debet, *eod. tit. c.* 1.

Confeſſio a non pœnitentibus recipienda eſt, & pœnitentia injungenda: *cap. quod quidam, de pænitent. & remiſſ.*

Confeſſionem poteſt quis alteri Sacerdoti facere, licentia non obtenta, tamen petita, *c. omnis, de pænit. & remiſſ.*

Confeſſor ſciens, excommunicatum aliquem in confeſſione ſolus tenetur eum vitare, & non in publico, *c. cum non ab homine, de ſentent. excommun.*

Confeſſio procuratoris per errorem, negotio nondum finito, non obeſt domino ſi revocat, nec fit per hoc litis conteſtatio, *c. cum cauſam, de appellat.*

Confeſſus crimen, ſuper eodem alium accuſans non auditur, *c. veniens, de teſtib.*

Confeſſio, qualis eſſe debeat, & qualiter ſe habere, & cui confitendum, & pœna revelantis confeſſionem, *c. fin. & c. omnis, de pænit. & remiſſ.*

CONFIRMATIO contra jus obtenta non valet, *c. examinata, de confirmat. util. vel inutil.*

Ante confirmationem electi non debent beneficia ſua conferre alicui, *c. cum in electis, de elect.*

Ante confirmationem poſſunt adminiſtrare in concordia electi Papæ ſubjecti immediate, ſi ſint valde remoti ultra Italiam, dum tamen de rebus Eccleſiæ nil alienent, *c. nihil eſt de elect.*

Confirmatio Prælatorum inferiorum pertinet ad Epiſcopum, *c. conſtitutus, de appell.*

Confirmatio Papæ perſonalem tranſactionem facit realem, *c. cum apoſtolica, de iis quæ fiunt a Prælat.*

Confirmatio impetrata lite pendente non valet, nec tenet ſententia contra jus lata, etiam per ſuperiorem confirmata, *c. bonæ, & c. examinata, de confirmat. util. vel inutil.*

Confirmatio Papæ ex certa ſcientia tenet, etſi alias non valeret, *c. venerabilis, eod. tit.*

Confirmare non intendit Papa factum Legati contra Epiſcopum. *c. ſua nobis, eod. tit.*

Confirmari poteſt factum dubium inferioris, per ſuperiorem diœceſanum, *cap. cum monaſterium, de elect.*

Confirmari poteſt ſententia lata juris ordine prætermiſſo, *cap. ad petitionem, de accuſ.*

Confirmationem poteſt quis petere per interpoſitam perſonam, *c. nihil eſt, elect.*

Confirmatio per ſubreptionem obtenta non valet, *cap. de confirmationib. de confirmat. util. vel inutil.*

Confirmatio ſententiæ a qua appellatur, quando valet & quando non, *cap. bonæ memoriæ, eod. tit.*

Confirmatus in Archiepiſcopum non poteſt transferri in Epiſcopum, *cap. 1. de translat.*

Confirmari poſſunt pueri tempore interdicti ab Epiſcopo, *cap. reſponſo, de ſentent. excommun.*

CONFISCATIO non tollit jus uxori: ideoque bonis damnati publicatis, uxor dotem ſalvam habet, *c. decrevit*, 14. *de hæreticis, in 6.*

CONGREGATIO dicitur, ubi duo vel tres fuerint inſimul, *c. 1. de elect.*

CONJUGATORUM neuter ſine altero religionem ingredi poteſt, *c. cum ſit, de converſ. conjug.*

Conjugatorum alter, altero invito, ante carnalem copulam poteſt ordinem intrare, *cap. verum. eod. tit.*

Conjugum religionem intrantium ſeparatio ad Epiſcopum pertinet: alias revocatur: ſi alter ſuſpectus habeatur, alter intret ordinem, vel voveat continentiam, & non ſit ſuſpectus, *cap. 1. eod. tit.*

Conjugum alter ſeparatus propter fornicationem, poteſt ordinem intrare, *c. gaudemus, eod. tit.*

Conjugatorum alter, ſi ab altero fraudulenter obtineat licentiam intrandi ordinem, non valet, niſi alter ipſum ſequatur ad religionem, *c. accedens, eod. tit.*

Conjugatus tenetur alterum expectare, donec certus ſit de morte ejus, *c. in præſentia, de ſponſal.*

Conjugatorum altero relinquente ſeculum, poteſt is qui remanſit contrahere, ſi non fuerit carnalis copula ſecuta, *c. verum, de converſ. conjug.*

Conjugatorum alter ordinem intrans invito altero, perdit jus petendi debitum, & poſt mortem alterius, ſi exierit, non compellitur redire, ſed continere, *c. quidam, & c. placet, eod. tit.*

Conjugatorum altero intrante religionem, qui remanet tenetur vel intrare, ſi eſt ſuſpectus, vel ſi non eſt ſuſpectus, tenetur continentiam vovere, *c. cum ſit, eod. tit.*

Conjugatus propter infidelitatem ſeparatus, judicio Eccleſiæ peracta pœnitentia, ſi ordinem intrare noluerit, compellitur fideli cohabitare relicto, *c. ult. eod. tit.*

CONJURATORES & conſpiratores, *cap. conſtitutionem*, 2. *§. cæterum, de verb. ſignif. in 6.*

COMPATERNITAS non contrahitur per ea quæ præcedunt baptiſmum, *c. contracto, de cogn. ſpirit.*

Compater viri non poteſt uxori ſuæ copulari poſtea, poſt ejus mortem, *cap. Martinus, eod. tit.*

Ante compaternitatem natus non contrahat cum filia mediante.

UNED

mediante qua facta eſt compaternitas: & ſi contraxerit dirimatur, *c. tua nos, eod. tit.*

Filii duorum compatrum, per quorum neutrum deventum eſt ad compaternitatem, licite contrahunt, niſi reſiſtat conſuetudo, *c. 1. & c. ſuper eod. tit.*

CONPURGATORES, qui ad purgandam alicujus infamiam inducuntur, id ſolum juramento tenentur firmare, quod credunt veritatem eum dicere qui purgatur, *cap. de teſtibus, 13. de purgat. canonic.*

CONSANGUINEAM uxoris cognoſcens nunquam debitum petat ab uxore ſua, *c. 1. de eo qui cognov. conſang. uxor. ſua.*

Conſanguineo infideli non poteſt Clericus legare, *cap. ſancto, de ſucceſſ. ab inteſt.*

A conſanguineis uxoris abſtinendum eſt ut a propriis *cap. ex literis, de conſanguin. & affin.*

Conſanguinei teſtes eſſe poſſunt in cauſa matrimoniali, *cap. videtur, qui matrimon. accuſ. poſſunt.*

Conſanguineus teſtis præfertur in cauſa matrimonii, *c. quoties, de teſtib.*

Conſanguineus conſanguinei ſponſam ducere non poteſt, *cap. ſponſam, de ſponſ.*

Conſanguineam ſponſæ præcognoſcens, ſponſam poſtea ducere prohibetur, *c. tertio loco, 13. de præſumpt.*

CONSECRATIO Eccleſiæ & Chriſmatis & Epiſcoporum non debet fieri, niſi cum Miſſæ celebratione, *cap. quod ſicut, de elect.*

In conſecratione Eccleſiarum prius eſt dos aſſignanda, *cap. cum ſicut, de conſecrat. Eccleſ.*

Reconſecrari debet altare, ſi motum ſit, vel lapis fractus, nec propter hoc Eccleſia reconſecratur, *cap. ad hæc, eod. tit.*

Conſecrantur bene Eccleſiæ diebus feſtis & ferialibus, *cap. tua, de conſecrat. Eccleſ. vel alt.*

Conſecrari non eſt neceſſe Eccleſiam ſanguine pollutam propter homicidium, ſed & alio modo poteſt reconciliari, per aquam nempe, vinum & cinerem benedictum, *cap. propoſuiſti, 4. eod. tit.*

Conſecrari etiam poſſunt multa altaria & multi Epiſcopi, *cap. cum ſit, eod. tit.*

Conſecrari debet Eccleſia polluta ſanguine vel ſemine humano, etiamſi prius non fuerit conſecrata, *cap. ſi Eccleſia, final. eod. tit.*

Reconſecrari non debet altare, in extremis tantum fractum, *cap. ligneis. eod. tit.*

Conſecrari debet Epiſcopus ad minus a tribus cæteris Epiſcopis, conſentiente Archiepiſcopo, *capit. Epiſcopus, diſt. 23.*

Pro conſecratione Eccleſiæ procuratio peti poteſt, *cap. cum Romana, de ſimon.*

Conſecrationem electi poteſt committere Archiepiſcopus Suffraganeis, *cap. quod ſedem Apoſtolicam, de offic. judic. ordin.*

Conſecratum non debet ad humanos uſus applicari, *cap. ad hac, de religioſ. domib.*

De conſecratione Regum habes *de ſacr. unct. cap. unic.*

De forma conſecrandi Epiſcopos legitur *in cap. Epiſcopi, diſt. 23. cap. 1. diſt. 75.*

De conſecrationis modo aliorum Clericorum habetur *in cap. presbyter. & cap. ſeq. uſque ad capitulum Pſalmiſt. diſt. 23.*

Forma conſecrandi Eccleſias traditur *in auth. de Monachis. §. illud. & c. placuit. 1. q. 1. & cap. 1. diſt. 1. de conſecr.*

Forma conſecrandi altaria aliaſque res ſacras explicatur *in dict. cap. unic. §. ungitur, de ſacr. unct. cap. altaris, & cap. placuit, diſt. 1. de conſecr.*

CONSENSU partium poteſt relaxare auctoritatem juris, *c. nonnulli, de reſcript.*

Propter conſenſus defectum confirmari nequit matrimonium impuberum, ante ætatem legitimam contractum, *cap. a nobis, de deſponſ. impub.*

Conſenſus non videtur eſſe, ſi metus intervenit, *c. cum locum, de ſponſal. & matrim.*

CONSENTIRE omnes debent in eo quod omnes tangit, *cap. quo omnes, 29. de reg. jur. in 6. c. ad hac, 7. §. fin. de officiis Archidiaconi.*

Qui tacet conſentire videtur: *cap. qui tacet, 43. de regul. jur. in 6.* licet qui taceat, non utique fatetur, ſed nec utique negare videtur, *c. is qui tacet, 44. d. tit.*

CONSERVATORES de manifeſtis injuriis tueri poſſunt, quæ indaginem juris non requirunt, *c. 1. de offic. deleg. in lib 6.*

Ex CONSILIO (dummodo fraudulentum non fuerit) nullus obligatur, *c. nullus, 62. de reg. jur. in 6.*

CONSTITUTIONIS definitio habetur *diſt. 2. c. conſtitutio.*

Conſtitutionum diviſio in civiles & Eccleſiaſticas habetur *diſt. 3. in princ.* Sed & dividuntur conſtitutiones in generales & perſonales.

Conſtitutio nullum liget, antequam ad eum perveniat, *c. cognoſcentes, de conſtitut.*

Conſtitutiones contra libertatem Eccleſiæ revocentur, *c. noverit, de ſentent. excommun.*

Conſtitutio non debet fieri in præjudicium futurorum, *c. cum omnes, de conſtitut.*

Conſtitutiones antiquæ non mutentur, niſi de conſenſu Epiſcopi, *c. cum conſuetudines, de conſtitut.*

Conſtitutionem publicam non oportet auribus ſingulorum intimari, *c. 2. de poſtulat. Prælat.*

Conſtitutio ſedis Apoſtolicæ omnes adſtringit, *c. fin. de conſtitut.*

Conſtitutio ad præterita non extenditur, niſi nominatim de eis caveatur, *d. c.*

Conſtitutio contra libertatem Eccleſiæ non tenet, *cap. ult. de reb. Eccleſ. non alien.*

Conſtitutio de uſuris fertur ad præterita, *cap. cum tu, de uſur.*

Conſtitutiones Eccleſiæ pro tempore variari poſſunt, *c. non debet, de conſang. & affin.*

Conſtitutio nihil debet ambiguum & obſcurum continere, *c. ult. de conſtit.*

Conſtituens patiatur legem quam ipſe tulerit, *cap. cum omnes, eod. tit.*

Conſtitutio confirmata per ſuperiorem, non poteſt revocari per conſtituens, *cap. cum acceſſiſſent, eod. tit.*

Conſtitutio facta a Laico etiam pro libertate Eccleſiæ non tenet, niſi per Papam approbetur, *c. Eccleſia, eod. tit.*

Conſtitutio de certo numero Canonicorum non valet, niſi per Papam confirmata fuerit, *cap. ex parte Epiſcopali, eod. tit.*

Conſtitutiones vim legis habent, *diſt. 8. cap. quæ contra. verſic. generale quippe.*

Conſtitutionum perſonalium definitio, item privilegiorum habetur *diſt. C. cap. regula. §. fin. cum c. ſeq. item 25. qu. 1. c. ult. §. cum ergo aliqua. verſ. privilegia namque.*

CONSUETUDO cujus non extat memoria, pro lege eſt habenda, *cap. ſeries, de teſtib. & atteſtationib.*

Conſuetudines ſuſtinens contra libertatem Eccleſia, excommunicatus eſt, *cap. noverit, de ſent. excomm.*

Ex conſuetudine hactenus præſtitum peti poteſt, *cap. ad hæc, de exceſſ. Prælat.*

Conſuetudo juri contraria non valet, *cap. ad audientiam & cap. quanto, de conſuet.*

Conſuetudo juri ſcripto non præjudicat, *c. Clerici de judic.*

Conſuetudo quod Laicus teſtificetur contra Clericum in cauſa criminali, præſertim ſi ejus fuerit inimicus, non valet, *cap. meminimus, 13. de accuſ.*

Conſuetudo quæ abſque peccato ſervari non poteſt, non valet, *c. ult. de præſcr.*



UNED

Conſuetudo in teſtamentis religioſis, factis ſine ſcriptis & teſtibus, valet, dummodo forma contrahendi ſecundum conſuetudinem terræ ſervetur, *cap. ex literis*, *de conſuetud.*

Conſuetudo de ſepultura puerorum tenenda eſt, ſecundum morem terræ, *c. de uxore*, *de ſepult.*

Conſuetudo de canonica portione valet, ſecundum morem & conſuetudinem terræ, *cap. certificari*, *eod. tit.*

Conſuetudo de contrahendo matrimonio cum ante vel poſt compaternitatem genitis valet, *cap. ſuper eo*, *de Cognat. ſpirit.*

Conſuetudo in teſtamentis, ut teſtes duo vel tres ſufficiant, non obſtantibus legibus, valet, *c. cum eſſes*, *de teſtam.*

Conſuetudo præjudicat juri communi, in ſuo loco tantum ubi viget, *c. cum dilectus*, *de conſuetud.*

Conſuetudo damnoſa Eccleſiæ abolenda eſt, *c. cum conſuetudine*, *de conſuetud.*

Conſuetudo dat juriſdictionem, *c. cum contingat*, *de for. compet.*

Conſuetudo de pluribus præbendis habendis in una Eccleſia non valet, *cap. literas*, *de conceſſ. præbend.*

Conſuetudo non excuſat in delictis, *cap. quanto*, *de conſuetud.*

Conſuetudo terræ in judiciis eſt, ſi bona ſit, *c. ad Apoſtolicæ*, *de decim.*

Secundum conſuetudinem loci decedens, debet relinquere Eccleſiæ matrici partem bonorum ſuorum, *cap. certificari*, *de ſepult.*

Conſuetudo eſt optima interpres legum, *c. dilectus*, *de conſuetud.*

Conſuetudo obſervetur in electionibus & beneficiis conferendis, *c. cum Eccleſia*, *de elect.* & *c. cum Eccleſ. de cauſ. propriet.*

Conſuetudines antiquæ ſunt magnæ auctoritatis, *c. cum conſuetudinis*, *de conſuetud.*

CONTEMTUS abſentis caſſat electionem, *c. quod ſicut ex literis.* & *cap. bonæ memoriæ*, *1. de elect.*

CONTESTATIO litis perpetuat juriſdictionem, *c. relatum*, *de offic. deleg.*

Conteſtatio & ſententia diffinitiva debent fieri coram principali, *c. ſuper quæſtion. eod. tit.*

Conteſtatio litis, ubi omittitur proceſſus, non valet, *c. dudum*, *de elect.*

Conteſtatio litis quomodo fit, *ibid.*

CONTRACTUS ex conventione legem accipere dignoſcuntur, *cap. contractus*, *85. de reg. jur. in 6.*

CONTRAHERE non poſſum cum ſorore mea adoptiva, durante adoptione, *c. ſi qua*, *de cognat. legal.*

Contrahere non poteſt filius carnalis cum filia ſpirituali, & e converſo, *cap. ex literis*, *de cognat. ſpirit.*

In contrahentibus conſideranda eſt ſcientia & ætas, *c. ex literis*, *de ſponſal.*

Contrahentes clandeſtine non poſſunt compelli cohabitare, *c. quod nobis*, *de clandeſtin. deſponſ.*

Contrahens uxoratus cum ignorante, prima uxore defuncta non poteſt petere divortium, niſi illa velit, *c. 1.* & *c. veniens*, *de eo qui dux. in matr.*

CONTRARIA Allegans, non eſt audiendus, *c. cum olim*, *19. §. fin. de cenſibus.* item cohærere & conjungi non poſſunt, quibus ſtudia & vota ſunt diverſa, *16. q. 7. c. in nona. § diſtingue.*

Contraria proponens, vel ſibi contrarius, ſuſpectus eſt, & non audiendus, *c. ſolicitudinem*, *de appellat.*

CONTUMAX non eſt, qui infirmitate impeditur, *cap. querelam*, *de procur.*

Contumax poteſt excuſari per nuncios, *ibid.*

Contumax eſt, qui comparet, ſed reſpondere non vult, *cap. 1. de judic.*

Contumax condemnatur in expenſis, a tempore quo cœpit eſſe contumax, adverſario expectante, *c. cum dilecti*, *de dol. & contum.*

Contra contumacem poſt litis conteſtationem ſententia diffinitiva dari debet, ſi liquet de jure, ſi non, adjudicetur præſenti poſſeſſio, *c. prout*, *de dolo & contum.*

Contumaciter recedens a judicio compellitur ſtare juri & tempori, & Eccleſiaſtica pœna puniendos eſt, *ibidem.*

CONVALESCERE ex poſtfacto non poteſt, quod abinitio non valet, *c. auditis*, *de elect.*

CONVENIRE vel conveniri non debet collegium ſine conſenſu Prælati, *c. cauſam*, *2. de judic.*

Conventus per literas duplices ad Judices diverſos, primis non revocatis, tenetur reſpondere ſecundis, *c. ex tenore*, *de reſcript.*

Sex conventionis vitia ponuntur, *cap. fin. eod. tit.*

Conveniri poteſt poſſeſſio rei pro domino, *c. quoniam frequenter. §. fin. ut lit. non conteſt.*

Conveniri ſimul quis non poteſt coram diverſis Judicibus, ſuper diverſis actionibus perſonalibus, *c. quia nonnulli*, *de reſcript.*

CONVENTICULA prohibentur, *de conſecr. diſt. 3. cap. ne quis jejunet. verſ.* & *ad alienas.*

CONVENTU irrequiſito non debet Abbas vel Abbatiſſa beneficium conferre, niſi propter privatam conſuetudinem, *c. continebatur*, *de iis, quæ fiunt a Prælat.*

de CONVERSIONE hominis, *32. q. 2. c. ancillam*, *§. fin. de pœn. de diſt. 1. c. convertimini*, *in princ. de pœn. diſt. 7. c. 1. c. ult. §. quod quamvis.*

CONVERSO Judæo ad fidem eſt parvulus puer aſſignandus, *c. 2. de converſ. infidel.*

Converſum verberans eſt excommunicatus, & a Papa abſolvendus, *c. non dubium*, *de ſentent. excomm.*

de COREPISCOPORUM differentia, *diſt. 68. c. quamvis.* Uſus Corepiſcoporum prohibetur, *d. diſt. 68. c. Corepiſcopi.*

de CREATIONE hominis, quare non ſimul, ſed alter ex altero ſit creatus, diſſeritur, *33. quæſt. 5. c. ult. in princ.*

Quid ſit quod ad ſimilitudinem Dei dicitur homo creatus, *de pœnitent. diſt. 1. c. ſimilem.*

Si CREDITOR ad extorquendum debitum vim adhibuit debitori, jus crediti amittit, *16. quæſt. 6. in princ. cum duob. ſeq. cc.* & *ult. §. fin.* Niſi non creditor, ſed alius ipſius nomine, non tamen ipſius mandato vim intulit debitori, *d. quæſt. 5. c. placuit. §. fin. cum c. ſequente*, *ſi Epiſcopum.* & *c. ult. §. ſi ergo.*

Creditor ultra ſortem non poteſt petere, *c. ad noſtram*, *1. de jurejur.* Sed poteſt impenſas circa pignora factas deducere, *ibid.*

CRIMEN occultum non impedit promovendum, *c. ex tenore*, *de temp. ord.*

Crimen eſt ibi puniendum, ubi commiſſum, *de rapt. c. 1.*

Crimen tribus modis poteſt exponi, denuntiando, excipiendo, accuſando, *c. ſuper his*, *de accuſ.*

Crimen pro quo excommunicatur Laicus, deponit Clericum, *c. monaſteria*, *de vit. & honeſt. Cleric.*

Crimen per teſtes, non per actorem probatur, *cap. licet*, *de ſimon.*

Pro crimine nemo puniendus eſt, contra quem non laborat infamia, *c. inquiſitionis*, *de accuſat.*

In crimine participans eadem ſententia involvitur, *cap. ſi concubinæ*, *de ſentent. excommun.*

De crimine ſemel accuſatus, reaccuſari non debet, niſi iterum crimen replicet, *c. de his criminibus*, *de accuſat.*



UNED

Crimen publicum ordine judiciario probandum eſt, *c. dilectus, de ſimon.*

Crimina audita non diſſimulanda, ſed inquirenda ſunt, *c. crimina, de colluſ. deteg. & c. licet, de ſimon.*

Crimina paria pari compenſatione tolluntur, *cap. tua fraternitas, de adult.*

Criminoſus teſtificari non poteſt, *cap. cum oporteat, de accuſ.*

Criminoſo, in crimine ſocios accuſanti, non eſt credendum, excepto crimine læſæ majeſtatis, *c. 1. de confeſſ.*

Criminoſus pœnitentia peracta, repellitur a teſtificando in cauſa criminali, non in civili, *c. non debet, & c. teſtimonium, de teſtib.*

In criminali cauſa poteſt aliquando reſponderi per procuratorem, *c. cum dilecti, de dol. & contum.*

In cauſa criminali non debet procurator admitti, *cap. veniens, 15. de accuſat.*

Crimina quædam ſunt, in quibus culpa eſt relaxare vindictam, *c. 1. de poſtulat. Prælat.*

In cauſa criminali pater non recipitur pro filio, nec contra, *c. 3. qui matrim. accuſ. poſſ.*

Pro crimine occulto nemo debet publice puniri, *c. inquiſitionis, de accuſ.*

CUCULLA *Clement. 1. §. ſtatuimus. verſic. fin. de ſtatu Monachor.*

CULPA eſt immiſcere ſe rei ad ſe non pertinenti, *c. non eſt, 19. de reg. jur.*

D.

DAMNUM quod quis ſua culpa ſentit, ſibi, non aliis debet imputare, *c. damnum, 86. de reg. jur. in 6.*

Damni appellatione non continentur expenſæ, *cap. in noſtra, 8. de injuriis.*

Damnum dediſſe videtur, qui occaſionem damni dedit, *c. fin. de injur. & damn.*

Damno facto per anteceſſorem non obligatur ſucceſſor, ſi eſt in damnum Eccleſiæ, *cap. 2. de procur.*

In damnum Eccleſiæ alienata ſunt revocanda, *cap. ad audientiam, de reb. Eccleſ. non alien.*

Damnum faciens non excuſatur ignorantia, ſi ſcire debuit, quin teneatur ſatisfacere, *c. fin. de injur.*

DEBITOR plus obligatur, ſi alteri quam creditori ſolvit, *cap. ea te, de jurejur.*

Pro debitis ſolvendis poteſt Epiſcopus beneficium retinere, *c. pervenit, de fidejuſſ.*

Pro debitis alienis Eccleſia non gravetur, *cap. fraternitatem, de donat.*

Debita patris ſolvat filius, & Prælati prædeceſſorum ſuorum. *cap. 1. de ſolut.*

Debitor excommunicatus debet abſolvi, ſi non poteſt ſolvere, præſtita cautione, quod ſolvat cum poteſt, *cap. Odoardus, eod. tit.*

Debiti injuſti ſolutio per debitorem probari debet, *cap. is qui, eod. tit.*

Debito pro majori parte ſoluto, non debet pœna exigi, ſi aliud non poteſt ſolvi, *c. ſuam, de pœnit.*

Debitor tenetur liberare fidejuſſorem ab omni obligatione, *cap. conſtitut. de fidejuſſ.*

Indebite exactum, licet ex conſuetudine, non eſt ſolvendum, *c. ſane, de exceſſ. Prælat.*

Ad debita ſolvenda quatuor menſes conceduntur. *cap. quærenti, de offic. deleg.*

Si Debitor pro ſuo debito rem alienam obligavit, ad eam redimendam ipſe ejuſque hæres tenetur, *c. ex præſentium, 3. de pignoribus.*

DECEPTIS & non decipientibus, jura ſubveniunt, *c. cum univerſorum, de rer. permut.*

DECESSUS alicujus non impedit quin de ſtatu ejus cognoſci poſſit, *c. ſi quis Epiſcopus de hæretic.*

DECIMÆ quo jure introductæ ſunt, cavetur, *de conſecrat. diſt. 5. c. quadrageſima, §. fin. 16. q. 1. c. decimas. in princ. qu. 3. c. jubemus. §. decimæ, qu. 7. c. 1. §. oportet autem. c. decimas.*

De definitione ſeu potius diſceptatione decimarum, habetur *c. tua nobis, 26. §. verum ſi ad. verſic. quæ tributa, de decimis, 16. qu. 1. c. decimæ, in princ.*

De quatuor generibus decimarum juris veteris, cavetur *c. 1. in princ. d. tit.*

Decimæ dandæ ſunt de lana, fœno, molendinis, piſcariis, deductis expenſis, *c. pervenit, & c. paſtoralis, de decimis.*

Decimæ ſtatim ſolventur collectis fructibus, ante ſolutionem mercedis mercenariorum, *c. cum homines, eod. tit.*

A decimarum ſolutione nemo abſolvi poteſt per principem, *cap. tua, eod. tit.*

Decimæ dandæ ſunt de rebus omnibus licite acquiſitis, *cap. ex tranſmiſſa, eod. tit.*

Ad decimas dandas omnes tenentur, *cap. a nobis, eod. tit.*

Decimas detinens Laicus careat ſepultura Eccleſiaſtica, *cap. prohibemus, eod. tit.*

Decimæ dentur parochiæ illi, in cujus parochia ſua ſunt prædia, *cap. fin. de paroch. & alien. parœc.*

Decimæ jure hæreditatis teneri non poſſunt, *cap. ad hæc, de decim.*

Decimæ jure hæreditatis teneri non poſſunt, *cap. tua, & c. parochianos, eod. tit.*

Decimæ non debent retineri propter malitiam Clericorum, *cap. tua nobis, eod. tit.*

Decimæ dandæ ſunt de diverſis etiam ſeminibus, unius etiam agri, *cap. ex parte, eod. tit.*

Decimæ dandæ ſunt de omnibus bonis, de apibus & omni fructu terræ, *c. non eſt, eod. tit.*

Decimæ pertinent ad Eccleſiam parochialem de jure communi, *c. cum contingat, eod. tit.*

Decimas non tenentur dare Ciſtercienſes, hoſpitalarii, templarii, de terris quas propriis manibus & ſumptibus colunt, *c. ex parte, eod. tit.* de terris tamen quas tradunt aliis excolendas, tenentur ad decimas, *c. nuper, & c. licet, eod. tit.*

Decimæ tribuuntur in ſignum univerſalis dominii: item ſunt tributa egentium animarum, *c. tua nobis, eod. tit.*

Ad decimas perſolvendas compellendi ſunt Laici per cenſuram Eccleſiaſticam, ſi nolint perſolvere, *ibid.*

In decimis ſolvendis conſuetudo approbata ſervatur, *c. cum ſint, eod. tit.*

Decimarum ſolutio præcedit exactiones tributorum & cenſuum, *cap. cum non ſit in homine, eod. tit.*

Decimæ locari poſſunt quibuſcunque, *c. veſtra, de locat. & conduct.*

In decimis locum habere poteſt compoſitio, *c. ſuggeſtum eſt, 9. de decimis.*

Decimæ ſolvendæ ſunt, de terris quæ olim paſcuoſæ, nunc fructuoſæ ſunt, & de fundo ubi ſteterunt olim domus, *ibid.*

Decimas non tenetur ſolvere mercator, niſi deductis expenſis ſuis, *c. paſtoralis, eod. tit.*

Decimas tenentur Clerici de patrimonio ſolvere, *cap. novum, eod. tit.*

In decimis non deducuntur expenſæ pro fructibus percipiendis, vel rebus reſervandis factæ, *c. cum homines, eod. tit.*

Decimas tenentur Judæi ſolvere de terris quas tenent colendas, *c. de terris, eod. tit.*

Decimas non recipiat Eccleſia in alieno Epiſcopatu, *c. cum ſint, eod. tit.*

Decimæ non recipiantur de manu Laici ſine conſenſu Epiſcopi, *cap. cum & plantare, de privilegiis & cap. dudum, de decimis.*

Decimas alterius Eccleſiæ a Laico detentas alius in pignus non recipiat, *c. interdicimus, eod. tit.*



UNED

Decimas de hortis ſuis fratres prædicatores & minores ſolvere non tenentur, *c. nimis iniqua, de exceſſ. prælat.*

Decimæ datæ in feudum revocentur, *c. cum Apoſtolica ſedes, de iis quæ fiunt a prælat.*

Decimas Laico concedens deponatur, *cap. quamvis, de decimis.*

Decimarum tranſactio fieri debet de conſenſu Epiſcopi vel Papæ: alias non valet, *cap. ſtatuimus, & c. veniens, de tranſact.*

de DECRETIS quatuor Conciliorum, *diſt. 15. c. 1. c. ſicut. c. ſancta. item diſt. 16. c. ſancta, can. 6. c. ſeptuaginta. c. viginti.* item aliorum præter iſta quatuor Conciliorum decretis, *diſt. 15. c. ſicut. §. quintum vero. cap. ſancta. § ſed etſi qua. item diſt. 16. c. ſancta. c. ſexta c. prima. c. ult.*

de DELITIIS, *diſt. 41. cap. delitiæ.*

## *De Delegati poteſtate & officio.*

DELEGATUS poteſt exequi juriſdictionem ſuam per annum integrum, *c. quærenti, de offic. & poteſt. Jud. deleg.*

Delegatus major eſt ordinario in cauſa ſibi commiſſa, *c. ſane, eod. tit.*

Delegatus vices ſuas committere poteſt ſuo conjudici, etſi ſimpliciter ſit pluribus commiſſa cauſa, *c. quamvis, eod. tit.*

Delegatus poteſt excommunicare contumacem, *cap. quærenti, eod. tit.*

Delegatus poteſt vices ſuas committere in rebus non arduis, *cap. ſi pro debilitate, eod. tit.*

Delegatus prædicationem crucis ſibi commiſſam, ſive diſpenſationes, abſolutiones, pœnitentiarum injunctiones, non poteſt alteri committere, *c. quoniam Apoſtolica ſedes. §. cæterum, eod. tit.*

Delegatus poteſt coercere quemlibet juriſdictionem ſuam impedientem, *c. 1. eod. tit.*

Delegatus poteſt arbiter eſſe in cauſa ſibi commiſſa *cap. literas, de præſumpt.*

Delegatus eandem habet poteſtatem in principali & acceſſorio, *c. quoniam, de decimis.*

Delegatus generalis non habet poteſtatem ſuper cauſa delegata alteri ſpecialiter, *c. 2. de offic. deleg.*

Delegatus rebus ſibi non delegatis ſe intromiſcere non debet, *cap. ſuper literis, de reſcript.*

Delegatus poteſt eſſe teſtis in cauſa ſibi delagata, ſi judicandi officium non aſſumat, *c. dilecto filio, de teſt.*

Delegatus poteſt alteri cauſam committere, prout vult, *c. ſuper quæſtionum, de offic. & poteſt. deleg.*

Delegatus committens alteri vices ſuas, de cætero ſe non intromittet, ſi ex toto commiſit, *ibid.*

Si Delegatus ſequi debet mentem delegantis, *c. ſane. eod. tit.*

Delegatus non poteſt alteri committere cauſam appellatione remota, *d. c. ſuper quæſtionum.*

Delegatus poteſt compellere ſubdelegatum ad recipiendum vices ſuas, *ibid.*

Delegatus non procedat in cauſa ſibi commiſſa, ſi literæ prioribus literis contrariæ opponuntur, de eis mentionem facientes, *c. ſane, eod. tit.*

Delegatus puniat contumaces pœna ſtatuta, vel alias pro qualitate delicti, *c. præterea, eod. tit.*

Delegatus recipiens cauſam, ſimul recipit poteſtatem omnium ad cauſam pertinentium, *ibidem, & cap. ſuſpicionis, eod. tit.*

Delegatus poteſt ſententiam ſuam executioni mandare, & debet id facere, ſi ordinarius nolit, vel alias non poſſit, *c. ſignificaſti, eod. tit.*

Delegatus poteſt ordinario executionem mandare, *cap. ex literis, eod. tit.*

Delegatus exequi debet, niſi Papa aliud, vel aliter committat, *c. ſi quando, eod. tit.*

Delegatis commiſſa cauſa expreſſis nominibus locorum, non perſonarum, uno mortuo ſucceſſor ejus in dignitate, poteſt in cauſa cum alio ſententiam dicere, *cap. quoniam Abbas, eod. tit. de off. & pot. Jud. del.*

Delegatus non poteſt aliquem invitis ordinariis inſtituere, *c. ſuper eo, eod. tit.*

Delegatis duobus cauſa commiſſa, unius ſententia ſine altero non tenebit, *ibid.*

Delegatus ſuſpectus eſt amovendus, *c. cauſam quæ, eod. tit.*

Delegatus debet procedere mortuo mandatore, ſi lis ante ejus obitum conteſtata fuerit, *c. relatum, eod. tit.*

Delegatus poteſt procedere in cauſa, citatione emiſſa ante mortem mandatoris, *c. gratum, eod. tit.*

Delegatus poteſt abſolvere excommunicatum ab ordinario, ſi ille malitioſe noluerit facere, *c. prudentiam, eod. tit.*

Delegatis tribus, uno abſente alii non poſſunt procedere, niſi ſe legitime impeditum probet, vel niſi duobus committatur, etiam ſi tertius nequiverit intereſſe, *ibid.*

Delegatus non debet procedere in cauſa, ſi citatus miſit legationem ad Papam, *ibid.*

Delegatus unus non procedat in cauſa, appellatione emiſſa contra ſuum conjudicem, *c. cum ſuper, eod. tit.*

Delegatus uſque ad mediam noctem poteſt partes expectare, & ſententiare, *24. eod. tit.*

Delegatus vice ſua & ſui conjudicis mortui re integra non procedat, niſi a ſuo conjudice ſibi committatur, & ante mortem ejus ſit cœptum, *c. licet, eod. tit.*

Delegati mandatum non tenetur exequi ordinarius, niſi prius ei conſtet de reſcripto apoſtolico, *c. cum in jure, eod. tit.*

Delegatus non poteſt excedere formam mandati apoſtolici, alioquin non valet proceſſus, *c. venerabili fratri, & c. P. & C. eod. tit.*

Delegatus de conſenſu partium poteſt alteri vices ſuas demandare, licet ei ſit mandatum, ut perſonaliter exequatur: niſi ſit cauſa ardua, *cap. fin. eod. tit.*

Delegatus qualiter procedat contra injuſte excommunicantem, *c. cum contingat, de off. deleg.*

Delegatus poteſt refutari, ſi nimiam familiaritatem poſt litis conteſtationem cum alterutra partium contraxerit, *c. inſinuantem, eod. tit.*

## *De ætate delegati, & quando ipſius poteſtas expiret.*

Delegatus debet eſſe 20. annorum, niſi partes ſcienter conſentiant in eum, qui ſit major octodecim annis, alias facta delegatio ab alio quam a Principe non teneret, *c. cum vigeſimum, de offic. & poteſt. deleg.*

Delegatus officio ſuo functus, cum ſententiam executioni mandat, expirat auctoritas ſua, *cap. ex literis, eod. tit.* Item quando terminus præfixus præteriit, *cap. de cauſis, eod. tit.*

Delegatus per negligentiam vel malitiam amittit juriſdictionem, *c. quoniam, eod. tit.*

Delegato uno mortuo, poteſtas alterius expirat, niſi aliud ſit in delegatione expreſſum, *cap. un. eod. tit.* Item de arbitris.

Delegati juriſdictio finitur, cum cauſa remittitur ad ſuperiorem, *c. licet, de offic. deleg.*

Delegati juriſdictio expirat per ſententiam interlocutoriam, qua ſe juriſdictionem non habere pronuntiavit, nec ipſam etiam de conſenſu partium reaſſumit, *c. ſignificantibus, 38. eod. tit.*

DELICTUM perſonale non redundat in Eccleſiam vel conventum, *cap. damnamus, de ſumma Trinitate.*

Delictum occultum non impedit promovendum, *cap. ex tenore, de temp. ordin.*

Delicti cognitio facta extra judicium nocet, ſicut confeſſio, *c. per inquiſitionem, de elect.*

DENUNCIANS repellitur, qui non præmonuit, *c. cum dilect. de accuſat.*

A denunciatione repellantur concubinarii publici, *cap. cum dilecti, de accuſ.*

A de-

A denunciatione repelluntur conſpiratores, *ib.*

Ad denunciandum non admittuntur inimici, *cap. cum oporteat, de accuſationib.*

In denunciatione deficiens ſuſpenditur ab officio & beneficio, *c. cum dilectus, de calumn.*

Denunciari quis poteſt de pluribus in eodem judicio, *c. cum I. & A. de ſent. & re jud.*

DEPOSITA res furtiva non eſt furi reddenda, *c. 1. de depoſ.*

Deponendus eſt nullus ante cauſæ cognitionem, *cap. 1. de judic.*

Non deponitur quis, niſi pro notabilibus peccatis, *c. cum dilecti filii, de accuſ.*

Depoſitus ſi celebrat, ab Eccleſia reſcindatur, *c. ſi quis presbyter, de Cler. excommun.*

Deponendus quis non eſt, ſi teſtes contra eum ex ſola credulitate deponunt, *c. inquiſitionis, de accuſ.*

DESERTUS locus, *c. 1. §. illum locum, de verb. ſignif. in 9.*

de DIABOLO. Hic affligens homines, ipſe plus affligitur, *de pœnit. d. 1. c. poteſt fieri. §. ægritudo. & ibi gloſſa.*

DIACONI, *diſtinction. 21. c. Cleros. §. Levitæ. verſ. hi Græce.*

De origine Diaconorum legitur *diſt. 21. in pr. §. Levitas.*

De modo ordinandi Diaconum, *diſt. 23 c. diaconus.*

In iis ordinandis manus eorum chriſmate perungi non debent, *diſt. 23. c. præterea.*

Septem ordinandi, *diſt. 93. c. diaconi qui. & c. diaconi ſeptem.*

Diaconi officium circa albam, *d. diſt. 93. c. diaconus, in fine.*

De cœlibatu Diaconorum cavetur *diſt. 28. c. quando c. præterea. cum c. ſeq. diſt. 32. c. eos qui.* Contradicit *d. diſt. 28. c. presbyter. c. d. in pr.* Huic objectioni reſpondet Gratianus *dict. c. d verſ. ſed quod de electione.*

Compagis Diaconus uti non debet, *diſt. 93. c. pervenit.*

Diaconi nihil eorum quæ decreta ſunt primis ordinibus ſibi debent vendicare, ut baptiſma, euchariſtiam, &c. *diſt. 93. c. d. c. pervenit. c. non oportet.* Cujus exceptio eſt in tempore neceſſitatis, *d. diſt. 93. c. præſente.*

De inquirendis a Diacono iis, quæ ad cultum Eccleſiæ & diſciplinam ejus pertinent, *diſt. 93. c. diaconi Eccleſiæ.*

De Epiſcopo a Diaconis cuſtodiendo, *diſt. 93. cap. d. qui.*

Sicut in miniſterio, ita in diſpenſatione ſine Diacono Epiſcopus vivere non debet, *d. diſt. 93. c. d. ſunt,*

Diaconus ſiniſtrum tantum humerum orario ambit, *diſt. 25. c. audire, in fine. cum c. ſeq.*

Diaconi Miniſtrant Sacerdotibus, *d. 25. cap. 1. §. ad diac.*

Diaconi Subeſſe debent presbyteris, non ſe illis præferre. *diſt. 93. cap. a Subdiacono. § porro. c. Diaconi ſeptem. §. ut igitur. cap. pervenit. c. non oportet. c. Diaconi c. Diaconi. c. nonnulli. c. legimus. c. dominus.* Niſi Diaconus locum metropolitani ſui obtineat, *d. diſt. 93. c. ultim.*

DIE dominica eſt ab omni opere illicito abſtinendum, *c. 1. de fer.*

Die Dominico licet Epiſcopo virgines conſecrare & ordines conferre, *c. 1. de temp. ordin.*

Diebus dominicis poteſt ſolus Papa Subdiaconos ordinare, *ib.*

Dies quandoque incipit initio noctis, & terminatur ad diem ſequentem; idque verum eſt in celebrandis ordinibus, cum quæritur, pluresne ordines uno die collati ſint, *c. literas, 13. de temp. ordin.*

Dies aliquando incipit a veſpera uſque ad veſperam, quoad feſta celebranda, *c. 2. de fer.*

Dies aliquando incipit a mane, & terminatur in fine diei ante tenebras, quantum ad Judicem & ſententiam diffinitivam, *c. conſuluit, de offic. Jud. deleg.*

Dies aliquando incipit a media nocte, & terminatur in mediam noctem ſequentem, quantum ad contractus faciendos, poſſunt enim fieri qualibet hora, *c. conſuluit, eod. tit.*

Dies aliquando incipit poſt cœnam, & durat per noctem uſque ad diem ſequentem, quantum ad jejunium, *c. de eſu, de conſ. diſt. 3.*

Dies etiam incipit a quarta feria poſt occaſum ſolis, uſque ad ſecundam feriam in ortu ſolis, quantum ad Treugas ſervandas, *c. 1. de treuga & pace.*

DIETAS ultra duas extra ſuam diœceſin nemo citandus eſt, *c. olim, de exceſſ.*

DIFFINITIVA ſententia proferri non debet contra abſentem ex legitima cauſa, & lata non tenet, maxime in cauſa matrimoniali, *c. tenor. & c. cum Berchtoldus, de ſent. & re jud.*

Contra contumaciter abſentem, etiam lite non conteſtata, proceditur ad ſententiam Diffinitivam in cauſa criminali per viam inquiſitionis mota, *c. veritatis, 8. de dol. & contum.*

DIGNITAS Infamibus non patet, *c. infamibus, 87 dict. tit.*

Dignitates duas habens, unam dimittat, etiamſi illas habeat in diverſis Eccleſiis, *c. præterea, de præbend.*

Ad dignitatem majorem a minori eſt tranſeundum, *c. licet in tantum, de tranſlat. Ep.*

DILAPIDATOR deponendus eſt, *capit. licet Heli, de Simon.*

Dilapidator rerum Eccleſiaſticarum ſuſpectus removetur uſque ad diſquiſitionem facti, *cap. ſin. de accuſat.*

DILATIO non niſi cauſa cognita danda, *3. quæſt. 3. c. ult. §. a Judice.*

DILECTIO Dei & Proximi, *vide ſupra in charitas.*

DIOECESIS, *capit. Rodulphus 25. de reſcriptis.*

DISCIPULI Chriſti creduntur eſſe baptizati, *de conſ. diſt. 4. c. quando ab. c. ſi eos.*

in DISJUNCTIVIS, *cap. in alternationis, 70. de reg. jur. in 6.*

DISPENSATIONES ad jus commune trahi non debent, *c. in cauſis, de ſent. & re jud.*

Diſpenſare poteſt Epiſcopus cum Clerico in minoribus criminibus, *c. at ſi Cler. de jud.*

Collaterales perſonæ in ſecundo gradu matrimonium contrahentes diſpenſari poſſunt a Papa, quia hoc non eſt contra jus divinum, *c. literas, de reſt. ſpoliat.*

Diſpenſationem inducit multitudo ſupplicantium, & conſuetudo terræ, *c. ſane, de temp. ordin.*

Diſpenſatur cum eo in temporalibus, cum quo & in ſpiritualibus, *c. per venerabilem, qui filii ſint legit.*

In diſpenſatione voti attendi debet debilitas & paupertas, *c. quod ſuper his, de vot. & vot. redempt.*

Diſpenſatio revocari non debet, *c. ex tua nobis, de fil. presbyt.*

Diſpenſationem non habenti alia cura animarum non conferatur, ſi talia eam ante habuerit, alioqui collatio viribus careat, *c. de multa, de præb.*

DISPUTARE de fide Laici non debent, *c. quicunque. §. inhibemus, de hæreticis, in 6.*

DISSENSUS difficulter probatur, niſi contraria judicis præceſſerint, *c. ad id. de ſponſal. & c. inſuper, qui matrimonium accuſ. poſſ.*

Diſſentiente altero deſponſatorum, poſt ſeptennium alter ſolutus eſt ipſo jure, *cap. acceſſit, de deſponſation. impub.*

DISTINCTIO, vide ſupra, in Antinomia, vel Contraria.

DIVINATIO, *26. quæſt 5. in princ. 1 qu. 1. nunquam, in princ.* cauſa 26. Item quæ proponentur infra cauſa 9. Ratio hujus cauſæ per objectionis ſolutionem habe-



UNED

tur, *d. qu. 5. c. ult. §. ſi autem quilibet.*

Origo divinationum exponitur, *26. qu. 3. in princ. cum cap. ſeq.* Ratio nominis exponitur, *dict. quaſt. 3. cap. 1. §. divini.*

Genera divinationum enumerantur, *d. c. 1. §. 1.* Singulorum generum ſpecies in ſequentibus cauſis proponentur. Divinationum autem cauſæ vel modi exponuntur, *dict. c. 1. §. fin. cum c. ſeq.*

DIVORTIUM, non celebratur, licet ex utraque parte conjugum, conſanguinitatis impedimentum allegetur, niſi per teſtes fide dignos illud probetur: idque fit ad impepiendam colluſionem, *c. ſuper eo, de eo qui cognov. conſanguin. uxoris ſua.*

Divortio judicio Eccleſiæ celebrato, non poteſt compelli fidelis recipere infidelem, licet converſum ad fidem, *cap. de illa, de divort.*

Poſt divortium dos eſt reddenda uxori, & poſſeſſiones dividendæ ſunt, *cap. ſignificavit, de donat. inter vir. & uxor.*

Divortium non fit propter furtum, vel ſimile quid, ſed propter infidelitatem vel adulterium commiſſum, *c. quaſivit, de divot.*

Divortio propter hæreſim facto, continere debet fidelis vivente infideli, *ibid. & cap. quanto, eodem titulo.*

Divortium poteſt fieri ex violenta præſumptione, *cap. literas, de praſumpt.*

Divortium ſine juriſdictione Eccleſiæ non tenet, *c. porro, de divort. & cap. 1. de converſ. conjug.*

Divortio propter adulterinum facto, contrahens cum altera debet redire ad primam, *c. ex literis, de divort.*

DOCTORIS Juramentum, vel ejus qui ad magiſterii honorem promovetur, circa expenſas præſtando cavetur, *Clement. cum ſit nimir, 2. de magiſtris.*

De magiſtris & doctoribus artium liberalium ubique conſtituendis, *diſt. 37. cap. de quibuſdam.*

Ne pro licentia docendi aliquid accipiatur, *d. c. 1. §. pro licentia, & c. prohibeas, 2. c. quanto, 3. eod. tit.*

Item Ut gratis doceant magiſtri, *dict. §. pro licentia.*

DOLUS ſcienti & conſentienti non fit, neque injuria, *c. ſcienti, 27. de reg. jur. in 6.*

Dolo facit, qui petit quod eſt reſtituendum, *c. dolo 59. de reg. jur. in 6.*

Item qui contra jura mercatur, dolo agere præſumitur, *c. qui contra, 82. de reg. jur. in 6.*

Dolo facere non videtur, qui juſſu Judicis facit, *cap. quod quis, 24. d. tit.*

Dolus alicujus facit, ut contra eum abſentem procedi poſſit, ſi de eo conſtet, *c. cum olim, de ſent. & re jud.*

DOMICILIUM ibi quis dicitur habere, ubi habet beneficium, *cap. dilectus filius, de reſcript.*

Domicilium ubi quis habet, ibi conveniri poteſt, *c. dilecti filii, de for. compet.*

DOMINIUM acquiritur, ſi quid capitur ex hoſtibus, niſi bellum ſit injuſtum, *c. ſicut, 29. in princ. de jurejurando.*

DONATIO Epiſcopi ſine conſenſu capituli non valet, *c. cum nos, de his qua fiunt a Pralat.*

Donatio occulta ſuſpecta eſt, & ideo irritanda, *cap. 1. ut benefic. Eccleſ. ſine dilat. conf.*

Donare poteſt, qui ſui juris eſt, & rerum ſuarum habet adminiſtrationem, *cap. caterum, de donat.*

Donationem poteſt, & debet vir mulieri facere, ſi viro dedit uxor dotem, *c. nuper, de donat. int. vir. & uxor.*

Donationes Eccleſiarum vivente Rectore non valent, niſi fiant locis religioſis, ita tamen, ut Rectores eis non priventur per vitam, *cap. conſultationibus, de donat.*

Donare nemo ſibi ipſi poteſt beneficium, *cap. cum ad noſtram, de inſtitut.*

Donatio inter virum & uxorem, quæ dantem pauperiorem, accipientem locupletiorem facit, non valet, *cap. ult. de dot. poſt divor. reſtitut.*

Donationes Epiſcopi in gravamen Eccleſiæ factæ ſine conſenſu capituli, revocentur per ſucceſſorem, *c. fraternitatem, de donat.*

Donatio Abbatis cum conſilio Prioris vel paucorum, non tenet, aliis reclamantibus, *c. caterum, eod. tit.*

DOS ad uxorem, & donatio ad virum revertitur, ſoluto matrimonio. *cap. fin. de don. poſt divort. reſt.*

In dotem non poteſt dari feudum, *cap. nuper, eod. tit.*

Dos reddi debet uxori ſeparatæ ob legitimam cauſam, *cap. 1 de donat. inter vir. & uxor.* ſecus ſi ob fornicationem matrimonium ſolutum ſit: tunc enim non redditur, *c. plerunque, eod. tit.*

Dos etiam reddenda eſt poſt divortium ancillæ, quæ matrimonii contracti tempore libera credebatur, *c. propoſuit, de conjug ſerv.*

Dos in manu viri eſt uxore vivente, *cap. per veſtras, de donat. inter vir. & uxor.*

Dos detur uxori viro exulante vel fugiente, *c. ex literis, de pignorib.*

Pro dote uxoris, omnia viri bona tacite ſunt hypothecata, *ibid.*

Dotem uxoris, niſi æſtimatam, maritus vendere non poteſt, *cap. ex parte, de conſuet.*

Dos Eccleſiæ immunis eſſe debet ab omni ſervitute, *c. 1. de cenſib. & exact.*

in DUBIO Conſuetudo loci eſt attendenda. Quod ſi varia ſit conſuetudo, ea potius attendenda, quæ magis rationabilis eſt, & alii minus præjudicans, *cap. cum olim, 6. de conſuetudine.*

Humaniorem ſententiam ſequi debemus, *cap. eſtote, 2. de reg. jur. cap. odia reſtring. 15. cap. in pœnis, 49. eod. tit. in 6.*

Contra eum qui legem apertius dicere potuit, Interpretatio facienda, *c. contra eum, 57. de reg. jur. in 6.*

Inſpicimus quod Veriſimilius eſt, aut quod plerunque fieri ſolet, *cap. inſpicimus, 45. dict. tit.*

DUELLUM qui fecit, poteſt ex diſpenſatione in ordine prius habito miniſtrare, *c. 1. de corp. vitiat.*

Duellum exercens poteſt promoveri, ſi non interfecerit, *cap. 1. de Cleric. pugnant. in duell.*

Homine in duello interfecto, non poteſt interfector ejus in ordine ſuſcepto miniſtrare, *c. 2. eod. tit.*

DUPLICIA Monaſteria prohibita, *18. quaſt. 2. cap. diffinimus.*

## E.

EBRIETAS ubi eſt, ibi etiam libido & furor, *35. diſt. c. venter.* item obcæcat conſcientiam, & ſepelit rationem, *15. q. 1. c. ſane.*

de EBRIETATE punienda, *diſt. 35. cap. 1. cap. luxurioſa. cap. Eccleſia. cap. venter. c. vinolentum. c. luxuriam. c. ſexta.*

ECCLESIASTICI & civilis ſtatus Comparatio, *diſt. 96. c. cum ad verum. c. quis dubitet. c. duo ſunt.*

ECCLESIA Catholica eſt fidelium multitudo fide & charitate unita, *93. diſt. cap. legimus, circ. med. 1. q. 1. c. multa, in fin. 24. q. 1. c. loquitur.*

Una eſt Eccleſia univerſalis, extra quam non eſt ſalus, *cap. 1. §. una vero, de ſumma trinitate, 1. q. 1. c. teneamur, 24. qu. 1. c. loquitur. cap. quia ex ſola. c. quoniam. c. pudenda. §. etenim. c. ſchiſma. item diſt. 92. cap. qui cathedram.*

De Eccleſiis Defendendis contra Laicos, *diſt. 96. c. ult. & diſt. 97. in princ. §. ſed ſicut, ex cap. 1. cum cap. ſeq.*

De Eccleſiis non violandis, & Violatorum pœna, *cap. relatum, 21. §. fin. de jure patronat. 17. q. 4. c. ad Epiſcopos. c. attendendum. c. ſi quis.*

Pœna

UNED

Pœna eorum qui Eccleſiæ parem turbant, *24. qu. 1. cap. qui contra. d. q. 3. c. quiſquis per.* non eſt enim ſubjecta Eccleſia cum ſuis perſonis, rebus & actibus Laicorum diſpoſitioni vel judicio, *per cc. jam propoſita. & d. diſt. 96. in princ. cum c. ſeq. cap. nos ad fidem. cum cap. ſeq. cap. ubinam. cap. denique. cap. ſatis. cap. in ſcripturis. cap. ſi imperator. cap. nunquam. cap. ſicut. item diſt. 97. in princ.*

Eccleſiæ res in nullius bonis ſunt, nec quiſquam eas tanquam proprias ſibi poteſt vendicare, *cap. ratio, 3. de præbendis. 16. q. 7. cap. 1. §. has vero decimas verſic. ſed ſint omnia communia. 23. quæſt. 7. cap. ad quod autem. §. ſi autem privatim.*

In res Eccleſiæ non ſucceditur jure conſanguinitatis; *c. 1. de præbendis. cap. conſuluit, 15. de jure patronat. 16. qu. 1. cap. in canonib. §. generaliter. verſic. ſimiliter & ii.*

Eccleſiaſtica Laicus conferre non poteſt, *c. dudum, 31. §. cæterum. verſ. cum ſacrilegii. de decimis. cap. nullius, 17. de jure patronatus.* neque quid diſponere vel ſtatuere, *diſt. 98. in princ. cum ſeqq. 16. q. 7. cap. nullus Laicorum. cap. non placuit. cap. Laicis. c. ſi quis, princ. quicunque. §. ſi ergo.*

Eccleſiaſtica Laicis non conferenda, nec committenda, *d. §. Laici autem. & cap. quamvis, 17. de decimis. item diſt. 89. cap. indicatum,* nam non niſi ab Epiſcopo, ejuſve conſenſu conferenda ac poſſidenda ſunt, *16. qu. 7. cap. congregato. cap. & hoc. §. fin.*

Res Eccleſiaſticas Laicus poſſidere non poteſt, *16. qu. 7. in princ. §. Laici autem. cap. 1. in princ. cap. nullus Laicorum.* & licet res ſterilis vel oneroſa, Eccleſiæ redhiberi debet, *10. qu. 2. cap. hoc jus §. ſicut.*

De rebus Eccleſiæ vindicandis, *16. q. 3. cap. 1. in fin. c. inter memoratos. §. fin. item de reb. Eccleſiæ alienandis. cap. ſi quis, 6 §. fin. vide ſupr. in Alienatio.*

Eccleſia non vacans poteſt concedi religioſis, *cap. cum veniſſent, de reſtit. ſpol.*

In una Eccleſia plures ſimul non inſtituuntur, *cap. quoniam, de jure patronat.*

Eccleſia ultra quatuor menſes vacare non debet, *cap. cum propter diſcordias, eod. tit.*

Eccleſiam ſine diſpenſatione Papæ tenens non Presbyter privetur, *cap. præterea, de ætat. & qualit.*

Eccleſiam habens non recipiat aliud beneficium, *cap. cum non ignores, de præbend. & dignit.*

Eccleſiæ donatio ſub conditione facta revocari poteſt, ſi ſic collata fuerit, quod conditione ceſſante revocetur, *cap. verum, de cond. appoſ.*

Eccleſia non conſecrata immunitatem nihilominus habet, *cap. Eccleſia, de Eccleſ.*

Eccleſiæ de novo ædificari poſſunt populo creſcente, *cap. ad audientiam, de Eccleſ. ædific.*

Eccleſia ſub annuo cenſu concedi poteſt ratione fructuum, *cap. querelam, de præ'at. vices ſuas.*

In Eccleſia placita ſecularia fieri non debent, *cap. cum Eccleſia, de immunit. Eccleſ.*

Eccleſiæ nomine cathedralis intelligitur, *cap. cum Clerici, de verbor. ſignific.*

Per Eccleſiam matricem intelligitur cathedralis, *cap. venerabili, eod. tit.*

Eccleſia tantum judicat de manifeſtis, *c. ſicut, de ſimon.*

Ad Eccleſiam fugiens, modo in ea non deliquerit, tutus eſt ab omni injuria, *cap. inter alia. & c. fin. de immunitat. Eccleſ.*

Eccleſiæ ſubſunt Epiſcopo, in cujus diœceſi ſitæ ſunt, de jure communi, *cap. conſtituas, de religioſ. dom.*

Eccleſias plures habere licet, quarum una ex alia pendeat, vel quæ proprios Sacerdotes habere non valet, *cap. eam te, de ætat. & qualit. præfic.*

Eccleſiarum effractores & incendiarii, poſtquam ſunt denunciati, a ſolo Papa abſolvendi ſunt, *cap. conqueſt. de ſentent. excommunic.*

Moriens, qui teſtamento Eccleſiæ aliquid legat, id congregationi legare intelligitur *c. relat. de teſtam. & ult. volunt.*

In Eccleſiis regularibus non ſint ſeculares Clerici, aut regulam profiteantur, aut amoveantur, *cap. cum cauſam, de elect.*

Ultimum & ſummum quod ab Eccleſia infligitur ſupplicium, eſt anathema, *cap. cum non ab homine, de Judic.*

Eccleſiarum novarum conſtructio veteri nocere non debet, *cap. de his, de Eccleſ. ædific.*

Eccleſia fornicatione polluta, aſperſione aquæ reconcilietur, *cap. ſignificaſtis, de adulter. & ſtupr.*

Eccleſias reparare tenentur rectores earum, *cap. de his, de Eccleſ. ædific.*

Eccleſia ſecularis non poteſt fieri regularis ſine conſenſu diœceſani Epiſcopi, *cap. ad audientiam, eod. tit.*

Ab Eccleſia ſua ſe transferens ad aliam auctoritate propria, utraque Privetur, & prima & ſecunda, *cap. quanto, de translat. prælat.*

Eccleſia ſi poſſeſſiones ſuas a Laicis repetat, debet expenſas in rei meliorationem factas computare & præſtare, *cap. 1. de in integr. reſtitut.*

Eccleſiaſticum feudum non licet vendere ſine conſenſu Epiſcopi, *cap. quæ in Eccleſiarum, de conſtitut.*

Eccleſiæ & Prælaturæ pueris non conferantur. *cap. ex ratione, de ætate, qualitate & ordin. præfic.* Sed talibus debet cura animarum committi, qui brevi ordinari poſſunt in Presbyteros, *cap. inde eorum, & cap. præterea, eod. tit.*

Eccleſia debet habere chorum & Eccleſiam, *cap. 1 de vit. & honeſt. Cleric.*

Eccleſia parochialis non dividatur ſine Epiſcopo, *cap. avaritiæ, de præbend.*

Eccleſia vivente Rectore nec dari nec recipi poteſt, *cap. qui in vivorum. de conceſſ. præbend.*

Eccleſia per Epiſcopum, non per Presbyterum reconciliari poteſt *c. aqua per Epiſcopum, de conſecr. Eccleſ. vel alt.*

Eccleſia vacante, confirmatio non ſpectat capitulum, *cap. 2. ne ſed. vacant.*

Eccleſiis ſuis non ſunt ſpoliandi cæci nec leproſi, *c. licet multum, de cenſib.*

Eccleſia regularis & cathedralis ultra tres menſes non vacet; ſi vacaverit, Archiepiſcopus provideat illi, *cap. ne pro defectu, de elect. poteſt.*

Eccleſia vacans propter diſſenſum Epiſcopi & patroni, cuſtodiatur per œconomum, *cap. cum vos, de offic. jud. ord.*

Eccleſia non poteſt pœnam ſanguinis infligere, *cap. in Archiepiſcopatum, de rapt. & incend.*

Eccleſias in proprios uſus conceſſas non licet regularibus intrare ſine diœceſani conſenſu, *cap. paſtoralis, de privileg.*

Eccleſia debet ab omni exactione immunis eſſe, *cap. 1. de cenſib.*

Eccleſia cathedralis quendam Profeſſorem in Theologia habeat, *cap. quia nonnullis, de Magiſtr.*

Eccleſiæ matrici debentur decimæ, *cap. ex tranſmiſſa, de præſcript*

Eccleſiæ ſtatuta pro tempore variari poſſunt, *cap. non debet, de conſanguin. & affin.*

Statuta Laicorum ab Eccleſia confirmata valent, alias non, *cap. Eccleſia ſanctæ Mariæ, de conſtitut.*

Contra Eccleſiam aliquid ſtatuentes, ni revocaverint, excommunicentur, *cap. noveris, de ſent. excom.*

## *Quæ edenda, vel non.*

EDI Nomen Actionis neceſſarium non eſt: ſed factum ita exponendum, ut Judici actio conſtare poſſit, *cap. dilecti, 6. de judiciis,*

Cauſa actionis edenda, *d. c. 6. & c. ult. de libelli oblatione*

Scriptis actio edenda, *cap. 1. de libelli oblatione. 5. qu. 2. cap. ult. in princ. verſ. & non prius.*

Si actio inepta eſt edita, reus ab inſtantia abſolvitur *cap. examinata, 15. de judiciis.*

Reus actori non tenetur inſtrumenta edere, *cap. 1. d. probationibus. 4. q. 1. cap. ult. §. qui incendit.*

Niſi

Niſi inſtrumenta actori & reo communia ſint, *cap. perpetuus*, 12. *de fide inſtrum.*

Non totum inſtrumentum edendum eſt, ſed in tantum quod ad cauſam pertinet, *c. contigit*, 5. *de fide inſtrument.*

EFFECTU prohibitio omnis ejus cauſa prohibita cenſetur, *cap. cum quid*, 48. *de reg. jur. in* 6.

EJECTA, *diſt.* 34. *cap. vidua.*

ELECTIO debitoris ſi genus debeatur, vel unum ex duob. *c. in alternativis*, 76. *de reg. jur. in* 6.

## *Quæ electio valeat, nec ne.*

Electio celebrata ab interdictis non valet, *cap. cum inter R. de elect.*

Electione prima non annullata, non valet ſecunda electio, *cap. conſideravimus*, *eod. tit.*

Electio ſimoniaca non valet, ſi propter hoc electoribus promiſſa fuerit pecunia, licet electus ignoret, niſi in fraudem electi factum ſit, *c. nobis*, 27. *de ſimon.*

Electio pendente appellatione facta non valet, *c. bonæ memoriæ*, *de elect.*

Electio Epiſcopo nondum ſepulto facta non valet, *cap. bonæ memoriæ*, *de elect.*

Electionis tempore tranſacto, facta electio non valet, *c. dilecto filio*, *de ſuppl. neglig. prælat.*

Electio ſecunda valet, cum certum eſt primam non valere, *cap. bonæ memoriæ*, *de elect.*

Electio ſuſpenſi vel a ſuſpenſis celebrata non valet, *cap. cum inter R. eod. tit.*

Electio publicato ſcrutinio valet, *c. publicato*, *eod. tit.*

Electio Pontificis a Laicis facta non valet, *cap. ſacroſancta*, *eod. tit.*

Electiones clandeſtinæ reprobantur, *c. quia propter*, *diverſas*, *eod. tit.*

Electio ad præbendam per importunitatem facta non valet, *c. tua fraternitatis*, *de præbend. & dignitat.*

Electio non valet, niſi abſentes vocentur, qui poſſunt & debent electioni intereſſe, *cap. quod ſicut*, *de elect.*

Nulla electio diſſentiente capitulo facta valet, *cap. auditis*, *eod. tit.*

Electio quæ nulla eſt, ex poſt facto non convaleſcit, *c. auditis*, *eod. tit.*

Electio Epiſcopi in Archiepiſcopum non valet, quia poſtulari debet Epiſcopus, *c. gratum gerimus*, *de poſtul.*

## *Qui & Quales cum electi, tum eligentes eſſe debeant.*

Electio ad Epiſcopatum debet fieri de digno ſcientia, moribus & ætate, & habeat triceſimum annum completum, & ſit legitimo matrimonio natus, *c.* 7. *de election. & elect. poteſt.*

Electioni de ſe factæ per poteſtatem ſecularem conſentiens, non poteſt eligi ad aliquam dignitatem ſine diſpenſatione, *cap. quiſquis*, *electioni*, *eod. tit.*

Electus ſchiſmaticus, ſi ſchiſma non abjuraverit, ne confirmetur, *c. quia diligentia*, *eod. tit.*

Electus non fit procurator vel œconomus in ſpiritualibus vel temporalibus, *c. avaritiæ*, *eod. tit. in* 6.

In electo tandem quæ requirantur ſingula, *vide in cap. cunctis*, *de elect.*

## *Qui ad electionem vocandi, & ad quos ea ſpectat.*

Ad electionem vocandi ſunt, qui ſunt in provincia: quia plus nocet contemtus unius, quam contradictio multorum, *cap. coram dilecto*, *eod. tit. de elect.* in electione tamen Epiſcopi, Canonici valde remoti non ſunt expectandi, *c. cum inter univerſas*, *eod. tit.*

In electione requiritur major & ſanior pars capituli *cap. Eccleſia*, *& cap. congregatio*, *eod. tit.*

Electio Abbatis ad Monachos ejuſdem monaſterii ſpectat, *cap. cum dilectus*, *de conſuet.*

Electio Imperatoris ſpectat ad Germaniæ Participes, ſed examinatio & coronatio ad Papam, *cap. venerabilem*, *de elect.*

Excommunicati ad electionem non ſunt vocandi, *cap. illa quotidiana*, *eod. tit.*

## *De electionis forma & modo.*

Electionis formam & requiſita neceſſaria. *vide in c. cum terra*, *& c. quia propter*, *de elect.*

Per aliquam de tribus his formis, Scrutinii ſcil. Compromiſſi & Inſpirationis, procedi debet ad electionem, *cap.* 42. *de elect.*

De electione tractanda dies eſt præfigendus, *cap. Eccleſiæ veſtræ*, *eod. tit.*

Electio debet fieri de proprio gremio, ſi reperiatur idoneus, *cap. cum inter*, *eod. tit.*

In electionibus valet conſuetudo, *cap. cum terra*, *eod. tit.*

In electionem poſſunt omnes in unum compromittere, *cap. cauſam*, *eod. tit.*

Eligentium numerus multum excedens præfertur digniori numero ſed minori, *cap. dudum*, *eod. tit.*

Electio Papæ a duabus partibus facta valet, licet tertia diſſentiat, *cap. licet de vitanda*, *eod. tit.*

In electione Papæ abſentes Cardinales ultra decem dies non expectandi, *cap. ubi periculum*, *de elect. lib.* 6.

Electio Papæ fit in eo loco, ubi præcedens obiit, alias in proxima civitate non interdicta, *ibid.*

Pro ea electione etiam Cardinales arctantur & includuntur, donec quis certo ſit electus, *ibid.*

## *Quomodo tum electus, tum electores ſive eligentes ſuo jure priventur.*

Electus, qui ante confirmationem adminiſtrare res Eccleſiæ tentaverit, caſſatur & removetur, *c. bonæ memoriæ*, *de elect. c. qualiter*, *eod.*

Electus multas dignitates habens, ſi diſpenſationem a Papa non habuerit, caſſatur, *c. dudum*, *eod. tit.*

Qui ſcienter & ex propoſito indignum eligunt, poteſtate eligendi privantur, & a beneficio per triennium ſuſpenduntur, & ſi a majori parte facta ſit hæc electio, ad minorem deinceps devolvitur, *cap. cum Vinionenſ. eod. tit. & cap. gratum*, *de poſtul.*

Electus requiſitus ab electoribus, ſi intra menſem non conſenſerit electioni, a jure electionis cadit, niſi conſenſus electi pendeat a ſuperiori, qui ſi non concedat, ad aliam poterunt electi procedere electionem, *cap. quamſic*, *de elect. lib.* 6.

Electus ſi intra tres menſes non petierit confirmationem poſt conſenſum datum, ab electione cadit, niſi legitime fuerit impeditus, *eod. cap. in fine*, *eod. tit.*

Electus non poteſt ab electoribus removeri, niſi de novo improbitas aliqua in electo emerſerit, *cap. nulli*, *eod. tit. in* 6.

## *De Eleemoſynis.*

diviſio ELEEMOSYNARUM trimembris, *dict.* 45. *c. & qui emendat. §. fin. cum cap. ſeq. item cap. duæ ſunt*, *in princ. uſque ad §. ex his.*

Species Eleemoſynæ eſt, remittere debitum, *de pœn. diſt.* 3. *cap. de quotidianis. §. fin.*

De ratione dandarum Eleemoſynarum, 12. *q.* 2. *cap. aurum*, *cum c. ſeq.*

Ut libenter quiſque det eleemoſynas, non invitus, nec ob pudorem, 23. *q.* 6. *cap. jam vero. §. unde Apoſtolus.*

## *A Quibus Eleemoſynæ accipiendæ, vel non.*

Ab Excommunicato eleemoſynæ non ſunt accipiendæ, niſi qui alias ſuſtentari non poſſunt, hi enim ab excommunicatis eleemoſynas accipere poſſunt, *c. cum voluntate*, 54. §. 4. *de ſentent. excommunicationis*. Deinde excipiuntur

tur ii, qui non nominatim ſunt excommunicati: nam & ab his eleemoſynas accipere licet, *24. quæſt. 2. cap. ſane.*

Eleemoſyna Injuſtorum non juſtificat, *14. quæſt. 5. c. ſcriptum.*

Pœnitenti datur eleemoſyna, & agenda prius pœnitentia quam dentur eleemoſynæ, *de pœnitent. diſt. 3. c. qui vult.*

Eleemoſyna Raptoris & manifeſti violatoris Eccleſiarum a Clericis non accipienda, *cap. ſuper. eo, 2. §. qui autem verſ. nec ejus eleemoſynam, de raptoribus.*

Viduis etiam dandæ eleemoſynæ, *31. q. 1. c. quomodo. § & ideo Apoſtolus.*

## *Ex quibus rebus Eleemoſyna danda, vel non.*

Ex rebus turpiter quæſitis eleemoſynæ non ſunt dandæ, *1. quæſt. 1. c. non eſt, 14. qu. 5. in pr. cum ſequentibus, uſque ad c. nemo. item c. eleemoſyna. c. neque enim. c. denique. c. ſcriptum eſt c. pœnale. §. fin.* Contradicit *d. qu. 5. c. qui habetis. & c. ult.*

De eleemoſynarum effectu & uſu, *13. q. 2. c. anima, in pr. & § ubi illud. etiam. c. tempus. §. cum ſacrificia.*

Eleemoſynarum quæſtorum officium, *c. cum ex eo, 14. in pr. uſque ad § ad hæc, de pœnitent. Clement. eod. tit.*

EMENS rapinam punitur, *14. quæſtion. 5. capit. rapinam.*

Si EMPHYTEUTA non requiſito vel nolente domino jus ſuum Alienaverit, eo cadit, *cap. ultim. §. emphyteuta quoque. verſ ſecus præſumendo, de locato & cond.* quod fallit, ſi dominus requiſitus ipſe emere noluit, *d. cap. ultim. in pr.* ſed ſi atteſtatione præmiſſa emphyteuta domino non indicaverit, quantum pretium ſibi ab alio offeratur, emphyteuſi cadit, *dict. cap. ultim. in pr.* quod etiam verum eſt, ſi ab atteſtatione præmiſſa nondum duo menſes præterterint, *d. cap. ultim. in pr. verſ. vel a denunciationis.* item ſi perſonis prohibitis alienaverit, emphyteuſi cadit, *dict. cap. ult in pr. verſic. qui ab emptione hujuſmodi.*

Item Si emphyteuta rem fecerit Deteriorem, jure ſuo cadit, *10. q. 2. cap. hoc jus. §. qui rem.*

Si emphyteuta Eccleſiæ intra biennium, vel alius intra triennium canonem non ſolverit, jure ſuo cadit, *c. ult. §. emphyteuta quoque, de locato & conducto, 10. quæſt. 2. cap. hoc jus. §. qui rem.* etiamſi dominus non ſolvat emphyteutæ meliorationes, *dict. §. qui rem verſ. non repetiturus.* vel ſi emphyteuta non ſit interpellatus, ut ſolveret, *d. c. ult. in fin.*

Item ſi emphyteuta jus ſuum ex cauſis prædictis amiſit, ut ad dominum res redeat, nihilominus præteriti temporis penſiones ſolvere, & damnum, quo res deterior facta eſt, præſtare tenetur, *d. §. qui rem. verſ. ut tamen ſolvat.*

## *De Epiſcopis.*

EPISCOPORUM origo, *diſt. 21. cap. in novo.*

Etymologia, *diſt. 21. §. Epiſcopus. & 8. qu. 1. cap. qui Epiſcopatum.*

Definitio, diviſio Epiſcoporum & ſpecies, *diſt. 21. c. 1. c. ordo vero.*

Differentia Epiſcoporum & Corepiſcoporum, *diſt. 68. c. quamvis.*

Dignitas Epiſcoporum eſt, ut ſint loco Apoſtolorum, quorum vicem in Eccleſia gerunt, *diſt. 21. c. in novo. §. cæteri verſ. ipſis quoque. diſt. 68. c. ult.*

Prærogativa dignitatis ex ſubſcriptione & voti ordine colligitur, *diſt. 17. c. penult. §. fin. cum cap ſequente.* & ex tempore ordinationis, *diſt. 17. c. ult. & diſt. 18 cap 1.*

Denique Compoſitionem de jure primatiæ unus ſolus, cujus intereſt, poteſt impedire, *cap. ult. de majorit. & obed.*

## *Epiſcopalis ſedes.*

Majores tantum Civitates privilegio Epiſcopatus ſunt honorandæ, *cap. 1. de privilegiis, diſt. 80. in pr. cum ſequentib. uſque ad c. ult. 23. qu 4 c. ſicut excellentiam. §. Concilium, verſ. ipſe vero primas, 16. q. 1. cap. præcipimus, in pr. uſque ad §. ſunt & diſt 68. c. Eccleſiis. §. inter Ep.*

Epiſcopales ſedes non longo intervallo a ſe debent disjungi, *diſt. 80. c. ult.*

Propter hoſtium impetum, & crudelitatem ſubditorum Epiſcopos ſuos trucidantium, ſedes Epiſcopalis in aliam civitatem Transfertur, *7. q. 1. c. temporis, 25. q. 2. c. ult.*

Quæ civitates antea non habuerint Epiſcopos, in iis nec poſtea conſtituendi, *16. q. 1. c. felix.*

## *Epiſcoporum officium.*

Corrigere ſubditos debet, & ad fidem provocare non ſeveritate, ſed blandimentis, *diſt. 45. cap. licet. cap. qui ſincera. cap. de Judæis. c. licet. cap. cum beatus, in pr.* Contradicit tamen *dict. cap. cum beatus. §. Salomon. cum ſequentibus. uſque ad c. tria ſunt.* Cui objectioni reſpondet Gratianus, *dict. diſt. 45. c. duæ ſunt. § ex his omnib. cum ſeq. uſque ad c. ult.* item de corrigendo populo agitur *c. irrefragabili, 13. in pr. de officio ordinarii, diſt. 86. cap. 1. c. odio. c. facientis, 23 q. 4. c. duo iſta.* & ſi in corripiendo modum exceſſerit, a domino, non a ſubditis veniam petere debet, *diſt. 86. c. quando.*

Epiſcopus crimen non probatum non nominatim redarguet, ſed in genere, *c. ſi Sacerdos, 2. de officio ordinarii.* & de criminibus inquirere eaque punire poſſunt, & ſi opus fuerit, brachium ſeculare implorabunt, *cap. 1. dict. tit.* ſed ne in puniendis delictis ad quæſtum magis quam ad leges reſpiciant, *c. irrefragabili, 14. §. fin. eod. tit.* denique ne ſermone incauto infirmorum conſcientiam vulnerent, *diſt. 45. c. ult.*

De Docendo populo, regendo & amando, *7. q. 1. ſicut vir. §. Epiſcopum, diſt. 36 cap. ult. & diſt. 86. in pr.*

In docendo ſacram Scripturam non Grammaticam Epiſcopus exponere debet, *dict. diſt. 86. c cum multa.*

Familiaritatem Domeſticorum immoderatam vitare debet, *diſt. 34. cap. 1.*

Hoſpitalem Epiſcopum decet eſſe, *diſt. 40. in pr.*

Impatiens non ſit, neque percuſſor, ſed manſuetus, neque aliquem propriis verberet manibus, *diſt. 45. cap. 1. cum c. ſeq. & c. Epiſ. c. cum beatus item diſt. 86. c. non liceat, 1. q. 7. c. ſi quis omnem §. penult. item de Cler. percuſſore, c. 1.*

Ut infirmis & pauperibus ſubveniat, *diſt. 82. in pr. cum c. ſeq. diſt 84. in pr. cum duob. cc. ſeq. item 8. quæſt. 1. Clemens.*

De menſa, ſupellectile, & victu Epiſcopi, cavetur *diſt. 41. c. Epiſ.*

Ne ſubditos gravent Sumptibus & Exactionibus, *c. cum Apoſtolus, 6. §. prohibemus. de cenſibus. cap. 1. de Exceſſibus Prælatorum. 10. q. 3. c. quia cognovimus c. cavendum. cap. inter. cætera. c. relatum. c. ult. & 16. q. 1. c. conſtitutum. c. nulli. c. prædicator. item extrav. com. unica. §. ſecundo vero, de pœnis.* charitativum tamen ſubſidium licitum eſt.

Viduis & orphanis Eccleſiæ præſidium implorantibus Epiſcopus debet ſubvenire, *diſt. 87 in pr. cum ſequentib. uſque ad c. irreligio.* Reſtringitur tamen hæc regula, *diſt. 88. cap. Epiſ. gubernationem.*

Ad Epiſcopum pertinet, de domibus religioſis diſponere, *c. de xenodochii, de religioſ. domib.*

Epiſcopus Sacerdos neceſſario eſſe debet, *c. ex literis, de exceſſ. prælat.*

Epiſcopus non debet Clerici beneficium ſine ejus conſenſu minuere, *c. ad hæc, eod. tit.*

Epiſcopi ſemper in publico ſuperindumentis lineis uti debent, niſi religioſi ſint, *c. Cler. officia, de vit. & honeſt Cler.*

Epiſcopus non debet ſibi vendicare res Eccleſiæ, *c. prohibemus, de cenſib. & exact.*

Epiſcopi duo ſimul in uno loco & diœceſi eſſe non poſſunt, *c. quoniam in pleriſque, eod. tit.*

Epiſcopus ad aliam dignitatem ſine Papæ licentia tranſire non poteſt, *c. licet, de tranſlat. Epiſ.*



UNED

Epiſcopus res Eccleſiæ ſine conſenſu Capituli alienare non debet, c. 1. *de his quæ fiunt a prælat. ſine conſenſ. capit.*

Epiſcopus nihil juris ſibi in Monachos conſtituat, niſi diſciplinæ cauſa, c. 1. *de ſtat. Monach.*

Epiſcopus poteſt alicujus dignitatis proventus detinere vel beneficia, ſi ſua Eccleſia onerata ſit, c. *ut noſtrum, ut Eccleſ. benef. ſine dimin. confer.*

Epiſcopus poteſt alteri inferiori committere quæ juriſdictionis ſunt, non quæ ſunt ordinis, c. *aqua benedicta, de conſ. Eccleſ.*

Epiſcopus judicio ſanguinis nec conſentire, nec intereſſe debet, alioquin removetur, c. *ex literis, de exceſſ. prælat.*

Epiſcopus non poteſt augere penſiones ſine conſenſu Capituli ſui, vel Papæ, c. *paſtoralis, de his quæ fiunt a præl.*

Epiſcopus nec debet nec poteſt perſonatum vel dignitatem habere in alia Eccleſia, c. *poſt electionem, de conceſſ. præbend.*

Epiſcopus poteſt ex cauſa Clericum ligandum & capiendum curare, c. *dilectis, de appellat.*

Epiſcopus vices ſuas ſub annuo cenſu committere non debet, c. *querelam, ne prælat. vices ſuas.*

Ad Epiſcopum ſpectat animarum cura, c. *ult. de verb. ſignif. in 6.*

de EREMITIS, c. 1. §. *fin. de exceſſib. Præl. in 6.* 19. *q.* 3. c. *perlatum.* §. *contra.*

ERROR facti nulli nocet, negotio nondum definito, c. *ex parte Abbatis, de conſeſſ.*

de EVANGELIO & lege, 23. *qu.* 4. c. *hac autem.* §. *ex his omnib. uſque ad fin.* c. *cum in lege.*

EUCHARISTIA in fine pœnitenti non denegatur, c. *ult. de ſepult.* nec etiam tempore interdicti, c. *quod inter. de pœn. & remiſſ.*

Euchariſtia ad minus ſemel in Paſcha accipiatur, niſi de conſilio Sacerdotis quis abſtineat. c. *omnis, eod tit.*

Non ex EVENTU, ſed ex conſilio facta æſtimanda, *diſt.* 47. c. *ſicut.* §. *fin. cum duobus ſequentibus.*

EVICTA re, quando nequit emptor de evictione agere, c. *ſi venditori, de empt. & vendit.*

EVIDENS, c. *conſtitutionem, 2. in pr. de verb. ſignific in 6.*

EXAMINATIO ad eum pertinet, ad quem confirmatio. c. *venerabiles, de elect.*

Examinari debet poſtulatio, ſicut & electio, c. *ultim. de translat.*

Examinatio a non ſuo Judice non valet, c. *bonæ memoriæ, de elect.*

Examinanda ſunt miracula per teſtes, & qualiter, c. *venerabili, de reſcrip.*

EXCEPTIO æque ac actio a Judice eſt attendenda, etiamſi ſimpliciter Judici cognitio mandata ſit, certa forma expreſſa: hoc enim caſu videtur, quod exceptiones non debeat admittere, c *ex parte,* 13 *de offic. deleg.* Niſi ita cauſa ſit delegata, ne Judex ullas exceptiones admittat, *dict.* c. 13. *verſ. niſi exprimatur.*

Exceptio multo magis illi competit, cui competit actio, c. *qui ad agendum,* 71. *de reg. jur. in 6.*

Ei tamen denegatur exceptio, qui eodem crimine laborat quod objicit, c. *cum Eccleſiaſtica,* 3. *de exceptionibus.* c. *conſtitutus,* 23. *de appellationib.* c. *pro illorum,* 22. *de præbendis,* c. *intelleximus,* 6. §. *quod ſi prædicto. &* c. *ultim. in fine, de adulteriis.* 31. *quæſt.* 6. c. *nihil iniquius. vide tamen* c. *dilecti,* 8. *de exception.*

Exceptionem objiciens non videtur de intentione actoris confiteri, c. *exceptionem,* 63. *de reg. jur. in 6. &* c. *cum venerabilis,* 6. *de exceptionibus.*

Qui Exceptione uſus eſt, eo, contra quod excepit, poſtea uti pro ſe non poteſt, c. *cum olim,* 19. *verſic. licet enim, de cenſib.*

Non eſt in mora, qui Exceptione ſe poteſt tueri, c. *non eſt,* 60. *de reg. jur. in 6.*

Nemo pluribus Exceptionibus uti prohibetur quamvis diverſæ ſint, c. *nullus.* 20. *de reg. jur. in 6.*

Exceptione doli ſubmovetur, qui petit quod eſt reſtituturus, c. *dolo,* 59. *de reg. jur. in 6.*

Exceptio ignorantiæ datur, ſi quid errore vel ignorantia geſtum eſt, *exemplo* c. *Apoſtolicæ,* 9. *in pr. de Clerico excommun* de differentia inter errorem & ignorantiam, *diſt.* 38. c. *quamvis.* ubi errare dicitur, qui putat ſe ſcire quod neſcit. Is autem qui ignorat, non putat ſe ſcire; ſed fallit ſupradicta regula, ſi juris, non facti fuerit ignorantia, illa enim non præſtat exceptionem, c. *ignorantia,* 13. *de reg. jur. in 6. q.* 4. c. *turbatur.* §. *notandum. &* §. *item ignorantia.* ſi tamen non craſſa aut ſupina, ſed probabilis fuerit ignorantia juris, excuſat, c. *ult. in pr. de conſt. in 6.* item ſi agatur de damno vitando, *d.* §. *item ignorantia verſ. jur. civilis.* ſed ſi in delictis juris ignorantia prætendatur, hoc caſu ad evitandam pœnam probabilis juris ignorantia excuſationem non præſtat, *dict.* §. *item ignor. verſ. non ita ſi delictum* item ſi fœmina vel miles jus ignoraverit, excuſatur, niſi jus naturale mulier vel miles ignoraſſe dicatur, *dict.* §. *item ignorantia, in pr.* item ſi quis in jus alterius ſuccedens jus ejus ignoret, exceptio ignorantiæ ei prodeſt, c *cum quis,* 14 *de reg. jur in 6.*

Exceptio ignorantiæ non prodeſt, ſi craſſa & ſupina fuerit facti ignorantia, hominis nimirum ſecuri, c. *ult. verſ. dum tamen, de conſt. in 6.* Plane hoc caſu diſpenſari poteſt, c. *Apoſtol.* 9 §. *cæterum, ſi forte, de Cler. excom.*

Præterea dicta exceptio non prodeſt, ſi culpa ignorantis acciderit, quo minus ſcriverit, vel ſi voluntatis ſit ignorantia, *diſt.* 37. c. *ultim. & diſt.* 38 *in pr.* ſi tale ſit factum, quod oportuit ignorantem ſcire, 1. *q.* 4 c. *turbatur.* §. *notandum.* c. *quamvis,* 10. *de reg. jur.* niſi minor ſit ætate, *d. q.* 4. c. *ult.* § *finali.*

Exceptio peremptoria ante litem conteſtatam fruſtra opponitur, c. 1 *cum* c. *ſequente, de litis conteſtat. in 6.* Licet tamen eam in initio litis conteſtari, 3. *q.* 3. c. *ult.* §. *fin. & q.* 6 c. *ſi quis Epiſcoporum, in fin.*

Vis exceptionis eſt non ut condemnetur actor in id quod in exceptione deducitur, ſed ut actionem excludat, c. 1. *de ordine cognitionum* c 1. *de except.*

Exceptio falſi procuratoris & ante & poſt ſententiam admitti poteſt, c. *in noſtra, de procur.* Similiter de literis falſis, c. *cum venerabilis, de exception.*

Excipiens contra electum de calumnia jurare cogitur, c. *cum dilectus, de elect*

Exceptio excommunicationis in qualibet parte litis opponi poteſt, c. *exceptionem excommunicationis, de except.*

Exceptio excommunicationis publicæ repellit Judicem de officio ſuo, *ibid.*

Exceptio contra teſtem ante ſententiæ definitionem probanda, c 1. *de exception.*

EXCOMMUNICATIONIS definitio, 11. *quæſt.* 3. c. *ad menſam.* §. *vel ſententia.*

Excommunicatione nulla major pœna eſt in Eccleſia, 24. *q.* 3. c. *corripiatur. verſ. quæ pœna.*

Excommunicatio debitoris exceptionem ei non præſtat, c. *ſi vero,* 34. *verſ. cum ad hoc debitum, de ſentent. excomm.*

Medicinalis, non mortalis eſt pœna, c. 1. *in princ. de ſentent. excomm. in 6.* 24. *p.* 3. c. *notandum, in fine.*

## *Quinam excommunicationem incurrant.*

Excommunicationem incurrit, qui percuſſorem Clerici defendit, vel cum poſſit, eum a percuſſione non prohibet, c. *quanto, de ſent. excomm.*

Excommunicationis pœnam ipſo facto incurrunt etiam moleſtantes, eos, qui electionem, vel beneficiorum collationem ſecundum eorum petitionem non fecerint, *cap. ſciant. cuncti, de elect. in 6.*

Item Principes vel alii licentiam dantes occidendi vel male excipiendi eos, qui profuerunt & divulgant ſenten-

tiam excommunicationis, ſuſpenſionis ſive interdicti contra ipſos, niſi re integra intra octo dies revocaverint ſententiam, vel res ablatas propter hoc reſtituerint, excommunicationis ſententiam incurrunt, in qua ſi permanſerint per duos menſes, abſolvi niſi per Papam non poſſunt, *c. quicunque, de ſentent. excommun. lib. 6.*

### *Excommunicationis forma.*

Excommunicatio debet fieri in ſcriptis, ut & ſuſpenſio interdicti: ſecus faciens ſuſpenditur per menſem ab ingreſſu Eccleſiæ, *cap. 1. de ſentent. excommunic. lib. 6.*

Excommunicatio non debet fieri ſine monitione canonica, *cap. ſtatuimus. & cap. Romana, eod. tit.*

Excommunicatio poſt appellationem non tenet, *cap. dilecti filii, de appellat.*

Excommunicatus poteſt quis denunciari poſt mortem, *cap. ſi quis, de hæretic.*

Excommunicationis ſententia debet eſſe manifeſta & publica, *cap. per tuas, de ſent. excommun.*

### *Excommunicationis vis & effectus.*

Ab excommunicato domino liberantur ſervi, ſi poſt trinam denunciationem & admonitionem ſatisfacere nolit, *cap. gravem, de pœnitent.*

Excommunicato non debet beneficium Eccleſiaſticum conferri, nec poteſt illud ſine diſpenſatione retinere, *cap. copulaſtis, de Cleric. excomm.*

Excommunicatus quamvis agere non poſſit, conveniri tamen poteſt, ita tamen, ut per alium reſpondeat, *cap. intelleximus, 7. de judic.*

Excommunicatus ſcienter ordines ſuſcipiens, deponitur in perpetuum, ſi eſt Laicus, *cap. cum illorum, de ſent. excommunicat.*

Excommunicatus abſolutionem contemnens, nec vetera beneficia retinere, nec nova acquirere poteſt ante abſolutionem, *cap. cum bonæ, de ætat. & qual.*

Excommunicatio minor non impedit executionem officii, *cap. ſi celebrat. de Cleric. excommunic.*

Excommunicatio ligat, etiam admonitione non præmiſſa, *cap. ſacro, de ſentent. excommunic.*

Excommunicatus poteſt appellationem proſequi, & literas impetrare, *cap. pervenit, de appellat.*

Excommunicatus in dubio ſemper vitari debet, quia ſemper pro Judice præſumitur, *cap. per tuas, de ſent. excommunic.*

Excommunicatus duobus caſibus auditur ante abſolutionem, *ibid.*

Excommunicatus ad oſculum Papæ præbendum admiſſus, cenſetur abſolutus, *cap. cum olim, de privileg.*

Excommunicati teſtificari non poſſunt, *cap. veniens, de teſtib.*

Excommunicato etſi Papa ſcribat, non ideo cenſetur abſolutus, *cap. ſi aliquando, de ſent. excom.*

Excommunicato participans non admittitur ad ipſum denunciandum, *cap. in præſentia, de ſent. excom.*

Excommunicatus propter debita, ſi inops ſit, abſolvitur, cautione data, quod ſolvet cum poterit, *cap. Odoardus, de ſolut.*

Excommunicatis poteſt prædicari, & poſſunt ad bonum converti, & admoneri de correctione, *cap. reſponſo, de ſentent. excommun.*

Excommunicatus publicus non debet ad dignitatem laicalem vel ſecularem evehi, *c. venerabilem, de election.*

Excommunicatus a delegato non poteſt abſolvi niſi a Papa, vel ab eo, qui ſuccedit delegato in onere & honore, niſi in mortis articulo *cap. paſtoralis, de offic. Judic. ordin.*

Excommunicatus publice Judex eſſe non poteſt, *cap. exceptionem, in fin. de exception. & cap. ad probandum, de ſentent. & re judicat.*

Excommunicatus notorius debet ab omnibus etiam privilegiatis vitari, *c. cum & plantare, de privil.*

Excommunicatus in cœmeterio ſepultus exhumari & ejici debet, *cap. ad hæc, de privileg. & c. ſacris, de ſepultur.*

EXECUTIO ſententiæ debet differri ad 30. dies, propter deliberationem, 11. *q. 3. cum apud.*

de EXECUTORIBUS teſtamenti, & quatenus unus ſine altero exequi poſſit, *cap. ult. §. fin. de teſtament. in 6.* item De ratione ab executoribus teſtamenti reddenda, *Clement. 1. eod. tit.*

Executores teſtamenti debent ad ejus executionem compelli, *cap. Joannes, de teſtament.*

Executio ſententiæ, ſi alicui tertio præjudicet, non mandatur, donec hic de jure ſuo docuerit, *cap. ſuper, de ſent. & re judic.*

Executori debent literæ exhiberi, *cap. cum contingat, de reſcript.*

Executio de beneficiis privandis, fiet per Epiſcopum, in cujus diœceſi eſt beneficiatus privandus, non ubi delinquitur, *cap. poſtulaſti, de foro compet.*

EXEMPTÆ non ſunt omnes Eccleſiæ Papæ cenſuales, niſi privilegia monſtrent a ſubjectione Epiſcoporum eſſe liberas, *c. recepimus, de privil.*

Exemptus omnis, ratione delicti vel contractus poteſt coram diœceſano conveniri, niſi locus ubi commiſſum eſt delictum, ſit exemptus, *cap. 1. de privileg. lib. 6.*

Exemptus non poteſt exemptum ad aliam diœceſin, ubi crimen ſit commiſſum, compellere ad reſpondendum *ibid.*

Illi non ſunt exempti, quibus Papa ſolummodo dixit: Vos in filios Eccleſiæ Romanæ recipimus: ſed illi tantum, qui nec excommunicari, nec ſuſpendi, nec interdici a nemine poſſunt, præter a Papa vel ejus delegato, *cap. 1. de verbor. ſignificat. lib. 6.*

Exemptus in capite ratione membrorum ad Synodum veniat, *cap. ex ore, de privileg.*

Exempti a diœceſano puniri non debent, *cap. ſicut nobis, de ſuppl. negl. prælat.*

Exemptionis cauſa abſolutus poteſt conveniri alia de cauſa, *cap. in cauſa, de cauſ. propriet. & poſſeſſ.*

Exemptus non eſt omnis, qui protectionis literas a Papa habet, *cap. ex parte, 2. de privileg.*

EXEQUIÆ Pompaticæ plus ſunt ſolatia vivorum, quam ſubſidia mortuorum, 13. *qu. 2. c. anima.*

EXHÆREDATIO ſuorum non debet fieri propter Eccleſiam, 17. *q. ult. c. ult.*

EXILII pœna per Judicem Eccleſiaſticum infligi poteſt, *cap. ad audientiam, de crimin. falſ.*

EXPENSAS honeſtas poteſt Judex a partibus petere, *c. cum ab omni, de vit. & honeſt Cler.*

In expenſis condemnatus, in neceſſariis condemnatur, *cap. cum veniſſent, de eo qui mit. in poſſeſſ.*

In expenſis condemnatur, qui poſſeſſionem illicite tenuit, *cap. ad hoc, de ſequeſtr. poſſ.*

In expenſis condemnatur, qui temere aliquem ad judicium trahit, *cap. ex literis, de dol. & contum.*

In expenſis condemnantur, qui appellationem non proſequitur, *c. irreprehenſibilem, de appellat, c. 1. de appellat. in 6.*

Condemnatur in expenſis, qui formam electionis non probat, *cap. ult. de dolo & contum. lib. 6.*

Qui in quarta teſtium productione deficit, condemnatur in expenſis, *cap. ultra tertiam. de teſtib.* Item ſi falſas literas impetravit, & earum occaſione expenſas facit *cap. cæterum, de reſcript.* Item qui injuſte appellavit, *cap. ut debitus, de appellat.*

In expenſis condemnatur adverſarius contumax ad judicium non veniens, *c. cum dilecti, de dolo & contum.*

Expenſæ factæ circa electionem ſede vacante, de bonis dignitatis reſarciuntur, non capituli, ſed prælaturæ, *cap. ut debitæ, 45. de elect. & elect. poteſt.*

de EXPOSITITIIS, *cap. unic de infantibus & languidis expoſitis.*

Si infans expoſitus tollatur & educetur, ſervus educantis efficitur, *diſt.* 87. *cap. ult.* Sed contradicit *c. unicum.* §. *fin. de infantibus expoſitis.*

EXORCISTÆ, *diſt.* 21. *c.* 1. §. *exorciſtæ.* & de modo ordinandi exorciſtam, *diſt.* 23. *cap. exorciſta.* itidem de horum officio, *diſt.* 25. *cap.* 1. §. *ad exorciſtam.*

Exorcizare non licet, niſi iis qui ab Epiſcopo ad id ſunt promoti, *diſt.* 69. *c. ult. & de conſecrat. diſt.* 1. *c.* 1. §. *ſi autem ut legitur.*

Exorciſmus dæmonia ejicit, *de conſec. diſt.* 4. *c. Sacerdotes.*

EXPRESSA nocent, quæ non expreſſa non nocerent: ſic multa per patientiam tolerantur, quæ ſi deducta fuerint in judicium, exigente juſtitia non tolerarentur, *c. cum jamdudum*, 18. §. *fin. de præbendis.*

F.

FABULÆ Poetarum Chriſtianis non legendæ, 37. *diſt. c. ideo.*

FACERE poteſt quis per alium, quod poteſt facere per ſeipſum, *c. poteſt*, 68. *de reg. jur. in* 6.

Quod quis facit per alium, hoc ipſe feciſſe videtur, *cap. qui facit*, 72. *de reg. jur. in* 6.

Quod alicui ſuo non licet nomine, nec alieno licebit, *c. quod alicui*, 67. *d. tit.*

Factum cuique ſuum, non alteri nocere debet, *c. mora*, 25. *de regul. jur. in* 6.

Per Procuratorem quis factum in judicio proponere prohibetur, *cap. paſtoralis*, 14. *de judiciis.*

Ex Facto alterius alius conveniri non poteſt: Niſi alius factum alterius ratum habuerit, *c. cum quis abſque*, 23. *de ſentent. excommun. in* 6. *cap. ratihabitionem*, 10. *de regul. juris, in* 6. quod ſi tamen nomine ratumhabentis non ſit geſtum, tunc ratihabitio ei non nocet, *dict. cap.* 23. §. *fin. & cap. ratum*, 9. *de regul. juris*, *in* 6.

Factum alterius alteri nocet, ſi jure repreſſaliarum incola pro incola conveniatur: quod limitatur in perſonis & rebus Eccleſiaſticis, contra quas repreſſaliæ concedi vel extendi non poſſunt, *cap. unic. de injuriis, in* 6.

Succeſſori Eccleſiaſtico non præjudicat factum prædeceſſoris, *cap.* 2. *de præſcriptionibus.* Niſi in rem Eccleſiæ ſit verſum. Nam ſucceſſor in beneficio Eccleſiaſtico conveniri poteſt ex contractu a prædeceſſore ſuo in rem Eccleſiæ inito, *cap.* 1. *de ſolutionibus.*

Pro facto habetur, quoties per eum qui facere debet, non ſtat quo minus fiat, *cap. imputari*, 41. *& c. cum non fiat*, 66. *de regulis juris*, *in* 6.

FACULTATIBUS creſcentibus, creſcere poteſt numerus Canonicorum, *c. cum M. Ferrarienſ. de conſtit.*

FACILITAS veniæ, illecebra eſt delictorum, *cap. ut Clericorum*, *de vit. & honeſt. Cleric.*

qui FALLENDI animum non habet, non mentitur, 22. *q.* 2. *cap. beatus.* §. *illi ergo.*

## *Qui falſi accuſari poſſint, vel non.*

Qui Falſum commiſit, *cap.* 1. *in princ. de crimine falſi.* quod conſiſtit in veritate occultanda & in mendacio dicendo, *dict. cap.* 2. *in fin.* Niſi ſine dolo malo, vel per errorem & ignorantiam quis falſum commiſerit, *cap. accedens*, 8. *de crimine falſi.*

Species falſi in literis commiſſi enumerantur, *cap. licet*, 5. *eod. tit.*

Si quis Alchymiam exerceat, vel procuret, punitur, *cap. unic. de crimine falſi*, *in extrav. comm.*

Si inſtrumenta quis ſuppreſſit, vel adverſariis tradidit, 12. *qu.* 2. *cap. ſi quis de Clericis*, 1. *& cap. ſi quis de Cleric.* 2.

Qui Juſtum injuſtum dicit, ſanctum non ſanctum, vel contra, aliove modo mentitur, 11. *q.* 3. *cap. ſi quis dixerit. c. ſi quis hominem. cap. væ qui dicitis. cap. unicuique.*

Qui falſas literas non deſtruxit, vel reſignavit, *c. dura*, 4 §. *adjicientes*, *de crimine falſi.*

Qui literas Papæ de manibus ejus, vel officialium ejus non recepit, *cap. licet*, 5. §. *eos etiam*, *d tit.*

Qui circa Pondera & menſuras falſum adhibuit, punitur, *cap. ut menſuræ*, 2. *de empt. & venditione.*

Qui Monetam falſificavit, punitur, *cap. unic. de crimine falſi*, *in extravag Joan. XXII. cap. unic. de dilationib. in extravag. communib.*

Si Mulier virili veſte utatur, punitur, *diſtinct.* 50. *c. ſi qua mulier.*

Si Pecuniam quis accepit ob accuſandum vel non accuſandum, ob dicendum vel non dicendum teſtimonium, vel ob ſententiam, *dict c. unicuique.* §. *fin. cum c. ſequente.* 1. *quæſt.* 1. *concuſſionis.*

De Ponderibus, vide infr. eod. in Menſura.

Si falſum dixerit Teſtimonium, 3. *quæſt.* 9. *c. nihilominus*, 4. *quæſt.* 2. *c. ult.* §. *qui falſo.*

Niſi indignum ignorans, dignum dixerit, *cap. unico*, *de ſcrutinio.*

Si Teſtis dicta ſua utrique parti prodit, 4. *quæſt.* 2. *c. ult.* §. *qui falſo.*

## *Falſariorum pœna.*

Falſarii cum fautoribus & defenſoribus, ipſo jure ſunt excommunicati, *cap. ad falſariorum*, *de crim. falſ.*

Falſarii literarum Papæ, niſi ab ipſo vel de ejus mandato abſolvi non poſſunt, niſi in mortis articulo, *cap. dura ſæpe*, *eod. tit.*

Falſificator literarum capituli, ſuſpenditur ab officio & beneficio, *cap. jam literis*, *de teſtibus.*

Contra falſitatem qualiter procedatur, *vide in c. novimus*, *de verbor. ſignificat.*

Quot modis falſitas literarum Papalium dignoſcatur, *vid. c. licet ad regimen*, *de crim falſ.*

FAMA pluris facienda unius teſtimonio, *cap. ſuper eo*, *de conſanguin. & affinit.*

In probationibus etiam eſt famæ habenda ratio, *cap. cum cauſam*, *de probat.*

Fama tamen ſola ad condemnandum non ſufficit, cum teſtibus ſit judicandum, *c. tua nos*, *de cohabitat. Cler. & mulier.*

FAMES curat morbos quod gula infert, *de conſecrat. diſt.* 5. *c. nullus.*

FAMILIA cum patre excommunicato communicans, excuſatur, *cap. ſi vero*, *de ſentent. excommun.* niſi in crimine quoque communicet, tunc enim non excuſatur, *ibid.*

FAMILIARITAS nimia mulierum incitat antiqui hoſtis ſtimulos, 81. *diſt. c. oportet.*

FAVOR vel gratia ſæpius pretii loco ſuccedunt, ideoque non minus favor pretio prohibetur, in beneficiis conferendis vel auferendis, *c. nemo*, *de ſimon. & capit. grave*, *de præbend.*

In favorem alicujus conſtituta, adverſus eum non ſunt interpretanda, *c. quod ob gratiam*, 61. *de regul. juris*, *in* 6.

FELICITATE peccantium nihil eſt infelicius, 23. *q.* 1. *c. paratus.*

FESTIS diebus neque juramenta præſtari, nec pro pace jurari, neque placita ſeu juſſa pœnam ſanguinis inferentia, fieri debent, *cap.* 1. *de feriis.*

Feſtis diebus neceſſitatis tantum cauſa operari licet, *c. licet*, *de feriis.*

Feſta ſanctorum ex terræ conſuetudine veneranda ſunt, *cap. quoniam in parte*, *eod. tit.*

Feſtis diebus nec cauſæ audiendæ ſunt, nec ſententia ferri debet, nec proceſſus etiam partibus conſentientibus valet, *cap. conqueſtus*, *eod. tit.*

FEUDA ſecularia in Eccleſia nulla ſint, *cap. cum decorem*, *de vit. & hon. Cler.*

Feudi cauſa quando per Judicem Eccleſiaſticum ſit tractanda, *c. ex tranſmiſſa*, *de for. competent.*



UNED

Infeudare de novo neminem licet de rebus Eccleſiæ, *cap. ex parte, de feud.*

Feudum in dotem nemo dare poteſt, niſi ſicut & ipſe tenuit, *cap. nuper, de donat.*

Feudatarius ſive vaſallus, quamdiu fructus non percipit feudi, ſervire non tenetur, *cap. 1. de feud.*

Infeudare poteſt Epiſcopus beneficium Eccleſiæ, ratione obſequii præſtiti, *c per tuas, de donat.*

Feudum Eccleſiaſticum non licet vendere Laico ſine conſenſu Epiſcopi, *cap. verum quoniam, de for. compet.*

FIDES non deficit, *diſt. 2. cap. firmum.*

Fides operatur per dilectionem, *de pœnitentia, diſt. 2. cap. circum.*

Sine recta fide non valent bona opera, 14. *qu* 1. *c. odi. c. ubi ſana.*

Quod ex fide non eſt, peccatum eſt, 28 *q.* 1. *cap. omnes. §. illud vero, de pœnit. diſt. 3. c. quærat. §. etſi fides deſit.*

Ad fidem quatenus quis ſit cogendus, differitur, 23. *quæſt. 5. c. ad fidem.*

Fidem præſtari fruſtra ſibi petit, qui eam non præſtat, *c. fruſtra*, 73 *de reg. juris, in 6.*

Sine bona fide præſcriptio non valet, *c. fin. de præſcript.*

De fide pactionis & conſenſus, *vide c. tua fraternitas, de ſponſ. duor.*

In fide peccans dimitti poteſt, ſed neuter eorum, altero vivente, cum alio contrahere matrimonium poteſt, *cap. de illa, de divort.*

De fide dubitationes ad Papam ſunt referendæ, *tcap. veniens, de presbyt. non baptiz.*

Fides ſacramenti, etſi ipſum ſacramentum deſit, ad ſalutem prodeſt, *cap. debitum, de baptiſm. & ejus off.*

Fides adultero data de contrahendo matrimonio poſt mortem viri, matrimonium contrahendum impedit, & contractum dirimit, *c. veniens, de eo qui dux. in matrim.*

Contra fidem veniens punitur, ſicut contra juramentum aliquid faciens, *cap. pervenit, de fidejuſſ.*

FIDEJUSSOR contraria mandati actione conſequitur, ut indemnis ſervetur, *cap. pervenit*, 2. *de fidejuſſoribus.* quod fallit, ſi nondum ſolverit actor, *dict. cap. 3. quæſt. 2. de except. 1.*

Quod ſi debitor diu in ſolutione debita ceſſaverit, fidejuſſor indemnitatem conſequi poteſt, *cap. ult. d. tit.* ut & ſi debitor diſſipare bona ſua incipiat, *d. c. ult. verſ. aut diſſipare.* vel ſi actor ſit condemnatus, *dict. cap. ult. verſ. ſeu ſuper hoc.* denique ſi actor a creditoribus moleſtetur, *cap. conſtitutus*, 3. *dict. tit. de fidejuſſoribus.*

Fidejuſſor juſtis de cauſis agere poteſt contra eum pro quo fidejuſſit, *c. cum pro quo, de fidejuſſ.*

Fidejuſſoribus inſerviens Clericus deponitur, *c. 1. eod. tit.*

Fidejuſſorem debet debitor indemnem ſervare, *cap. pervenit, eod. tit.*

Religioſus Fidejuſſor eſſe non poteſt, niſi de licentia ſuperioris, *cap. quod quibuſdam, de fidejuſſoribus.*

FILIUS Sacerdotis in Sacerdotio genitus non debet in patris ſui Eccleſia miniſtrare, ſi Sacerdos eſt, *cap. ad præſentiam, de fil. presbyt.*

Filius immediate non poteſt patri in beneficio ſuccedere, *cap. conquerente, eod. tit.*

Filius legitimus & pater ſimul miniſtrare poſſunt uni Eccleſiæ, *cap. ad hæc, eod. tit.*

Filius presbyteri miniſtrans poteſt partem beneficii retinere, *cap. propoſuit, eod. tit.*

Filius poterit ſuccedere patri, ſi ſit temporalis vicarius, *cap. conſtitutus, eod. tit.*

Filius non poteſt ſuccedere patri per donationem Laici, *cap. ult. eod. tit.*

Filius Epiſcopi legitimus poteſt una cum patre beneficium obtinere in una Eccleſia, & ad ſacros ordines promoveri, *cap. ad hæc, eod. tit.*

Filius non erit vicarius in Eccleſia, in qua pater antea perſonatum habuit, *cap. ad extirpandas, eod. tit.*

Filii legitimi in ſeculo exiſtentes, ad ſacros ordines, curam animarum vel prælaturas, ſine diſpenſatione promoveri non poſſunt, *c. 1. eod. tit.*

Filii Canonicorum cum patribus in eadem Eccleſia Canonici eſſe non poſſunt, *cap. cum decorem, de fil. presbyt.*

Filii liberæ vel libertæ ad ſervitium redigi non debent, *cap. 1. de nat. ex liber. ventr.*

Filius non poteſt revocare legitimam patris donationem, *cap. cum dilecti, de donat.*

Filius ſequitur conditionem patris ſecundum provinciæ legem, *cap. licet, de conjug. ſervor.*

Filiaſtrum cognoſcens a marito debitum maritale non poteſt exigere, *cap. tua fraternitatis, de eo qui conſanguin.*

Filius adultus a patre cogi non poteſt ad contrahendum matrimonium, ſed ad ſponſalia contrahenda poteſt cogi non adultus, *cap. 1. de deſponſat impub.*

Filius opprimentium pœna, *cap de infantib. de iis qui fil. occid.*

Filiofamilias regulariter non competit actio ſine patris conſenſu, niſi in cauſa ſpirituali, *c. ult. §. fin. de judic. in 6.*

FINIUM regundorum actio triginta annorum præſcriptione eliditur, ſed non in finibus Epiſcopatuum & parochiarum, qui nullo tempore præſcribi poſſunt, *cap. ſuper eo*, 4. *de parochiis.*

FISCUS capit, quod non capit Chriſtus, 16. *q.* 7. *c. majores. & q. 1. c. decima, circa med,*

FLAMEN, *cap. Cleros. §. Sacerdotes, de verborum ſignificat.*

FLOCUS, *Clement. 1. §. ſtatuimus, in fin. de ſtatu Monachorum.*

FORNICATIONIS vitium omnium maximum ſcelus eſt, 23. *qu. 6. c. non ſolum. §. inter cætera.*

De gradibus fornicationis, *dict. qu. 7. c. quemadmodum, §. ſunt enim. & c. adulterii.*

FORTUITO & a caſu facta, culpæ non ſunt imputanda, *cap. ſi vero, de ſentent. excom.*

FORTUNA adverſa probatio virtutis eſt, non indicium reprobationis, 7. *qu. 1. cap. adverſitas, in princ.*

de FRATRE & ſorore uxoris: quo nomine appelletur, 35. *quæſt. 5. c. quod autem.*

De viri fratre & ſorore: quo nomine appelletur, *d. cap. quod autem. § mariti frater. & §. viri ſoror.*

De duorum fratrum uxoribus: quo nomine appellentur, *dict. cap. quod autem. §. duorum autem.*

FRIGIDITAS dirimit matrimonium contractum, ita tamen, ut ſi cum alia contraxerit, ad primam redire cogatur, *cap. de frigid. & malefic.*

Frigiditas naturalis per triennium probatur, & qualiter, *cap. laudabilem, de frigid. & maleficiat.*

FRUCTUUM poſſeſſio penes feudatarium eſt, & non penes dominum feudi, *cap. 1. de feudis.*

Fructus pignoris in ſortem ſunt computandi, *cap. cum contra de pignor.*

FUGIENDI honores & fugientibus offerendi, 8. *quæſt. 1. c. in ſcripturis.*

FURES auctoritate ſuperioris poſſunt incarcerari, *cap. 1. de depoſit.*

Furibus pœnitentibus ante mortem, Euchariſtia & ſepultura non negatur, *cap. 1. de furt.*

Furem indicare tenetur, quilibet, *cap. qui cum fure, de furt.*

Furti conſcius, furem ſi non indicat, eſt facti reus, *ibid.*

Pro occiſis in furto non eſt orandum, *cap. fures, eod. tit.*

Is qui neceſſitate cogente furatur, non eſt fur judicandus, *cap. ſi quis, eod. tit.*

FUTURA per verba contractum matrimonium, copula ſequente confirmatur, *cap. per tuas, qui filii ſint legitimi.*



UNED

Ad futurorum cautelam multa ſtatuuntur, *cap. licet, de election. & elect. poteſt.*

GENERI & nurus, ſoceri & ſocrus appellatio ex ſponſalibus acquiritur, *27. qu. 2. cap. egreſſus §. fin. & cap. priuſquam. verſ. ſicut etiam eos.*

Generi per ſpeciem derogatur, *cap. generi, 34. de reg. jur. in 6.*

Generale interdictum, *c. cum in partib. 27. de verb. ſignif.*

In Generali Conceſſione non veniunt, ea quæ quis non eſſet veriſimiliter in ſpecie conceſſurus, *c. in generali, 81. de reg. jur. in 6.*

GENETHLIACUS, *26. qu. 2. c. illud quod. §. neque illi ab hoc. §. genethliaci* Ad hanc cauſam pertinent horoſcopi, qui deſiniuntur *d. c. §. horoſcopi.*

GLADIO ſeculari utendum, cum ſpiritualis non timetur, *c. ad abolendam, de hæretic.*

Gladium materialem poteſt Eccleſia invocare, *c. poſtulaſti, de homicid.*

GRADUUM numerandorum ratio, *35. q. 5. cap. ult.* & de ratione numeri graduum cognationum quære uſque ad ſextum gradum numerentur, *35. q. 2 in princ. cum c. ſequente & q. 5. c. ult. ſucceſſionis.*

GRÆCI a Latinis non ordinentur, nec e converſo, *c. cum ſecundum, de temp. ord.*

HABITUS ſuſceptio impedit matrimonium contrahendum, ſed contractum non dirimit, *c. conſuluit, qui Cler. vel vov.*

Habitum monachalem gerens vel deponat, vel Monachus fiat, *c. ut Cler. de reg. & tranſ. ad relig.*

HÆRES voluntati defuncti non ſatisfaciens, privatur hæreditate, *c. licet univerſis, de vot.*

Super hæreditate litigatur coram Judice ſeculari, *cap. lator præſentium, qui filii ſint legit.*

De hæreditate poteſt etiam Papa judicare, *cap. 1. eod. tit.*

Hæres Sacerdotis eſt Eccleſia, *cap. presbyteri, de pœn.*

Hæres conveniri poteſt, ut ſatisfaciat pro defuncti delicto, *cap. in literis, de rapt.*

Sine hærede decedere non videtur, qui Eccleſiam vel monaſterium hæredem conſtituit, *c. in præſentia, de probat.*

Hæres punitur pro culpa defuncti, *cap. ad aures, de pœn.*

Hæredem compellere poteſt Epiſcopus, ut teſtatoris voluntatem impleat, *cap. ſi hæredes, de teſtam.*

HÆRESIS quid, *c. ad abolendam, 9. in princ. de hæreticis. 24. q. 1. cap. loquitur. cum c. ſeq. c. omnib. c. advocavit. c. quoniam vetus. c. quicunque. c. didicimus, in princ. item qu. 3. c. hæreſis. c. hæreticus. cap. qui in Eccleſia. c. qui aliorum.*

Proprium hæreſeos eſt, *24. q. 3. c. transferunt.*

Cauſa hæreſeos, *dict. c. transferunt. §. veteres.*

Effectus & uſus hæreſis, *d. q. 3. cap. ult.*

Species cognata hæreſis, quod eſt ſchiſma, *d. q. 3. c. illi qui. §. fin. cum c. ſeq. item 24. q. 1. c. ſchiſma, in princ.*

HÆRETICUS catholico ſuccedere hæreditarie non debet, *cap. ſi quis, de hæretic.*

Hæreticorum damnantur ſcripturæ, *c. fraternitatis, de hæret.*

Hæreticorum receptatores ſunt ipſo jure excommunicati, ut ipſorum fautores, *cap. ſicut ait, eod. tit.*

Ad extirpandas hæreſes debet invigilare Princeps, *cap. excommunicamus, eod. tit.*

Hæretici niſi reſipiſcant, traduntur judicio ſeculari, *c. excommunicamus, eod. tit.* Idem fiat, ſi ad abjuratam hæreſin redierint: quia tunc ſine miſericordia ulla judicio ſeculari tradendi ſunt, *c. pen. eod. tit.*

Hæreticorum bona, niſi reſipiſcant, confiſcari debent, *cap. vergentis, eod. tit.*

Hæreticorum filii, licet catholici, exhæredantur, *ibid.*

Hæreticorum Clericorum bona ad Eccleſiam revertuntur, *c. excommunicamus itaque, de hæret.*

Contra hæreticos proceditur ex ſola ſuſpicione, *ibid.*

Hæreticos extirpare nolens excommunicetur, *ibid.*

Hæreticorum fautores, ſi intra annum non ſatisfecerint, ſint infames, *ibid.*

Hæreticus Clericus degradetur, & poſtea judici ſeculari tradatur, *ibid.*

Ab hæreticorum dominio abſolvuntur, qualitercunque eis obſtricti, *eod. capit. circa fin.*

Hæreticus cenſetur, qui juramento ſe purgare noluit, *c. excommunicamus, eod. tit.*

Hæreticorum extirpatio ad Epiſcopum ſpectat, *cap. in cauſis, de elect.*

HEREMITA poteſt eligi in Abbatem, *c. cum monaſteriorum, de elect. & elect. poteſt.*

HOMICIDIUM poteſt actu & voluntate committi, *c. dilect. filius, de homic.*

In homicidio caſuali conſideratur, an dederit quis operam rei illicitæ, *ibid.*

Homicidii cauſam præſtantes, pari pœna, ut homicidæ ipſi, ſunt feriendi, *cap ſicut dignum, eod. tit.*

Homicidium quandoque non imputatur, *cap. continebatur. cap. Petrus. & cap. fin. eod. tit.*

Homicida non habetur Medicus vel chirurgus, qui nihil eorum, quæ ſui ſunt officii, omiſit, licet ægrotus moriatur, *cap. tua nos, eod. tit.*

Homicida is non eſt, qui abortui cauſam dedit, ſi conceptus nondum ſit animatus, *cap. ſicut ex literar. eod. tit.*

Qui Homicidio intereſt, ſed non percutit, nihilominus poteſt promoveri, *c. præſentium, de Cler. percuſſ.*

Homicidium caſuale committens promoveri poteſt, ſi negligentia ſupina non intervenerit, *cap. lator, de homicid.*

In homicidio caſuali quæ ſint conſideranda, *vide in capit. ex literis, eod. tit.*

Cum homicida non poteſt Epiſcopus diſpenſare, *cap. de Cler. pugnant. in duell.*

Homicida reputatur, conceptionem mulieris, vel viri generationem impediens, *cap. ſi quis, de homicid.*

Homicidii pœna punitur excitans alios ad pugnandum bello injuſto, *cap. quod in dubiis, de pœn.*

Homicidium quatuor modis committitur, *cap. 2. de Cler. pugn. in duell.*

Suſpecto de homicidio indicitur purgatio, *cap. ex literis, de homicid.*

HONOR debetur Clericis, & maxime Prælatis, *cap. ſolitæ, de major. & obed.*

In honore ſuccedens, & in onere ſuccedat, *cap. ex literis, de pign.*

HORA qua Judex ſententiam ferre debet, habetur *cap. conſuluit, de offic. deleg.*

Horæ omnes poſſunt dici mane præter completorium, *cap. 1. de celebrat. Miſſ.*

HOSPES turpius ejicitur, quam non recipitur, *c. quemadmodum, 25. §. alioquin ſi. verſ. quia turpius, de jurejurando.* Hieronymus *2. quaſt. 7. cap. quanquam.*

HOSPITALARII qui ſint, notatur *in cap. cum & plantare, de privileg.*

HYPOCRITÆ *de pœnitent. diſtinct. 2. cap. multi bene. §. illud Gregorii, cum cap ſeq. Citius.*

## I.

JACTANTIA & Confidentia, *6. q. 1. c. imitare, 16. quaſt. 1 cap. revertimini. §. ſi quis doctus, 32. quaſt. 5. cap. ſi Paulus.*

JANUARIUS dictus quaſi janua anni, atque principium, *diſt. 75. c. jejunium menſe decimo.*

de JEJUNIO plenus venter facile diſputat, *12. q. 2. c. gloria. §. plenus.*

Jejunium frangens ægrotus non peccat, *cap. quod non eſt, de regul. jur.*

Jejunium ſolvit vinum mane bibitum, *c. ex parte, de celebrat. Miſſ.*



UNED

Jejunandum eſt ſabbatho præcedenti, ſi in ſecundam feriam evenerint feſta ſanctorum, jejunia habentium, cap. 1. de obſervat. jejun.

Jejunandum quando & quibus temporibus & diebus, cap. 2. de obſervat. jejun.

IGNORANTIA non habet locum in iis, quæ publice fiunt, cap. cum in tua, qui matrimon. accuſ. poſſ.

Ignorantia quando excuſet, & quando non, vide in cap. presbyterum, de homicid. & c 2. de cogn. ſpirit. & cap. 2. de ord. ab Epiſcopo.

Ignoranti tempus non currit, c. licet, de ſupplend. neglig. prælat.

Ignorantiam allegans juramentum præſtare tenetur, c. ſi vero, de ſermon. excomm.

ILLEGITIMOS ſolus Papa ad Epiſcopatus legitimat, cap. cum Vintonienſis, de elect.

Illegitimi parentibus ſuccedere non debent, c. referente, qui filii ſint legit.

Illegitimi reputantur in gradu vel ſtatu prohibito geniti, cap. cum inhibitio, de clandeſtin. deſponſ.

de IMAGINIBUS ſanctorum, de conſecr. diſt. 3. c. perlatum.

Imagines ſanctorum memoria ſunt & recordatio præteritorum, d. diſt. 3. cap. venerabiles.

IMPEDIMENTUM juſtum excuſat, c. inter quatuor, de Cler. non reſid.

Impediens aliquem in jure ſuo condemnandus eſt in expenſis, c. accedens de accuſat.

de IMPERATORIS electione, c. venerabilem, 34. de electione, & Clement. 1. de jurejurando.

De Juramento quod præſtat Imperator, d. clement. 1.

Imperator vel Rex jura Imperii vel regni, etiam præſtito jurejurando, nequit alienare, cap. intellecto, 32. de jurejurando.

Imperatore mortuo juriſdictio Imperii vacantis ad quem pertinet, cap. unico, ne ſede vacante aliquid innovetur.

De judicio Imperatoris diſputari non oportet, 17. q. 4. cap. ſi quis ſuadente. §. committunt.

In Imperio non habet locum ſanguinis ſucceſſio, ſed tantum electio, cap. venerabilem, de elect.

Imperio vacante poteſt appellari ad Papam ab audientia vel inſtantia Judicis ſecularis, cap. licet, de foro compet.

Imperator major eſt Papa in temporalibus, capite ſolicitæ, de major. & obed.

Imperator Juſtinianus decrevit, ut ſacri canones vim legum obtinerent, cap. 1. de jur. calumn.

ad IMPOSSIBILE nemo poteſt obligari, c. nemo, 6. de reg. jur. in 6.

IMPUBERES poſſunt mortaliter peccare, c. 1. de delict. puer.

INCANTATOR, Incantatrix, 26. qu. 5. cap. Epiſcopi. §. illud etiam. cap. quicunque. §. fin. cum cap. ſeq. item c. pervenit item qu. 7. c. admoneant, 26. q. 3. §. incantatores.

de INCENDIIS puniendis, c. ſi quis domum, 6. de injuriis, 23. qu. 8. cap. ſi quis membrorum. cap peſſimam.

INCESTUS matrimonium ſequens, illud non ſolvit, de eo qui cognovit conſang. per totum tit.

de INCONSTANTIA dictorum factorumque, 22. qu. 4. c. unuſquiſque. §. fin. cap. incommutabilis. cap. non ſemper. c. magna, de pænitent. diſt. cap. ſi agamus. c. quamobrem.

INDULGENTIA non excedat annum unum, ſive ab uno, ſive a pluribus dedicetur Eccleſia, cap. cum ex eo, de pænit. & remiſſ.

Indulgentiam facere poteſt Epiſcopus in ſuo Epiſcopatu, cap. pen. eod. tit.

Indulgentiarum forma in literis ponendis, ibid.

Indulgentia aliorum Epiſcoporum quibus & quando valet, ibid.

Indulgentiam dant Epiſcopi ſoli, c. quod in te, eod. tit.

INFIRMITAS duplex, 15. qu. 1. in princ. §. porro infirmitas. c. illud relatum. §. itaque ut, uſque ad §. furor. cap. concupiſcentia.

Infirmitas excuſat a contumacia, c. querelam, de procurat.

Infirmitas magna ſolvit ſponſalia, cap. quemadmodum, de jurejur.

Infirmi carnes comedere poſſunt in Quadrageſima, cap. 1. de obſervat. jejun.

Infirmus jejunium ſolvens non peccat, capit. quod non eſt, de regul. jur.

Infirmo Epiſcopo datur coadjutor, ſimiliter infirmus Epiſcopus omnia recipiat, quæ ſanus reciperet, cap. 1. & cap. ex parte, de Cler. ægrot.

Infirmo Clerico dandus eſt etiam adjutor, cap. de rectoribus, eod. tit.

INFAMIÆ cauſæ enumerantur, 3. qu. 7. in infames. §. porro infamia.

Mulier quæ intra annum luctus nuptias iterat non notatur, cap. penult. & ult. de ſecundis nuptiis.

Carcer non infamat, c. ſuper his, 8. de pænit.

Condemnatus ex cauſa famoſa notatur: quod fallit ſi nulla vel minima fuerit injuria, propter quam quis eſt condemnatus, c. cum te ab, 23. de ſententia & re judicata.

Plures aliæ cauſæ infamiæ enumerantur, 6. q. 1. c. ſumma §. fin. cum c. ſeq

INIMICITIÆ bene loquendo extinguendæ, 11. quæſt. 3. cap. injuſtum. §. homini.

Inimicus repellitur ab accuſatione, cap. cum oporteat Epiſcopum, ad accuſat.

Cum inimico habitans, ut & inimicus, ab accuſando & teſtificando repellitur, c. repellantur, eod. tit.

INJURIARUM tenetur non ſolum is qui fecit, ſed is quoque cujus dolo vel opera injuriam fecit, de pænit. diſt. 1. c. ſi quis tam. §. fin.

Si matremfamilias, aut prætextatum prætextatamve affectatus fuerit, ſive alicujus pudicitiam attentaverit, punitur, de poenitent. diſt. 1. cap. ſi quis tam maſculum, in princ. & §. attentari.

Si libellum, carmen, aut tale quid ad alicujus infamiam ſcripſerit vel confinxerit, punitur, 5. q. 1. c. 1. cum duob. capitib. ſequentib.

Item ſi libellum famoſum inventum non corruperit, punitur, d. cap. 1. verſic. & qui eam. & d. qu. 1. ult. § ſi quis famoſum.

Si adverſus aliquem manus levatæ ſint, & ſæpe territus ſit quaſi vapulaturus, punitur, d. diſt. 1. c. ſi quis pulſatus. quod fallit ſi joco aut caſu factum ſit, non injuriæ faciendæ animo, 15. qu. 1. cap. illud. §. quare ſi quis. item ſi quis liberum hominem pro ſervo ſuo per errorem cæciderit, 15. qu. 1. c. ult. d. §. ſi quis liberum.

Injuriarum non tenetur, ſi reus errorem aperte confeſſus fuerit, ac revocaverit, d. §. fin. autem in eadem. verſ. vel forte ſciens.

Neque tenetur ſi furioſus vel impubes injuriam fecerit, dict. cap. illud, in princ.

Nec ſi quis nocentem infamavit, 5. quæſt. 2. cap. quidam. §. ſin autem in eandem. vel ſi injuria remiſſa ſit, 23. quæſt. 4. cap. ſi illic, in princ.

In Injuriarum actione tentanda prius eſt reconciliatio, quam ad ſententiam perveniatur, quæſt. 4. cap. ſi illic ubi. verſ. ſin vero nihil.

Injuriarum actione damnatus fit infamis: Niſi modica fuerit injuria, cap. cum te, 25 de re judicata.

INITIO vitioſum, tractu temporis non convaleſcit, c. non firmatur, 18. de reg jur. in 6.

Vix bono peraguntur exitu quæ malo inchoata ſunt principio, diſtinct. 61. cap. miramur. §. principatus. item 1. quæſt. 1. cap. principatus.

Quod initio vitioſum non eſt, ex poſt facto non vitiatur, c. *factum*, 73. *de reg. jur. in 6.*

INOPIA debitoris inanem reddit actionem, c. *olim*, 16. *de reſtitut. ſpoliat.* poteſt tamen Laicus debitor incarcerari: in Clerico debitore ſecus eſt, qui præſtito jurejurando de ſolvendo, ſi quando potuerit, dimittitur, c. *Odoardus*, 3. *de ſolutionib.*

INQUILINUS in quibus caſibus expelli poteſt, *vide in c. propter ſterilitatem, de locat. cond.*

INQUISITIO non debet fieri, niſi de eo qui eſt malæ famæ, c. *cum oporteat, de accuſ.*

In inquiſitione litis conteſtatio non uſurpatur, c. *accedens, de accuſ.*

Per inquiſitionem ſolam Prælatus non deponi, ſed adminiſtratione tantum removeri poteſt, *ibid.*

Inquiſitorum juriſdictio extendit ſe ad ea, ſine quibus inquiſitio fieri non poteſt, *cap. olim, eod. tit.*

Pendente inquiſitione non tenentur ſubditi Prælato, contra quem fit inquiſitio, obedientiam præſtare, nec poteſt Prælatus tunc quicquam in præjudicium inquiſitionis ſtatuere, *ibidem*.

Inquiſitio valet & in inferiores & in ſuperiores, *cap. qualiter, & cap. ult. de accuſat.*

Inquiſitio fieri debet in publicis criminibus, nec Judex actor eſt, ſed ſola fama, & ideo litis conteſtatione non eſt opus, *ibid.*

Inquiſitio fit tantum circa præſentes, *cap. illa præpoſitorum, eod. tit.*

Inquiſitio ſuſcipitur tantum ex relatione gravium perſonarum, *cap. qualiter, de accuſat.*

Per inquiſitionem nullus deponitur, ſicut in accuſationibus fieri ſolet: niſi in ſimonia & ſimilibus, *eod. cap.*

Inquirendi quid debeant jurare & qualiter, *cap. illa præpoſitorum, eod. tit.*

In inquiſitione qualiter ſit procedendum, *vide in cap. per tuas, de ſimon.*

INSTITUTIO pertinet ad Epiſcopum, cujus eſt jus patronatus, *cap. ſi vero, de jur. patron.*

Inſtitutiones & deſtitutiones non debet facere Epiſcopus ſine capitulo ſuo, *cap. novit, de iis quæ fiunt a prælat. ſine conſenſ. cap.*

In Inſtitutionibus non debet eſſe beneficiorum ſucceſſio, *cap. ad decorem, de inſtitut.*

Inſtitutio per Laicum ſolum facta non valet, *cap. ex tua, de fil. presbyt.*

Inſtitutio Presbyterorum in Eccleſia baptiſmali in plebe & capella pertinet ad Epiſcopum, *cap. cum olim, de præſcript.*

Inſtituendi ſunt idonei, etiam undecunque ſint. *cap. ad decorem, de inſtitut.*

INSTRUMENTO amiſſo contenta in eo probari poſſunt per teſtes, & quod fuerit ſine vitio, c. *cum olim*, 12. *de privilegiis.*

Inſtrumento publico creditur ubicunque terrarum, c. *ad audientiam, de præſcript.*

Inſtrumenta inveterata vel alias conſumpta poſſunt per Judicem ordinarium renovari, c. *ſi inſtrumenta, de fide inſtrument.*

Inſtrumenta ſubſcriptionem teſtium non habentia, vel manu propria conſcripta, non valent, *cap. ſcripta vero, eod. tit.*

Inſtrumento non poteſt derogari per teſtes, *cap. illud, de præſumpt.*

Inſtrumenta tranſſumpta non valent, niſi originalia diligenter examinata & perfecta fuerint, c. *de fide inſtrum.*

Unius literæ defectus in inſtrumento illud non vitiat, c. *ex parte, eod. tit.*

Inſtrumenta & teſtes parem in litibus poteſtatem habent, c. *cum Joannes. de fid. inſtrum.*

Sub inſtrumentorum nomine & teſtes continentur, c. *pervenit, de teſt. cog.*

Inſtrumento debita forma carenti non creditur, *cap. quod ſuper his, de fid. inſtrum.*

Inſtrumentis poteſt per teſtes, qui inſtrumento ſubſcripſerunt, derogari, c. *cum Joannes, eod. tit.*

Inſtrumenta contraria proferens ſibi obeſt, c. *imputari, eod. tit.*

Inſtrumentum deletum vel interlineaturam habens non valet, *cap. inter dilectos, eod. tit.*

Sub inſtrumentorum novorum prætextu non debent lites reſtaurari, *cap. inter, de ſent. & re judic.*

Inſtrumentorum falſorum obtentu ſententia lata ad viginti annos uſque retractari poteſt, c. *cum venerabilis, de except.*

## *Cui edenda ſint inſtrumenta.*

Inſtrumenti copia facienda eſt adverſario poſtulanti, c. *contingit, de fid. inſtrum. & c. quoniam contra, de probat.*

Inſtrumentis vel privilegiis utens tenetur ea edere petenti, c. *contingit, de fid. inſtrum.*

Inſtrumenta legi debent coram parte adverſa, *eod. c.*

INTERDICTUM generale privilegiati obſervare tenentur, non obſtante privilegio, c. *petiiſtis, de privileg.*

Interdictum non ſervetur, niſi a capitulo indictum, c. *quæſivit, de iis quæ fiunt a major. parte capit.*

Interdicto durante, poſſunt nihilominus Clerici in cœmeterio ſepeliri, ſi bene interdictum ſervarunt, *cap. quod in te, de pœnit. & remiſſ.*

Interdicto qualiter ſint horæ dicendæ & quæ ſacramenta ſint interdicta, *ibid.*

In interdicto generali conceditur Epiſcopis divina celebrare januis clauſis, non pulſatis campanis, excluſis interdictis, c. *quod nonnullis, de privileg.*

In interdicto generali non eſt deneganda pœnitentia cruce ſignatis & peregrinis, *cap. quod in te, de pœnit. & remiſſ.*

Interdicto generali durante, interdictis & excommunicatis prædicare licet, & confirmare baptizatos, c. *permittimus, de ſent. excommun.*

In quovis interdicto excipiuntur baptiſmus puerorum, & pœnitentia morientium, & viaticum, *cap. non eſt, de ſponſal.*

Interdicto durante celebrantium pœna habetur, *in cap. poſtulaſtis, de Cleric. excommunicat.*

Interdicto loco ab homine poteſt quis uti privilegio, ſed non in loco qui jure interdictus ſit, *cap. tuarum, de privileg.*

Interdictum ferentes in privilegiatos puniendi ſunt, *cap. quanto amplius, eod. tit.*

Interdictum non ſervantis pœna, c. *petiiſtis, de privileg.*

INTERFECISSE videtur, qui liberare potuit & noluit, c. *ſicut ſignum, de homicid.*

Interfectores & eorum defenſores pari ſunt afficiendi Pœna, *ibid.*

Interficiens furem quando ſit in culpa, *ibid. & cap. ſi perfodiens, eod. tit.*

Si INTERIERIT res quæ petitur, reus exceptione defenditur, ſi interpellatus exceptione ſe tueri potuit, c. *non eſt*, 60. *de reg. jur. in 6.* item ſi alius, non reus, in mora fuerit, c. *mora*, 33 *eod. tit.*

INTERPRETARI, ejus eſt jus interpretandi leges, cujus eſt & jus ferendi, 25. *q.* 1. *c. ult.* §. *quanquam*.

Leges priores, quamvis abolitæ, in poſterioribus interpretandis adhiberi poſſunt, c. *fuerunt.* §. *paulatim, diſt.* 7.

Interpretatio ſemper in meliorem partem facienda, *cap. cum tu, de teſtibus.*

Interpretatio adhibenda eſt plena in contractibus, plenior in teſtamentis, pleniſſima in beneficiis, c. *cum dilecti filii, de donat.*

Inter-

UNED

Interpretari debet Papa ſtatuta ſui prædeceſſoris, *cap. ſuper quæſtionum, de offic. Jud. deleg.*

Interpretatur Papa dubias verborum ſententias, *cap. in his. & c. ſeq. de verbor. ſignificat.*

Interpretatio fieri debet ut proſit, non ut obſit, *c. in his, de privil.*

Judex dubia inſtrumentorum interpretatur, *c. cum dilecti filii, de donat.*

de IRA Dei, *de pænit. diſtinct. 3. capit. productior. §. fin.*

JUDÆI novas ſynagogas non faciant, veteres tamen illis reſarcire permiſſum, *c. Judæi, de Jud.*

Judæi claudant oſtia & feneſtras ſuas in die Paraſceves, *c. quia ſuper, eod. tit.*

Chriſtianus Judæo ſerviens excommunicatur, *c. Judæi, eod. tit.*

Judæus converſus poſſeſſiones ſuas prius habitas non amittat, *ibid.*

Judæi ad fidem non ſunt cogendi, *c. ſicut Judæi, eod. tit.*

Judæorum ritus & feſtivitates non impediantur, *cap. ſicut, eod. tit.*

Judæo nullus noceat ſine auctoritate ſuperioris, *ibid.*

Judæi Chriſtianas nutrices non habeant, *c etſi Judæos, eod. tit.*

Judæum percutientis pœna, *c. poſtulaſti, eod. tit.*

Judæi habitum a Chriſtianis diſtinctum gerant, *c. in nonnullis, eod. tit.*

Judæi publicis officiis non præferantur, *c. cum ſit, eod. tit.*

Judæi ſervus ad fidem converſus liber fit, *c. nulli Judæo, eod. tit.*

Judæi ſolvant prædiorum decimas, *c. quanto amplius, de uſur.*

Judæi compelli poſſunt ad immodicas uſuras reſtituendas, *c. poſt miſerabilem. & c. quanto amplius, eod. tit.*

Judæus converſus filium Judæum petere poteſt, *c. ita quorundam, de Judæis.*

Judæus converſus ad Eccleſiaſticum, beneficium promoveri poteſt, *c. eam te, de reſcript.*

JUDEX, *c. 10. §. Judex, de verb. ſign.*

A Judice factum quod ad officium ejus non pertinet, ratum non eſt, *c. ea quæ fiunt, 26. de reg. jur. in 6.*

Si Judex litem ſuam fecerit, & male judicaverit, ponitur, *c. de ſententia & re judicata, 11. q. 3. cap. temerarium, ſi quis dixerit. c. nolite. §. fin. cum ſeq.*

Judicis poteſtas non expirat, ſi per cavillationem cauſa ultra triennium prorogetur, *c. venerabilis, de judic.*

## *Judicis officium.*

Judex qualiter ſe habere debeat ad partes, *cap. cum P. de Purg.*

Judex ſolum de re quam cognoſcit, Judicare debet, *cap. cum ſemper, de cauſ. propriet. & poſſ.*

Ex ſignis tamen evidentibus judicium ferre poteſt, *c. paſtoralis, eod. tit.*

Judex ſine ſuo conjudice procedere non debet, *c. ſciſcitatus, de reſcript.*

Judicis Eccleſiaſtici eſt viduas defendere, *cap. ex parte, de for. compet.*

Judicis officium eſt, reo libellum dubium interpretari, *c. ſignificantibus, de libel. oblat.*

Judex in tenebris judicare non debet, *c. conſuluit, de offic. deleg.*

Judex interlocutoriam mutare poteſt, *c. cum ceſſante, de appell.*

Judex ſuſpectus vel inimicus eſſe non debet, *c. ſecundo requiris, eod. tit.*

Judex debet per ſeipſum cognoſcere, *c. ſuper quæſtionum, de offic. Jud. deleg.*

Judex poteſt & debet ſupplere partibus ea quæ juris ſunt, *c. bonæ memoriæ, de poſtulat. prælat.*

Judicis arbitrio relinquitur numerus teſtium, *cap. cum cauſam, de teſtib.* tempus comparendi, *cap. conſuluit, de offic.* induciæ citatoriæ, *cap. quoniam, ut lit. non conteſt.* tempus & pœna, pœnitentiæ, *cap. ſignificavit. & cap. quæſitum, de pœnit. & remiſſ.*

Judex ad quem appellatum eſt, poteſt ſententiam prius latam in quibuſdam infirmare, & in quibuſdam confirmare. *capit. quod ad conſultationem, de ſentent. & re jud.*

Judex quilibet debet habere tabellionem, vel duos viros idoneos, *c. quoniam contra, de probat.*

Judex debet operam dare, ut perſona in judicio agens vel defendens ſit legitima, *c. cauſam, de jud.*

## *Judex Eccleſiaſticus in quibus cauſis etiam ſecularis Judicis officio fungi poſſit.*

In cauſis peregrinorum & pauperum, *cap. ex parte, 2. de for. competenti.*

Item ſi vacat imperium, *cap. licet, eod. tit.*

Item ſi Judex ſecularis negligenter juſtitiam adminiſtret, *c. ex tenore, eod. tit.*

Item ſi ſit terra Eccleſiæ, *c ſi duobus, de appell.*

Item ubi conſuetudo invaluit, ut Eccleſia judicet de maleficiis, *cap. cum ſit generale, de for. compet.*

Item in denunciatione criminis, *c. novit, de jud.*

Item ratione connexionis, ut de jure patronatus, *cap. quanto, de jud. & c. de prudentia, de donat. inter vir. & uxor. & cap. per venerabilem, qui filii ſint legitim.* ubi ſimul etiam docetur, quando Judex ad ſpiritualia & temporalia legitimat.

## *Judex ex quibus cauſis recuſari queat?*

Judex recuſari poteſt, ſi ſit adverſario familiaris, *cap. inſinuante. & cap. ſuper quæſtionum, de offic. deleg.*

Item ſi ab eo appellatum ſit, *cap. ad hæc ſi, de appell.*

Item ſi ſit adverſarii conſanguineus vel commenſalis, *c. accedens, ut lite non conteſt. & c. cauſam, de offic. Jud. deleg.*

Sine juſta cauſa Judex recuſari non poteſt, *cap. cum ſpeciali, de appellat.*

JUDICIUM, *cap. 10. §. vocatur autem. & §. judicium, in extravag, comm. de judiciis.*

In judiciis non eſt acceptio perſonarum habenda, *c. in judiciis, 12. de reg. jur. in 6.*

Judicium eſt triplex, *c. per venerabilem, qui fil. ſint legit.*

In Judicio non debet diſtinctio perſonarum fieri. *c. novit, de jud.*

In judicio quæ perſonæ requirantur, *c. forus, de verbor, ſignific.*

In judicio contraria aſſerenti non creditur, *c. dilectus, de temporibus ordinat*

In judicio uno facta fidem faciunt in alio, *c. cum ad ſedem, de reſtitut. ſpoliat.*

In judicio non procedatur, niſi contra victum vel contumacem, *c. inter quatuor, de majorit & obed.*

Excommunicatus in judicio conveniri poteſt, & per alium reſpondere, *cap. intelleximus, de re judic.*

Clerici in judicio ſeculari reſpondere non tenentur, non obſtante quavis conſuetudine, *c. Cler. de judiciis.*

Judicio ſeculari traditur Clericus incorrigibilis degradatus, *cap. non ab homine, eod. tit.*

Res Judicata vim legis non habet: Niſi Pontifex Maximus ſententiam tulit, *c. in cauſis, 19. de ſententia & re jud. verſ. cum in ſimilib. caſib.*

JURAMENTUM non eſt obligatorium, contra bonos mores præſtitum, *cap. non eſt, 58. de reg. jur. in 6.*

JURGIUM, *cap. 10. §. jurgium, de verborum ſignificatione.*

JURIS civilis origo, *diſt. 7. cap. 1. cum duobus ſequentibus.*



UNED

Juris Pontificii origo, *diſt.* 15. *cap.* 1. *cum ſeq.*
Jus dictum eſt, quia juſtum, *cap. jus generale.* §. *jus autem*, *diſt.* 1.
Jus quid, c. *jus dictum*, 12. *de verb. ſignificat.*
Differunt jus & lex, quemadmodum genus & ſpecies. Lex enim juris ſpecies dicitur, *dict. c. jus generale, in princ.*
Jus dividitur in naturale, gentium & civile, *diſt* 1. *in princ.* & *cap. jus autem*, *diſt.* 11. *cap. catholica.*
Dividitur in divinum & humanum, *diſt.* 1. *cap. omnes leges. diſt.* 8. *cap.* 1.
Dividitur in jus perſonarum, rerum & actionum. Ad jus perſonarum pertinet jus maris & fœminæ. Mas autem dicitur ad imaginem Dei creatus, fœmina non item. Ideoque hæc velare caput jubetur, 33. *q.* 5. c. *hæc imago.* c. *mulier.*
Jus aliud publicum, aliud privatum dicitur, *diſt.* 1. c. *penult.* Eadem legum diviſio, ſed alia ſententia, habetur, 19. *q.* 2. c. *duæ ſunt.*
Jus dividitur in ſcriptum & non ſcriptum, ſeu leges & mores, *diſt.* 1. c. *jus generale.*
Juris naturalis definitio, *diſt.* 1. c. 1. §. *jus naturale. diſt.* 6. c. *non eſt peccatum.* §. *his itaque reſpondetur*, *d. diſt.* 1. *cap. jus naturale.*
Species juris naturalis eſt rerum communio, *diſt.* 8. *in princ. cum* c. 1. *ſeq.* & ibidem de differentia juris naturalis & civilis. Sed & alia differentia eſt, quod naturale jus vetuſtius ſit, *diſt.* 5. *in* §. *naturale.* item quod naturale ſit dignius, *d.* §. *naturale.* & *d.* c. 1. §. *fin.*
Jus gentium, *diſt.* 1. c. *jus gentium.* item hujus ſpecies eſt jus militare, *de quo diſt.* 1. *cap. jus militare.*
Juris civilis definitio, *diſt.* 1. *cap. jus civile.*
Species juris civilis eſt, rerum proprietas, ſeu diſtinctio dominiorum, *diſt.* 8. *in princ. cum* c. *ſeq.*
Differentia juris civilis & naturalis eſt, quod civile jus ſit poſterius, c. *ult.* §. *naturale ergo*, *diſt.* 6.
Jus civile ex unaquaque civitate appellatur proprium Quiritum, *diſt.* . *cap. ult.*
Diviſio juris civilis in ſcriptum & non ſcriptum, *diſt* 1. *cap. jus generale*, *in fin. diſtinct.* 11. c. *Eccleſiaſticarum.*
Species juris ſcripti enumerantur, *diſt.* 2. c. 1.
De initio juris non ſcripti habetur, *diſt.* 1. *cap. non eſt. cap. conſuetudo*, *in princ.* §. *vocatur autem.*
Juris legumque ratio & uſus eſt coercitio humanæ audaciæ & nocendi facultatis, *diſt.* 4. c. 1. *cum ſeq.* 23. *q.* 5. c. *non fruſtra.*
Jure diſceptare, c. *forus*, 10. §. *jure autem*, *de verb. ſignif.*
Juri ſuo quilibet renunciare poteſt, c. *ſi diligenti*, *de for. compet.*
Jus commune ubi non invenitur expreſſum, proceditur ad æquitatem, c. *ex parte*, *de tranſact.*
Jure quod quis in alterum ſtatuit, ipſe uti debet, c. *cum omnes*, *de conſtit.*
ſi JUSJURANDUM eſt illicitum vel per metum extortum, ad id relaxandum actio competit, *exemplo* c. *pervenit*, 2. *cap. ſi vero aliquis*, 8. c. *verum*, 15. *in princ. cap. ſicut*, 29. *in princ. verſ. cum a præſtito*, *de jurejurando.* Niſi juriſjurandum ſervari poſſit ſine interitu ſalutis æternæ, *dict.* c. 8. §. *duximus tibi.*
De modo relaxandi jusjurandi, c. *verum in ea*, 15. §. *cæterum*, *de jurejurando.*
Juramento mulieris, allegantis quendam cum ipſa matrimonium contraxiſſe, non creditur, niſi per teſtes probetur, *cap. mulieri*, *de jurejurando.*
Juramentum debet habere tres comites, *cap. etſi Chriſtus*, *de jurejurando.*
Jusjurandum ſervandum eſt, niſi vergat in æternæ ſalutis diſpendium, vel ſuperiorem per relationem relaxetur, *cap. ſi vero.* & *cap. veniens*, *eod. tit.*
Juramentum contra poſſeſſionem emiſſum non tenet, *cap. ex literis*, *de jurejurando.*
Juramentum illicitum non obligat, & tales abſolvendi ſunt cum pœnitentia, *cap. cum quidam*, *eod. tit.*
Juramentum aliquando recipit interpretationem, *cap. brevi*, *eod. tit.*
Juramento ſubintelligitur ſemper hæc tacita conditio, quod obſervabitur, ſi ſit obſervandum, *cap. quemadmodum*, *eod. tit.*
Juramentum Epiſcoporum in conſecratione eorum, c. *ego N. eod. tit.*
Juramentum contra jus canonicum vel Eccleſiam factum non tenet, ſed potius eſt perjurium, c. *ſi diligenti*, *de for. comp.* & c. *ſicut*, *de jurejurando.*
In juramento illicito conſulendus eſt ſuperior, c. *venerabilem*, *de elect.*
Jurans mihi fidelitatem, & per conſequens meis fidejuſſoribus, non tenetur iterum jurare, *cap. veritatis*, *de jurejurand.*
Jurans de contrahendo matrimonio tutius implet, quam aliud quærat, c. *commiſſum*, *de ſponſal.* ad illud implendum compellendus non eſt, c. *requiſivit*, *eod. tit.*
Juramentum non exigat Epiſcopus a Clericis ſuis, niſi cum committit eis beneficium Eccleſiaſticum, *cap. nullus Epiſcopi*, *de jurejurando.*
Jurans de uſura ſolvenda ad ejus præſtationem tenetur, ſed reſtituenda eſt, c. *debitores*, *eod. tit.*
Ubi perjurium timetur, ad juramentum nemo cogi debet, *cap.* 2. *de cohabit. Cleric.* & *mulier.*
Jurare poſſunt Monachi in cauſis monaſterii ſui, *cap. etſi Chriſtus*, *de jurejurando.*
Juramenta teſtium poſſunt omitti partibus conſentientibus, *cap. tuis quæſtionibus*, *de teſtibus.*
Juramentum ad caſum inopinatum extendi non debet, *cap. tua nos*, *de Eccleſ. ædific.*
Jurans ſe contra me non acturum poteſt nihilominus pro Eccleſia contra me agere, *cap. petitio*, *de jurejur.*
Jurans ſe edita ſtatuta ſervaturum, ad futura non obligatur, *cap. penult. eod. tit.*
Juramentum non exigitur, niſi cum aliæ probationes deſunt, *cap. ſicut conſuetudo*, *de probat.*
Juramento non obligantur minorennes, *cap. in præſentia*, *eod. tit.*
In juramento intelligitur ſemper jus ſuperioris exceptum, c. *venientes*, *de jurejur.*
Juramentum qualiter deferatur reo vel actori, *cap. fin. eod. tit.*
Juramentum non dicitur violatum, cum in melius mutatur, *cap. pervenit*, 2. *eod. tit.*
Juramenta Clerici Laicis præſtare non debent, niſi temporale quid ab eis teneant, c. *nimis*, *de jurejur.*
JUSTITIA, c. *forus*, 10. §. *vocatur autem*, *de verb. ſignific.* 14. *q.* 1. c. *ubi ſana.*
JUXTA, c. *Abbate*, 15. *de verb. ſignific.*

L.

LÆDERE alium non licet: delictum perſonæ non debet in detrimentum Eccleſiæ redundare, c. *delictum*, 76. *de reg. jur. in* 6.
Mutare conſilium quis non poteſt in alterius detrimentum, c. *mutare*, 33. *de reg. jur. in* 6.
LAICI unde dicti, 12. *quæſt.* 1. *cap. duo ſunt.* §. *aliud vero.*
Laici non debent aſſumi loco Canonicorum, nec de rebus Eccleſiæ diſponere, *cap. quamvis*, *de decim.*
Aliquando tamen Laici in Clericos poteſtatem habere poſſunt, ſed id tantum auctoritate Eccleſiæ, *cap. ad falſariorum*, *de falſ.* & c. *cum non ab homine*, *de judic.*
Laicus juriſdictioni alienæ ſe ſubmittere poteſt, Clericus non item, *cap. ſignificaſti*, *de for. compet.*
Laici de jure patronatus cognoſcere non poſſunt, *cap. quanto*, *de judic.*
Laicus poteſt Epiſcopum vel Clericum denuntiare vel accuſare, *cap. cum in juventute*, *de præſumpt.*

Laici

UNED

Laici nihil Eccleſiaſticis dare poſſunt ſine conſenſu Epiſcopi, *cap. quod autem, de jure patron.* Recipientes enim crimen ſacrilegii incurrunt, *cap. cauſa, de verb. ſignif.*

Laicorum ſtatuta contra libertatem Eccleſiæ ſine conſenſu Eccleſiæ non valent, *c. quæ in Eccleſiarum, de conſtit.*

Laici quibus caſibus reſpondere teneantur coram judicio Eccleſiaſtico, *vide in c. novimus, de verbor. ſignif.*

Laicus contra Clericum ferre teſtimonium non debet, accuſare tamen poteſt, *cap. de cætero, de teſt.*

LECTIO librorum ſacrorum & uſus, *diſt. 38. c. ſicut. c. juxta. c. qui ea.*

LECTORES, *diſt. 21. c. Cleros. §. lectores.* & de officio lectorum, *diſt. 25. cap. 1. §. lectores. diſt. 25. cap. 1. §. ad lectorem.*

De modo ordinandi lectorem, *diſt. 23. c. lector.*

Lector debet eſſe vigintiquinque annorum, *20. qu. 1. c. placuit, in fin.*

Lector Orario uti non debet, *diſt. 23. c. non oportet.*

LEGATUS ad plures provincias, in una degens, poteſt & de aliis judicare, *cap. novit, de offic. leg.*

Legatus non a latere Papæ, abſolvere non poteſt excommunicatos in ſua vel alia provincia, niſi de licentia ſpeciali ſibi a Papa collata, *cap. excommunicatis, eod. tit.*

Legati conſtitutio in ſua provincia perpetuo durat, *cap. nemini dubium, eod. tit.*

Poſt legati receſſum non durat commiſſio cauſarum, niſi citatio facta ſit eo in provincia exiſtente, *ibid.*

Legatus poteſt conferre Eccleſias vacantes, *cap. dilectus filius, eod. tit.*

Legatus mandatum Papæ interpretari poteſt, *cap. 1. de poſtulat. prælat.*

Legato ſpeciali præſente, legatus generalis ceſſat, *cap. volentes, de offic. legat.*

Legatus diſpenſare poteſt in cauſa matrimoniali, *cap. quod dilectio, de conſanguinit. & affinit.*

Legatus Eccleſias & præbendas dare poteſt invito patrono, *cap. dilectus filius, de offic. legat.*

Legatus poteſt cognoſcere de cauſis Suffraganei per ſimplicem querelam, *cap. 1. eod. tit.*

Legatus generalis non poteſt ſententiam ſecundum formam mandati a Judice delegato latam revocare, *cap. ſtuduiſti, eod. tit.*

Legatus non debet ſe intromittere de cauſa ad Papam tranſmiſſa, *c. licet, eod. tit.*

Legato Papæ tenentur omnes ſubvenire, nec valet contra hoc præſcriptio, niſi habeant privilegium ſpeciale, *c. accedentes, de præſcript.*

LEGIS definitio, *diſt. 2. cap. lex eſt, inſtit. de jure naturali. §. ſcriptum. verſ. lex eſt. diſt. 1. c. lex eſt.*

Species aliquot legum enumerantur, *diſt. 2 c. quædam. cum duob. ſequentib.*

Cum Lex in præteritum quid indulget, in futurum vetat, *1. qu. 7. c. quoties a populis. c. exigunt. c. donatum. §. fin.*

De Legiſlatione. Tranſlato Sacerdotio, legis quoque ferendæ poteſtas transfertur, *c. tranſlato, 3. de conſtitutionib.*

Quæ in legibus ferendis attendenda, definitur *diſt. 4. cap. facta. §. præterea. cum c. ſeq.*

De Legum inſtitutione ac confirmatione, diſſeritur *diſt. 4. cap. in iſtis temporalib. § leges.*

Legis auxilium fruſtra invocat, qui committit in eam, *c. bonæ memoriæ, de elect.*

Leges civiles audientes Prælati, & curam animarum habentes, vel Sacerdotes, excommunicantur, *cap. 1. ne Cleric. vel Monach.*

Idem eſt de Monachis phyſicam audientibus, *ibid.*

Legibus Imperatorum Galli non utuntur, nec Pariſiis jura leguntur, ut Theologiæ ſtudium amplietur, *cap. ſuper ſpecula, de privileg.*

LEGITIMARI non poteſt per ſubſequens matrimonium in adulterio natus, *c. lator præſentium, qui filii ſint legit.*

Illegitimi reputantur nati ex his qui in gradu prohibito & ignoranter clandeſtine contrahunt, *cap. cum inhibitio, de clandeſtin. deſponſ.*

Plura de legitimatione & legitimitate, vide infra ead. in Liberi.

LEPRA conjugatos non ſeparat, *cap. quoniam, de conjug. lepros.*

Lepra non obſtante, ſanus debitum naturale ſolvere tenetur, *ibid.*

Leproſi ſeorſum habitare debent, *cap. 2. eod. tit.*

Lepra ſuperveniente, ſponſalia contrahentes non coguntur matrimonium conſummare, *c. literas, eod. tit. & c. quemadmodum, de jurejur.*

Leproſus matrimonium contrahere non prohibetur, *c. quoniam nemini, de conjug. lepros.*

Leproſus miſſam non celebret, *c. tua nos, de Cleric. ægrot.*

Leproſo Clerico dandus eſt coadjutor, *c. tua nos, eod. tit.*

LEVITÆ, *diſt. 21. cap. Cleros. §. Levitæ.*

LIBELLUS in cauſis omnibus offerri debet, *cap. 1. de libell. oblat.*

Libellus ad reſpondendum canonice conficitur, *ibid.*

In libello conventionali cauſa exprimi debet, *cap. dilecti filii, eod. tit.*

In libello actor ſpecificare debet quid petit, *cap. ſignificantib. eod. tit.*

Libello inepto oblato, reus ab inſtantia judicii abſolvitur, ſed non a cauſa, *cap. examinata, de judic.*

de LIBERALITATE, quis ejus ſit modus, definitur *diſt. 86. cap. donare, cum duob. ſequentib. c. non ſatis, cum ſequentib. uſque ad c. qui dementiam.*

LIBERI unde dicantur, *32 q. 4. c. liberi, in princ.*

Liberi parentibus reverentiam & obſequium debent, *33. q. 3. c. eſt ordo.* etiam in divinis, *diſt. 30 c. 1.*

Si alter conjunx ad fidem Chriſtianam redeat, altero in hæreſi manente: apud converſum filii alendi & educandi ſunt, *c. 2. de converſione infidelium.*

Liberi naturales dicuntur, qui non ex juſtis nuptiis ſunt procreati, *32. qu 4. cap. ult. §. naturales.* Niſi publice in faciæ Eccleſiæ ſine contradictione matrimonium ſit contractum, *cap. cum inter, 2. c. pervenit, 11. & c. ex terrore, 14. qui filii ſint legitimi.* ſi tamen uterque parens vitium matrimonii ſciverit, ſunt tamen naturales, *cap. ult. § ſi quis vero, de clandeſtina deſponſat.*

Legitimi ſunt, ſi parentes infideles, qui injuſtas nuptias contraxerunt, poſtea ad fidem ſint converſi, *cap. ult. qui filii ſint legitimi.*

Naturales liberi matris, non patris conditionem ſequuntur, *32. q. 4. cap. ult.*

Naturalis filius per ſubſequens Matrimonium legitimatur, *cap. 1. qui filii ſint legitimi.* Niſi filius ſit adulterinus, *cap. tanta eſt, 6. eod. tit.*

Naturalis legitimatur per Reſcriptum Papæ, *cap. per venerabilem, 13. qui filii ſint legitimi.* Niſi filius ſit adulterinus, *dict. cap. 13. § fin.*

Naturales æque ac legitimi honeſti eſſe poſſunt, *31. qu. 4. cap. ſicut ſatius. § undecunque.*

Actio qua quæritur, utrum quis legitime natus ſit, apud Eccleſiaſticum Judicem competit, non civilem, quamvis incidenter proponatur, *cap. lator, 5. & c. cauſam, 7. qui filii ſint legitimi.*

De Probatione, ſi quæratur utrum naturalis, an legitimus ſit filius, *c. per tuas, 12. d. tit.*

LIBERTAS monaſterii præſcribi poteſt, *c. ex ore ſedentis, de privileg.*

Libertate fruens per decennium, liber judicandus eſt, *c. licet, de conjug. ſervor.*

Libera ſi ſcienter cum ſervo contrahat, valet matrimonium, *cap. illud, de præſcr.*

Ex liberta natus vel libera in ſervitutem redigi non poteſt, c. 1. *de nat. ex liber. ventr.*

Libertus poteſt per ingratitudinem in ſervitutem redigi, *cap. de famulis, de ſerv. non ordin.*

In favorem libertatis eſt ſententia ferenda, *cap. licet, de conjug. ſervor. & cap. ult. de ſent. & re judic.*

Filius quoad libertatem, matris ſequitur conditionem, *cap. ult. de ſerv. non ordin.*

qui LIBRI ſint legendi, vel non, *diſt.* 15. *cap. ſancta* §. *jam nunc ſubjiciendum, uſque ad* §. *caterum.*

Quo tempore ſinguli libri legendi, *d.* §. *caterum, uſque ad fin.*

Veterum librorum fides ex Hebræis, novorum ex Græcis voluminibus petenda, *diſt.* 9. c *ut veterum.*

Si quid parum rationabile in libris Canonicis invenitur, quid de eo cenſendum ſit, *d. diſt.* 9. *ego ſolis. & cap. ſi ad ſcripturas.*

LIS unde dicta, c. *forus*, 10. §. *lis. de verb. ſignif.*

Lis mota, *cap. ex parte*, 30. *eod. tit.*

Litis conteſtatio fit non per poſitiones, & ad eas reſponſiones, ſed per petitionem in jure propoſitam, & reſponſionem ſecutam, *cap. unico, de litis conteſtatione. cap. dudum*, 54. §. *licet autem, de electione*. Quod autem dicitur, per reſponſionem ſecutam fieri litis conteſtationem, id intelligendum de reſponſione, quæ in negando, non in diſtinguendo conſiſtit. Nam per exceptionem, quamvis peremptoriam, quæ in diſtinguendo conſiſtit, non fit litis conteſtatio, *cap. ſi oblato*, 2. *de litis conteſtatione, in* 6.

Omiſſa litis conteſtatione, proceſſus eſt nullus, *dict. cap. unic. verſ. quia litis conteſtationem non invenimus eſſe factam. & d.* §. *licet autem.* fallit ſi non jure actionis, ſed officio Judicis procedatur, *cap. Judicis*, 2. *de officio Judicis.*

Viginti dierum dilationem habet reus ad litem conteſtandam, 3. *qu. ult.* §. *offeratur.*

Res Litigioſa prohibetur alienari, c. *Eccleſia*, 3. *ut lite pendente nihil innovetur*, 11. *q* 1. c. *ult.* Niſi res æquivalens in locum rei alienatæ ſubſtituatur, *dict. cap.* 3. *& cap.* 4. *eod. tit.*

De re litigioſa ſequeſtranda. Sequeſtratio regulariter prohibita eſt. Niſi poſſeſſor vel in poſſeſſionem miſſus res vel ejus fructus diſſipet atque conſumat, *cap. dilectus*, 2. *&* c. *ult. de ſequeſtrat. poſſeſſ.* vel, niſi ſententia contra poſſeſſorem lata, executio per appellationem fuerit ſuſpenſa, *dict.* c. *ult. item* 2. *qu.* 6. *cap. quoties poſt. item Clement. unica, de ſequeſtratione.* cujus exceptionis replicatio eſt: Niſi triennio pacifice a reo res ſit poſſeſſa, *d. Clement. unica, verſ. dum tamen triennio.*

LITERÆ non valent, quæ per ſurreptionem & contra veritatem impetrantur, *cap. cum dilecta, de reſcript.* c. *ſuper eo, de teſt. &* c. *accedens, ut lit. non conteſt.*

Literas falſificans eſt ab officio ſuſpendendus, & a beneficio, *cap. tam literis, de teſt.*

Literis ſuper facto quodam impetratis debet facti ſeries narrari, *cap. ſuper eo, de cohabit. Cler.*

In literis Datum attendendum eſt, *cap. eam te, de reſcript.*

Literæ poſteriores an priores revocent, *vide in cap. audita, de reſtitut. ſpoliat. &* c. *ex parte, de reſcript.*

Literæ ſecundæ non tenent, niſi fecerint mentionem de primis, cum utræque ſint ſpeciales, *cap. ex parte, de offic. delegat.*

Literis prioribus generalibus derogant poſteriores, *cap. paſtorales. & cap. ſi autem, de reſcript.*

Juxta literarum formam Judex procedere tenetur, niſi ſint contra jus, *cap. cauſam, de ſent. & re judic.*

Literæ commiſſoriæ extenduntur tantum ad ea, quæ ibi continentur, *cap. cum olim, de offic. deleg.*

Literarum impetratarum juriſdictio, ſi intra annum negligatur, vel ex malitia ſupprimatur, expirat, *cap. plerumque, de reſcript.*

Literarum Papalium falſitas quomodo cognoſcatur, & quomodo examinetur, *cap. licet, de crimine falſ.*

Literis Papalibus abutentium pœnæ, *cap. nonnulli, de reſcript.*

Literis contra aliquem impetratis, ipſo defuncto ante citationem emiſſam, non poteſt ejus hæres conveniri, *cap. ſignificavit, eod. tit.*

Literæ a Laico impetratæ contra Clericum, mentione non facta quod ſit Clericus, non valent, c. *ex parte, de teſtib.*

LOCATOR conductorem prohibere non poteſt, quo minus re conducta fruatur. Quod ſi fecerit, ex conducto tenetur: quod fallit, ſi res locata uſibus domini neceſſaria ſit, *cap. propter*, 3. §. *verum, de locato & conducto.* item ſi dominus ædes locatas reficere velit, *dict.* §. *verum.* item ſi conductor male in re conducta ſit verſatus, *dict.* §. *verum. verſ. qui etiam inde.* denique ſi conductor non ſolverit penſionem, *dict.* §. *verum. verſ. vel cum canonem.*

Locari poſſunt decimæ, & qua forma, *cap. veſtra nobis, de locat.*

De locatione domorum in univerſitate, *cap.* 1. *de locat. & conduct.*

Per locationem ſolam non rei probatur proprietas, *cap. inter dilectos, de fid. inſtrum.*

In locatione debent computari expenſæ locantis, & qualiter, *cap. propter ſterilitatem, de locat. & cond.*

Locari non debent officia ſeu dignitates ſub annuo cenſu, *cap. quoniam in quibuſdam, ne prælat. vices ſuas.*

LOCUPLETARI non debet aliquis cum alterius injuria vel jactura, c. *locupletari*, 48. *de reg. jur. in* 6.

de LUCIFERO, *de pœnitent. diſt.* 2. c. *penult.* §. *hinc etiam diabolus.* c. *ult. in princ. uſque ad* § *charitas.*

de LUSU prohibitio, *diſt.* 25. c 1. *in fin.*

De luxuriis non naturalibus puniendis, *cap. Cler.* 4. *de exceſſib. prælator.*

## M.

MAGIA, 26. *q.* 5. *cap. non oportet.* c. *Epiſcopi, in princ. cap. nec mirum.* §. *magi ſunt. &* 26. *q.* 3. c. 1. §. *primum autem.*

MAGISTER in Theologia debet in qualibet cathedrali Eccleſia ad legendum inſtitui, *cap. ſuper ſpecula, de magiſt.*

Magiſtri & ſtudioſi Theologiæ quinque annis fructus beneficiorum ſuorum recipiant, *ibid.*

Magiſterium non eſt vendendum, & vendentium pœna, *cap.* 1. *de magiſt.*

MAGISTRATUS ratio habetur, 23. *qu* 5. *cap. non fruſtra.* c. *principes.* c. *res autem.* c. *adminiſtratores, in princ.* & de hæreticis, eorumque fautoribus, receptoribus, liberis, &c. cavetur, *cap. quicunque.* §. *hæretici. &* c. *ſtatutum*, 15. *de hæreticis, in* 6.

### *Qui & quales ordinandi.*

De infantibus non ordinandis, c. *penult. de reg. jur. in* 6.

De Judæis non ordinandis, 17. *qu.* 4. *cap. nemini, in fin. cum cap. ſequent.*

Ne alicui patriæ ſuæ adminiſtratio committatur, 17. *q.* 4. *ſi quis ſuadente.* §. *committunt, in fin.*

De Potentibus externis, horumve cognatis in Magiſtratum urbis Romæ non eligendis, c. *fundamenta*, 17. *de electione, in* 6.

### *Quemadmodum Magiſtratus ordinandus.*

De jurejurando ab ordinato præſtando, 1. *q.* 7 c. *ſancimus.* Aliud juramentum de hæreſi cavenda præſcribitur, *cap. ut officium*, 11. §. *ſtatuimus, de hæreticis, in* 6.

Ne per ſeditionem aut Ambitum Magiſtratus ordinetur, 1. *q.* 1. *cap. principatus.*

Magiſtratus ſuperioris exemplum inferiores ſequuntur, *cap. magna*, 7. §. *præterea, de voto.*

Inte-

UNED

Integritas præſidentium, ſalus eſt ſubditorum, *diſt. 61. cap. mirantur. §. integritas.*

Totus familiæ ſtatus, & ordo nutabit, ſi quod requiritur in corpore, non inveniatur in capite, *dict. cap. miramur. §. nam totius.*

## *Officium Magiſtratus.*

De coercendis delictis, 23. *q.* 3. *cap. inceſtuoſis*, c. *regum.* c. *non ſolum.* c. *non eſt.* c. *malos. cap. ſunt quadam. cap. rei debent.*

De Eccleſia per Magiſtratum defendenda, cavetur, 23. *quaſt.* 3. c. *dicat.* §. *fin. cum* c. *ſequent.* & c. *res autem.*

De malis ad bonum cogendis, 23. *q.* 6. *per totum.* in cujus fine ponitur objectio, nimirum c. *ult.* §. *ſed objicitur.* item ſolutio, *ibid.* §. *his ita.*

Minor Magiſtratus majori cedere debet, *cap. qua contra.* §. *fin. diſt.* 8. c. *volentes*, 8. *de officio delegati.* 11. *q.* 3. *cap. qui reſiſtit.*

De Reverentia & obſequio Magiſtratui præſtando, 23. *q.* 5. *cap. ſi apud.* c. *dicat.* quod verum eſt, ſi non injuſtum quid jubeat Magiſtratus, vel contrarium ei quod alius Magiſtratus ſuperior juſſerat: tunc enim impune ei obſequium non præſtatur, 11. *q.* 3. *cap. qui reſiſtit. cum cap. ſeq. item* 2. *q.* 7. c. *admonendi.*

Si Magiſtratus excommunicandi poteſtatem non habeat, non debetur ei obſequium. Quæ tamen exceptio reprobatur exemplo, c. *dilecta*, 2. *de major. & obedient.*

Non refertur ad univerſos, quod publice fit per majorem partem, 1. *q.* 7. c. *quoties a. populis.*

MAJORA intelliguntur prohibita, cui minora non ſunt permiſſa, *cap. cum illorum*, *de ſententia excommunication.*

Quod in majori conceditur, licitum videtur in minori, *cap. per venerabilem*, *qui fil. ſint legit.*

Major natu ſuccedere debet in Regno, c. *licet univerſis*, *de vot. & vot. redempt.*

Major eſt poteſtas ſpiritualis, quam temporalis vel ſecularis, c. *ſolicite*, *de major. & obedient.*

Major natu debet dividere, & minor eligere, c. 1. *de paroch.*

Majores natu debent Eccleſiis præfici, *cap. quoniam*, *de jure patron.*

MATEDICTIO injuſta præmium eſt, 11. *qu.* 3. c. *qui juſtus*, *in pr.*

MALITIA ſupplet ætatem, *cap. de illis*, *de deſponſat. impub.*

De malitia ſua nemo commodum reportare debet, c. *intelleximus*, *de jud.* & c. *contingit*, *de dol. & contum.*

MALEFICIATUS creditur poteſtatem habens alias cognoſcendi, non vero ſuam, licet per octennium cohabitaverit, c. *ult. de frigid. & malefic.*

Maleficiatus per triennium uxori cohabitare tenetur, antequam ſeparentur ab invicem, *ibid.*

Maleficiatus ſeparatus aliam cognoſcens, ad primam redire cogitur, *cap. fraternitatis*, *ibid.*

In maleficiis ratihabitio mandato æquiparatur, c. *ſicut tuis*, *de ſimon.* & *cap. ſicut dignum*, *de homicid.*

MALUM minimum ex duobus malis eligendum, 22. *q.* 4. c. *non ſolum.*

Si Male quæſitis quis bene utatur, per hoc non juſtificatur. 14. *q.* 5. c. *neque enim.* c. *denique.*

ex MANDATO mandati actio naſcitur: Niſi conſilium fuerit non fraudulentum, c. *nullus*, 62. *de reg. juris in* 6.

Mandatum revocari poteſt, ſi fides procuratoris ſit ſuſpecta, c. 1. *de procur.*

Mandatum ſpeciale derogat generali, *cap. ſtuduiſti*, *de offic. legati.*

Mandatum an morte mandatoris expiret, *vide in cap. relatum*, *de offic. deleg.*

Mandatum revocari poteſt re integra exiſtente, alias non c. *cum dilectus filius*, *de elect.*

MANICHÆI conjugium deteſtabantur, *diſt.* 30. *in pr. verſ. cauſa fuit.*

MANIFESTUM, *cap. conſtitutionem*, 2. *in pr. de verbor. ſignific. in* 6.

Manifeſta peccata publica & non privatim corrigenda & punienda, c 1. *de pænit. & remiſſ.*

Manifeſta offenſa quæ dicatur, c. *cum olim*, *de verbor. ſignific.*

MANUMISSO poteſt dominus operas ſpirituales imponere, c. *eo libentius*, *de ſerv. non ordin.*

de MARIA ſancta, quod in peccato mortali non ſit concepta, & de feſto conceptionis habetur c. *gravem*, 2. *de Reliquiis ſanctorum*, *in extr. com.*

MARITO in ſervitutem redacto, nihilominus uxor manet libera, 29. *q.* 2. c. *cujus rei.* §. *fin. cum* c. *ſeq.*

Maritus religionem intrans conſentiente uxore, reſtituatur uxori, ſi continere nolit, præſertim ſi ſine conſenſu Epiſcopi religionem intravit, c. 1. & c. *ex parte*, *de converſ. conjug.*

de MARTYRIO, *de pænitent. diſt.* 1. c. *poteſt fieri*, *in princ.*

MATER infantem ipſa nutrire, non alii nutriendum tradere debet, *diſt.* 5. c. *ejus.* §. *prava autem.*

MATHEMATICUS, 26. *qu.* 2. c. 1. §. *ſic & aſtronomia.* §. *genethliaci.*

MATRIX Eccleſia, *cap. venerabili*, 22. *de verborum ſignific.*

MATRIMONIUM quid, *vide in cap. illud*, *de praſumt.*

Matrimonium dictum, quod in liberis procreandis & educandis potiores partes ſint matris, quam patris, c. 2. §. *ad quod illa*, *de converſione infidelium.*

Prima diviſio eſt, quod aliud ſit initiatum, aliud ratum, 27. *q.* 2. *cap. ſtatutum.* §. *fin.*

Secunda diviſio eſt, quod aliud ſit & legitimum & non ratum, aliud ratum & non legitimum: aliud denique legitimum & ratum, 28. *q.* 1. c. *ult.* § *conjugium.*

Matrimonii finis eſt, procreatio liberorum, & per eam propagatio generis humani, 31. *qu.* 1. c. *Deus.* 32. *q.* 2. *in pr.*

Matrimonium bonus eſt uſus concupiſcentiæ, 32. *q.* 1. *cap. non enim.*

Comparatio conjugii cum virginitate habetur, 32. *qu.* 1. *cap. nuptiæ*, *in pr.*

De conjugio non contemnendo, *vid. diſt.* 30. *cap. ſi quis propter. cap. ſi quis vel. cap. ſi quis nuptias. item diſt.* 31. *cap. ſi quis voverat. cap. quicunque virginitatem.*

Matrimonium ſolo conſenſu contrahitur, *cap. cum locum*, *de ſponſ.*

In matrimonio verba requiruntur conſenſum manifeſte exprimentia, *cap. tua fraternitati*, *eod. tit.*

In matrimonio ætas & conſenſus requiritur, ſine quibus nihil agitur, *cap. ex literis*, *de deſponſat. impub.*

Matrimonium præſumitur, ubi poſt fidem datam ſequitur carnalis copula, *cap. veniens*, *de ſponſ.*

In matrimonio malitia ætatem ſupplet, *cap. de illis*, *de deſponſ. impub.*

Clandeſtino matrimonio conſentiens Sacerdos eſt ſuſpendendus, c. *cum inhibitio*, *de cland. deſponſ.*

Matrimonio inhabilis, uxorem tanquam ſororem habere poteſt, *cap. conſultationi*, *de frigid. & malefic.*

In matrimonii cauſa, lata ſententia, errore probato, revocari poteſt, *cap. fraternitatis*, *de frid. & malefic.*

Quæ in matrimonium ab initio coacta conſenſit, ſi per annum & diem cum marito cohabitat, conſenſiſſe ſponte videtur, nec teſtes in contrarium recipiuntur, *cap. ad id quod, de ſponſal.*

Clandeſtinum matrimonium in publico ratificandum eſt, *cap. quod nobis, de clandeſt. deſponſ.*

Matrimonium cum arcta contractum, propter ſola conjugum verba dirimi non debet, niſi aliæ adſint probationes, *cap. fraternitatis, de frigid. & malefic.*

Matrimonium coactum copula ſequente confirmatur, *cap. ſignificavit, de eo qui dux. in matr.*

Matrimonium beguinarum tenet, nec officit, ſi habitum recipiunt de manu Sacerdotis, *cap. conſuluit, qui Cler. vel vov.*

Matrimonium contractum non impedit velum viduitatis, niſi certam religionem aſſumat, *cap. ex parte, de converſ. conjug.*

In matrimonio non currit præſcriptio, *cap. in præſentia, de ſponſ.*

Matrimonium confirmatur carnali copula, *cap. a nobis, de deſponſat. impub.*

## *Matrimonium qui contrahere poſſint, & cum quibus.*

Matrimonium contrahere non poſſunt, qui conſentire non poſſunt, ut pueri, *cap. acceſſit, de deſponſ. impub.*

Matrimonium contrahere poſſunt ſurdus & mutus per ſigna, *c. cum apud ſedem, de ſponſal.*

Matrimonium contrahere non poſſunt profeſſi in religione, *cap. meminimus, qui Cler. vel vov.*

Matrimonium liberi cum ancilla non valet, niſi eam talem eſſe prius ſciverit, vel poſtquam reſcivit eam cognovit, *cap. propoſuit, de conjug. ſervor.*

Matrimonium contrahere non poteſt furioſus, *cap. dilectus, de ſponſ.*

Matrimonium cum inhabili valet, ſi contrahentes voluerint, *cap. conſultationi, de frigid. & malefic.*

Matrimonium inter filium ſpiritualem baptizantis, & carnalem filiam baptizati non valet, *cap. ex literis, de cognat. ſpirit.*

Matrimonium contractum cum ea quæ alteri per verba de præſenti deſponſata eſt, non valet, *cap. accepiſti, de ſponſ. duor.*

Matrimonium contractum cum ſorore ejus quam quis ante ſeptennium attentavit, non valet, *c. juvenis, de ſponſ.*

## *Matrimonium quomodo dirimatur?*

In matrimonio dirimendo aſpectus corporis præfertur juramento, *cap. propoſuiſti, de probat.*

Matrimonio juncti non ſeparentur per ſolam & privatam confeſſionem viri & uxoris, *cap. lator præſentium, de ſentent. & re judicat.*

Matrimonium illud dirimitur, in quo per ſeptennium uxori cohabitans eam cognoſcere non poteſt, *c. litera veſtra, de frigid. & malefic.*

MATRONA in habitu meretricali inventa injuriarum agere non poteſt, *cap. in audientia, de ſentent. excommunicat.*

MEDICI ante omnia infirmum ad confeſſionem inducere debent, nec quicquam illi ſuadere, quod ad periculum animarum tendat, *cap. cum infirmitas, 13. de pœnitentiis.*

Si execrabili modo medeatur, vel ſanari cupiat, *26. qu. 2. c. illud quod c. qui ſine. q. 7. c. admoneant. c. non obſervetis. verſic. ſive qui per quoſdam.*

Medicus nihil omittens de contingentibus non eſt puniendus, niſi æger moriatur, *c. ad aurea, de ætat. & qualit. præfic.*

Medicus conſulat etiam ſaluti animæ ægrotantis, neque ratione medicinæ detrimentum inferat animæ, *c. cum infirmitas, de pænit. & remiſſ.*

Medicina aduſtionis vel inciſionis eſt Clericis prohibenda, *c. ſententiam ſanguinis, ne Cler. vel Mon.*

de MENDICANTIBUS, *c. unic. de religioſis domibus in 6. c. unico, de exceſſ. Prælat. in 6. Clement. 1. de regularib. Clementin. cupientes, 3. de pœnis. extravag. comm. unica, de officio cuſtodis. extravag. com. vices, 2. de treuga & pace. extravag. commun. 1. de regul.*

METROPOLITANUS, *diſt. 1. c. Cleros. §. Metropolitani. & §. Patriarcha patrum, in fin.*

Metropolitanus dignitatis ſibi traditæ antiquitus jus intemeratum obtineat, *25. quæſt. 2. c. igitur, & c. ſervatis.*

Ne in una provincia Duo Metropolitani conſtituantur, *diſt. 101. c. 1.*

Metropolitanus provinciam ſuam viſitare poteſt, *cum ex officii, de præſcr.*

Metropolitanus cum ſuis Epiſcopis conſecrent Epiſcopum, *c. 1. de ſacr. unct.*

METUS cadens in virum conſtantem excuſat, *c. ad audientiam, de iis quæ vi metuſve.*

Metus ingreſſum religionis vitiat, niſi poſtmodum etiam conſentiat, *c. 1. eod. tit.*

Renuntiatio metu Laicorum facta non valet, *c. 2. eod. tit.*

Metus & coactio conſenſum excludunt, *c. cum locum, de ſponſ.*

Metus vitæ & bonorum conſervationem tantum ſpectans, non abſolvit jurantem a juramenti præſtatione, *c. ſi vero. §. verum de jurejurand.*

de MINORIBUS: hi poſſunt ubique vel ſine licentia Prælati prædicare, *c. in iis, 30. de privilegiis. Clement. dudum, 2. de ſepulturis. extravagant. com. unica, de judiciis. extravag. com. ſuper cathedram, 6. de ſepulturis. extrav. com. 1. de privilegiis. c. quia ex eo. 3. de pactis, in 6. c. ex iis. 3 de verb. ſignif. extrav. in 6. Clement 1. eod. tit. extrav. Joan. XXII. 1 de verb. ſignif. extrav. Joan. XXII. ad conditorem, 3. & ult eod. tit.*

MINORENNIS quomodo intelligatur quis eſſe, *c. in præſentia, de probat.*

Minoris jure fungitur Eccleſia in reſtitutionibus, *c. 1. & c. auditis, de reſtitut. in integ.*

MIRACULA ſunt per teſtes examinanda, & qualiter, *c. venerabili, de teſtibus.*

Miracula faciens non colatur tanquam ſanctus, niſi Romanæ Eccleſiæ auctoritate, *c. 1. de reliq. & venerat. ſanct.*

Per miracula probet ſe quis a Deo miſſum, *c. cum ex injuncto, de hæret.*

de MISERICORDIA, *21. q. 4. c. eſt injuſta, c. ne amiſſo. c. duo iſta. item diſt. 86. qui clementiam.*

de MISSÆ origine. *De conſecr. diſt. 1. c. Jacobus.* & de cauſa miſſæ & uſu, *habetur c. cum creatura, 11. de celebrat. miſſar.*

Miſſa an ſit de ſubſtantia ordinum & Eccleſiarum conſecrationum, *c. quoad ſicut, de elect.*

Miſſarum celebrationem impedit deformitas vel debilitas perſonæ celebrare volentis, *c. Presbyterum. de Cler. ægrot.*

Miſſas duas quando Sacerdos celebrare poſſit, & tunc poſt ſanguinem vinum non ſumat, *c. conſuluiſti. & c. ex parte veſtra, de celebrat. miſſ.*

Miſſam nemo propter conſcientiam celebrare fingat, qui dupliciter peccat, *c. dolenter, eod. tit.*

MODERATIO, *cap. tranſmiſſa, 33. de verbor. ſignificat.*

MONACHUS, *16. quæſt 1. c. 1. in princ. cap. placuit. §. fin.*

Monachus non fiat quis, niſi in legitima ætate, *cap. c. de regul.*

Monachus poteſt in Epiſcopum eligi, *cap. cum olim, de dol. & contum.*

Monachus qualiter poſſit proprium poſſidere, *cap. 1. de ſtatu Monach.*

Monachus poteſt etiam in cauſa monaſterii teſtimonium perhibere, *cap. tertio loco, de probat.*

Monachi irregulariter viventes ejiciantur, niſi ſe corrigant, *cap. relatum, ne Cler. vel Monach.*

Monachi non regant Eccleſias ad eos pleno jure non ſpectantes, *cap. 1. de Capell. mon.*

Monachus cum licentia Abbatis & Epiſcopi ſui prædicare poteſt, *cap. cum ſit, de Jud. & Sarracen.*

Monachum non facit habitus, ſed profeſſio, *cap. porrectum, de regular.*

de MONASTERIO fœminarum longius a virorum monaſterio ædificando, 18. *quæſt. 2. cap. monaſteria.*

Puellarum monaſteria Monachorum præſidio & miniſterio regantur, 18. *quæſt. 2. cap. in decima. c. pluralis,* 40. *de regul. juris, in 6.*

Ne vir Monaſterium Monialium ingrediatur, *cap. monaſteria,* 8. *de vita & honeſtate Clericor. cap. unico, in princ. verſ. nullique aliquatenus, de ſtatu regular. in 6.*

De Colloquio Monialium cum Monachis interdicendo, 18. *quæſt. 2. cap. in decima. verſ. ſed neque Abbatem. & dict. quæſt. 2. cap. diffinimus. §. verum.*

Ne cum viris concumbant, 27. *quæſt. 1. cap. nec aliqua, cum cap. ſequente.*

Ne ſimul cum Canonicis & Monachis conveniant in Clero, 18. *quæſt. 2. cap. pernicioſam. §. ſimili modo.*

Ne Moniales monaſterium egrediantur, *cap. unico, in princ. de ſtatu regular. in 6.*

Niſi abbatiſſa præſtandi juramenti fidelitatis cauſa monaſterium egrediatur, *d. cap. unico. §. verum.*

Ne ſanctimoniales propria receptacula habeant, 18. *quæſt. 2. c. pernicioſam, in princ.*

De Veſtitu Monialium, *diſtinct.* 23 *cap. ſanctimonialis.*

De conſecrandis & velandis ſanctimonialibus, 20. *qu. 2. cap. devotis, cum ſequentibus, uſque ad cap. ult.*

De Viſitandis Monialibus, & earum officio, *Clement. ult. de ſtatu Monachorum.*

Denique regula, eadem in Monialibus, quæ in Monachis, jura ſunt obſervanda, *cap. ult. §. fin. de ſtatu Monachorum.*

Monaſteriis pluribus unus Abbas præeſſe non debet, nec unus Monachus in duobus manaſteriis locum habere, *cap. ult. de Xenodoch.*

MONIALEM percutiens incidit in canonem, *c. de Monialibus, de ſent. excomm.*

Monialis de inceſtu ſuſpecta ſe purgare tenetur, *cap. Moniales, de purg.*

Monialium monaſteria frequentantes Clerici, admoniti deponantur, Laici excommunicentur, *cap. monaſteria, de vit. & honeſt. Cler.*

Monialis divinum officium turbans, ſine excommunicatione ejici poteſt, *cap. veniens, de ſent. excommunicationis.* idem de Clericis vel Religioſis intelligendum.

Monialis in quacunque cauſa criminali vel civili non eſt ad juramentum compellenda, *cap. 1. de jur. calumn.*

MONETA qualiter fit & innovatur, *c. quanto, de Jurejur.*

in MORA non eſt, qui poteſt exceptione legitima ſe tueri, *cap. non eſt,* 60. *de reg. jur. in 6.*

ſi MORIATUR quis in bello contra hæreticos ac infideles, juſtificatur, 23. *q. 5. c. omnium. q. 8. cap. omni timore.*

MORTUO poteſt abſolutio excommunicationis impendi, *c. a nobis, de ſent. excommun.*

MULCTA alicui indicta jure civili pertinet ad fiſcum, *l. 5. Codic. de modo mulctarum.* Secus tamen obſervatur jure Pontificio.

MULIER, 32 *quæſt. 2. cap. penult.*

De orationibus & meritis mulierum Eccleſiaſticarum, cavetur *diſtinct.* 81. *cap. ult.*

Mulier ab undecimo anno dicitur nuptiis apta, *cap. continebatur, de ſponſ. impub.*

Neque mulier, neque monialis prædicare, benedicere, vel confeſſionem audire poteſt, *cap. nova, de pœnitent. & remiſſ.*

Mulier arbiter eſſe poteſt in civili cauſa Clericorum, *cap. dilecti, de arbitr.*

Mulier procuratrix eſſe poteſt, *cap. cum dilecta, de confirmat. util.*

Mulier præbendas conferre poteſt, *c. dilecto filio, de teſtib.*

MUTILATUS manu ordinari non poteſt, *cap. expoſuiſti, de corp. vit.*

MYSTERIUM, 1. *quæſtion. 1. capit. multi. §. myſterium.*

## N.

NATALIUM cauſa, ad forum Eccleſiaſticum pertinet, *cap. tuam, de ordin. cognit.*

Nativitas legitima prius probanda venit, quam de ſucceſſione agatur, *ibidem.*

Nati ex libero ventre in ſervitutem non redigantur, *cap. 1. de nat. ex lib. ventr.*

NATUS, *cap. nam & ego,* 3. *de verb. ſignif.*

ſi ex NAUFRAGIO quid abſtulerit, excommunicatur, *cap. excommunicationi,* 3. *§. illi etiam, de raptoribus.*

NECESSITAS licitum facit, quod non eſt licitum in lege. *c. quod non eſt,* 4. *de reg. jur.*

Neceſſitas legem non habet, *cap. conſilium. de obſervat. jejun.*

Neceſſitas juramentum excuſat, *cap. ſi vero, de jurejur.*

NEGATIVA probari non poteſt, nec debet, niſi purgando ſe de calumnia, *c. bona, de elect. & cap. cum dilectus filius, de calumn.*

de NEGLIGENTIA, *diſtinct.* 83 *cap. ult. §. ſicut autem.*

Negligentia Epiſcopi punitur, *c. 1. de ſuppl. neglig. Prælat.*

Propter negligentiam in præſentando admiſſam, jus præſentationis amittitur illa vice, *cap. 3. eod. tit.*

Propter negligentiam collationis beneficiorum intra tempus ſemeſtre, ſpectat ad Papam collatio, *cap. licet, eod. tit.*

Per negligentiam jus eligendi amittitur, *c. ult. eod. tit.*

Per negligentiam inferiorum, beneficiorum collatio ad ſuperiorem devolvitur, *cap. quia diverſitatem, de conceſſ. præbend.*

Per negligentiam perdit Prælatus juriſdictionem, *cap. per tuas, de ſent. excommun.*

NEGOTIUM, *cap. forus,* 10. *§. negotium. & §. in omni. item diſt.* 88. *cap. quoniam. §. fin.*

Si quis negotia Eccleſiæ gerendo, vel Eccleſiæ rebus damnum intulerit, ſibi lucrum captando: vel contra in ſuis rebus damnum ſenſerit, dum utilitati Eccleſiæ ſtudet, hoc damnum hinc inde præſtabitur, 12. *quæſt. 4. cap. 1. §. fin. cum c. ſequente. uſque ad §. ſi vero de reb.*

Si quis negotia Eccleſiæ gerendo res ejus conſumpſerit, hoc præſtandum eſt, 12 *q. 5. cap. obitum.* Quo nomine etiam adverſus hæredem datur actio, *d. cap. obitum.*

NEGOTIATOR, *diſt.* 88. *cap. ejiciens. §. oſtendam ergo, de verb. ſignific.*

NOBILITAS vitæ & non ſanguinis attendenda eſt in beneficiorum collatione, *c. venerabilis frater, de prabend. & dignitat.*

NOMINATIO ſola nullum jus acquirit nominato, *cap. quod ſicut, de elect. & cap. cum olim, de verbor. ſignific.*

NOTO-

NOTORIUM quid & quot modis dicitur, cap. veſtra, de cohab. c. Cler.

Notoria probatione non egent, cap. tua nos, eod. tit. & c. evidentia, de accuſat.

Notoria per famam purgatione indigent, & taliter diffamatis non eſt indicenda purgatio, ſed condemnatio, cap. cum dilectis filiis, de purgat. canonic.

In notoriis Eccleſiæ judicium requiritur, cap. porro, de divort.

In notoriis non requiritur ordo juris, cap. ad noſtram, de jurejur.

NOVALE, cap. I. capit. quid per novale, de verb. ſignif.

NOVI operis nuntiatio remittitur, ſi is cui nuntiatum eſt, cautionem præſtet de opere, ſi non jure fuerit ædificatum, demoliendo. Niſi in continenti vel intra tres menſes probari poſſit, non jure ædificari. cap. penult. & ult. de novi operis nuntiatione.

Si quis contempta novi operis nuntiatione, opus fecerit, illud deſtruere cogitur, c. I. cum cap. ſeq. dict. tit. etiamſi jure opus factum ſit, d. c. I. cum ſeq.

### *Nullitas ſententiæ quando ſit ex perſona judicantis.*

Si Excommunicatus ſententiam tulerit, 24. q. I. c. Achatius. in fin. cum cap. ſequent. dict. qu. I. cap. miramur.

Si Hæreticus ſententiam tulerit, 2. q. 6. cap. catholicus. quod fallit, ſi Judex de hæreſi nondum fuerit damnatus, ſecus ſi ipſa hæreſis jam olim fuerit damnata, 24. quæſt. I. in princ. cum cap. ſeq. cap. majores. cap. Achatius. vel, ſi novam hæreſin effingens, eam ex corde prædicare cæpit, dict. quæſt. 2. c. audivimus. §. ſin autem ex corde, cum ſequent.

Si a Non competente Judice ſententia ſit lata, cap. at ſi Cler. 4. de judiciis. 2. quæſt. I. c. in primis. §. de perſona Epiſc. 3. quæſt. 8. cap. I. § nullum. 9. quæſt. 2. c. I. II. q. I. c. in Clericum. qu. 3. cap. cui eſt. Clement. 2. de re judicata. fallit, ſi actor a Judice condemnatus, exceptione propoſita utatur: huic enim ea non prodeſt, 3. qu. 8. cap. I. §. cujus. item ſi publice ab omnibus Judex competens fuerit exiſtimatus, 3. qu. 7. c. I. in fin.

Si Judex pecunia corruptus ſententiam dixerit, extravag. comm. I. §. juſtitiam vero, de ſentent. excomm. 2. qu. 6. c. ult. §. venales.

Si Quidam, non omnes judicaverint, 2. q. 6. c. ult. §. item ſi plures. 3. qu. 6. c. diſcutere. verſ. ita ut nemo ex eis deſit. De officio delegati. c. cauſam, 16. c. uno, 42 & cap. ult. in princ. verſ. idem quoque. quod fallit, ſi omnes fuerint præſentes: tunc enim, quamvis non omnes conſenſerint, ſtatur tamen ſententiæ majoris partis, c. I. in princ. & c. ultim. de iis quæ fiunt a majore parte. Plane ſi utriuſque ſententiæ pares numero Judices ſint, quid ſequendum ſit, c. ult. de re judicata: Quod autem dict. c. ult. dicitur: Si ex delegata poteſtate utraque pendet ſententia ex arbitrio delegantis, verum eſt: diverſum etiam obſervatur, ſi in ſynodo provinciali diſſenſerint: hoc enim caſu ea ſententia obtinet, cui Metropolitanus vicinæ provinciæ accedit, 6 quæſt. 4. in princ. cum c. ſequente. c. ſi quis Epiſcopus. c. ſi inter Epiſcopos. in princ. Porro dict. cap. ult. in fin. cavetur de diſſenſu arbitrorum con promiſſariorum. Fallit deinde ſi ita convenit, vel cauſa delegata ſit, ut uno vel pluribus abſentibus, cæteri nihilominus judicare poſſent, cap. prudentiam, 21. §. adjicimus. cap. cum ſuper. 23. verſ. quamvis ſolus, de officio delegati. cap. cum plures, 8. in princ. eod. tit. in 6. ſed tamen ſi conſtiterit abſentem adeſſe noluiſſe vel non potuiſſe, valet ſententia, d. c. prudentiam, 21. in princ. & c. cum cauſa, 22. eod. tit. denique valet ſententia, ſi præſens ſubdelegatum abſentis admittere noluit. Sed reprobatur cap. coram dilecto, 34. eod. tit.

### *Ex perſona ejus qui judicatus eſt.*

Si contra abſentem ſententia dicta ſit, nulla eſt, cap. tenor. 10. de re judic. cap. conſultationib. 10. de officio delegati. cap. inter quatuor, 8. de majoritate & obedientia. 2. quæſt. I. cap. in primis §. ſed & de perſonis. verſ. ſi ſcriptis judicatum eſt. 3. quæſt. 8. cap. I. § fin. Niſi per contumaciam abſens fuit, contra quem judicatum eſt, dict. cap. conſultationibus. 10. in fin. verſ. niſi is qui poſſidet. cap. veritatis, 8. de dolo & contumacia. 2. quæſt. I. c. nomen. §. fin. 3. qu. 8 c. I. §. fin. 24. qu. 3. c. de illicita. §. de conventione. ſed tamen contra Abſentem contumacem non valet ſententia, ſi ex diſpenſatione Pontificis abeſt. Approbatur exemplo, cap. cum olim, 17. de dolo & contumacia. valet tamen ſententia, ſi Judex probetur circumventus in ſententia ferenda, vel ex actis iniquitas ſententiæ conſtet. Approbatur exemplo, cap. cum Bartholdus, 18. de re judicata. Niſi legitima abſentiæ cauſa probetur, dict. cap. 18. item non valet ferenda, ſi abſens non fuerit legitime citatus, 5. qu. 2. c. I. ſed contra Abſentem valet ſententia, ſi cum eſſet præſens, a Judice receſſerit appellans, cap. ultim. de dolo & contum. in 6. Quod etiam verum, ſi cum abſenti præfixus eſſet terminus ad proſequendam appellationem, eam intra terminum non fuerit proſecutus, hoc enim caſu contra appellantem abſentem, etiam non legitime citatum, ſententia lata valet, cap. ſæpe contingit, 44 de appellationib.

Sententia non valet, ſi ante terminum præfixum, vel in ipſo termino, partibus non expectatis ſententia ſit lata, dict. c. 44. verſ. ſi quis autem terminum. cap. ex inſinuatione, 50. §. interim autem. & cap. ſignificante, 69. verſ. adjiciens quod cum de conſenſu, eod. tit. Niſi ante terminum a lege, non a Judice vel partibus præfixum, judicatum ſit, cap. oblata, 57. dict. tit. Niſi juriſdictio Judicis delegati in termino præfixo expiret: hiſce enim caſibus valet, cap. conſuluit, 24. de officio delegati.

Præterea ſententia contra abſentem lata non valet, ſi abſens ad Papam de cauſa litigioſa ivit, vel nuntium miſit, cap. dilect. 52. de appellationib. c. unico, de Clericis peregrin. extravag. comm. Divina, 1. de privilegiis quod fallit ſi poſt citationem iter arripuit, vel nuntium miſit, cap. meminimus, 9. cap. ſuggeſtum, 15. & cap. ad hæc, 30. de appellationibus, item ſi ante ſententiam appellans ſine rationabili cauſa, dicat ſe nuntium miſiſſe, cap. ut debitum, 59. verſic. non obſtante, dicat, eod. tit.

Sententia contra abſentem valet, etiamſi procuratorem non habeat, ſi poſt concluſam cauſam mandatum fuerit revocatum, cap. auditis, 8. de procuratoribus. item ſi ignorante Judice & adverſario mandatum ſit revocatum, cap. mandato, 13 eod. tit.

Si inter Alios, quam quibus Judex datus eſt, judicatum ſit, ſententia nulla eſt, cap. Petro, 40. de officio delegati.

Niſi alius juriſdictionem Judicis delegati impediat: in hunc enim æque ac in eos quibus Judex datus eſt, juriſdictionem exercere poteſt, c. I. eod. tit.

### *Ex quibus cauſis nullitas oriatur.*

Si ſententia neque Abſolutionem neque condemnationem contineat, nulla eſt, 2. qu. 6. cap. ult. §. diffinitiva. Niſi verbo æquipollenti Judex ſit uſus, cap. in iis quæ, de verb. ſignif.

Si de Alia re judicatum ſit, quam de qua Judex eſt datus, nullitas eſt: approbatur exemplo, c. cum dilect. 22. §. dictum, de reſcriptis. c. olim, 32. de officio delegati. Niſi id de quo pronunciatum eſt acceſſorium ſit ejus, de quo Judex eſt datus. c. prudentiam, 21. §. 6. in fin. de officio delegati. Cujus exemplum habetur dict. §. 6.

Si Authoritas ſuperioris contra ſententiam imploretur, nullitas eſt, 6. qu. 4. c. ult. cap. quod bene. verſ. niſi forte ibi fuerit. Sed hæc imploratio videtur intelligenda de appellatione, vel de in integrum reſtitutione.

Si contra Canones judicatum, vide ſupra eod. Leges.

Si ſententia ſub conditione lata conditio defecerit, nullitas eſt, 35 qu. 9. c. Apoſtolica.

Si

Si Cauſa ſententiæ Falſa ſit, vel Contrarium ejus, quod in ſententia quaſi factum pronunciatum eſt, poſſit probari: ſed hoc reprobatur 11. *qu.* 3. *c. non ſolum.* §. *contingit*, 35. *qu.* 9. *in pr. c. loci noſtri* §. *quia ergo*. Contradicit tamen *d. c. loci noſtri.* §. *his ita reſpondetur.* & *d. qu.* 9. *c. quod quis. c. veniam. c. ſententiam. c. grave. c. ult. Exemplum horum proponitur dict. qu.* 9. *c. penult.* admittitur tamen in matrimonio ex falſa cauſa diremptio, *dict. cap. loci noſtri.* § *aliud eſt.*

Si ex Falſis inſtrumentis ſit judicatum, nulla ſententia eſt, *cap. cum venerabilis*, 6. §. *licet autem, de exceptionib. cap. ſuper eo, de crimine falſi.*

Item ſi ex Falſo teſtimonio teſtibus corruptis ſit judicatum, *c. ſicut nobis*, 9. *de teſtibus. cap. cum I. & A.* 22. *de re judic.* quod fallit, ſi non probetur Judicem falſi teſtimonii fidem ſecutum in pronunciando, *dict. cap.* 22. *verſic. vel licet de hoc conſtaret.*

Si Fines ſuæ juriſdictionis Judex in ferenda ſententia exceſſerit, nullitas eſt, *dict. cap. prudentiam*, 21. *in pr. verſi. mandati ſiquidem.* 2. *q.* 6. *c. ult.* § *item cum certa.* quod fallit, ſi ſententia nihil iniquitatis habeat, *cap. cauſam*, 14 *de re judic.*

Si Gravatus ob vim ſibi factam, appellare non potuit, ſententia nulla eſt, quod probatur ſub conditione, *c ult. de appell.*

Item ſi gravatus iter ad Papam arripuerit, ſententia annullatur, *c. unico, de Cler. peregrinantib.*

Si Judicatum contra aliquem poſtquam protectioni ſuperioris quis ſe ſubjecit, judicatum non valet, *cap. ad audientiam*, 34. *de appell.*

Item ſi contra ſententiam prius dictam judicatum ſit, 2. *qu.* 6. *c. ult.* §. *item ſi ſententia.* quod fallit ſi antea diſpenſative judicatum ſit, 35. *q.* 9. *cap. ſcientiam.* item fallit, ſi exceptio rei judicatæ ante poſteriorem ſententiam non fuerit oppoſita, *cap. inter monaſterium*, 20. *de re judicata.*

Si jure nullo ſententia nitatur, non valet, *dict. qu.* 3. *c. cui eſt. item De re judicata. c. inter cæteras*, 9. *Cujus exemplum habetur c. non poteſt*, 4. & *c. lator*, 7. *eod. tit.* Niſi per triginta annos a morte judicis numerandos res ex injuſta ſententia ſit poſſeſſa, 16. *quaſt.* 3. *c. ſi Sacerdotes.*

Si contra Leges vel Canones ſententia ſit lata, nulla eſt, *c.* 1. *de re judic. c. adverſus*, 7. §. *quia vero nec ſic. de immunitate Eccleſiar.* 2. *q.* 6. *c. ult.* § *item ſi ſententia.* quod fallit primo, ſi contra jus litigatoris magis quam contra expreſſas leges ſententia lata ſit, quaſi in hoc caſu lex locum non habeat, *dict.* §. *item ſi ſententia. verſ. ſi vero contra jus. c. cum inter*, 13. *de re judicata.* item fallit, ſi ex conſuetudine contra jus commune ſcriptum ſententia lata ſit: item fallit ſi in cauſa Clericorum ex jure Pontificio contra jus civile ſententia ſit lata, *c. quod Cleric.* 9. *de foro competenti.* Quarto fallit, ſi Papa diſpenſative contra jus pronunciaverit, *c. in cauſis*, 19. *in fin. de re jud.* Poſtremo hoc loco notanda eſt diviſio injuſtæ ſententiæ trimembris, quæ habetur, 11. *q.* 3. *cap. Epiſcopus.* §. *ad hoc reſpondendum.*

Si regio Metu vel potentioris juſſu ſententia lata ſit, nulla eſt, 11. *q.* 3. *c. injuſtum.*

Si Noctu ſit pronunciatum, non valet, *c. conſuluit*, 24. §. *ne vero, de officio delegati.*

Si Nova Inſtrumenta poſt ſententiam latam in cauſa ſint inventa, ſententia non eſt nulla, *c. inter monaſterium*, 20. *verſ. cum ſub prætextu* & *c. ſuborto*, 21. §. *fin. de re jud.*

Si non ſervato juris ordine ſit judicatum, non valet, 2. *quaſt.* 1. *in pr. c. prohibentur.* §. *fin. q.* 6. *c. ultim.* §. *item ſent. citra.* 11. *q.* 3. *c. Epiſc. c. ad hoc. reſpon. verſ. ſed non ex ordine. c. ſervetur.* §. *fin. c eorum.* Exemplum hujus exceptionis habetur, *c exhibita*, 19. *de jud. c. cum dilectis*, 15. §. *his igitur & aliis verſ. prætermiſſo juris ordine, depurgat. canonica.* Contradicit 11. *qu.* 3 *c. non ſolum.* §. *cum ergo.* ſed fallit ſupradicta definitio, ſi cauſa ſit manifeſta ſeu notoria, *dict. c. prohibentur.* §. *fin. verſ. hæc de illis intelligenda ſunt. Hujus exemplum proponitur c. ad petitionem*, 22. *de accuſationib. c. quoniam*, 10. *de filii Presbyterorum.* Notorium autem dicitur tribus modis, per ſententiam, per confeſſionem, & per evidentiam rei, *c. ult. de cohabit. Cler.* ſed contra non valet ſententia, ſi Judici tantum cauſa ſit manifeſta, non etiam aliis, 2. *q.* 1. *c. multi. cum cap. ſequent.* vel ſi cauſa aliis nota, Judici ſit incognita, *dict. qu.* 1. *c. Deus* vel ſi reus factum neget, *dict. c. Deus.* §. *quando autem crimen* ſecundo fallit & ſententia valet etiam juris ordine non ſervato, ſi Judex juramentum præſtiterit, quod in omni cauſa ordinem judiciarium ſit obſervaturus: quod tamen reprobatur, *c. ad noſtrum*, 21. *de jurejur.* item tertio fallit & ſententia valet, ſi cauſa ſit Eccleſiaſtica beneficialis, decimarum, matrimonialis, uſurarum & ſimilis: in hujuſmodi enim cauſis de ſimplici & plano abſque judiciorum ſtrepitu procedendum. *Clement. diſpendioſam*, 2. *de judiciis.* Quod & ad matrimoniales cauſas attinet. *Concordat c.* 1. §. *conſultationi veſtræ, ut lite non conteſtata.* Quarto ſententia valet ſi cauſa Judici ita commiſſa ſit, ut ſimpliciter & de plano, ac ſine ſtrepitu ac figura judicii procederet. *Quæ replicatio approbatur ſimul & declaratur Clem. ult. de verb. ſignif.* alias ſi Papa judicaverit ordine non ſervato, ſententia nulla eſſet, *c. in cauſis*, 16. *de re judic.* denique ſententia valet etiam juris ordine non ſervato, ſi quis in hæreſin jam damnatam incidit: hic enim ipſo facto pro excommunicato habetur, etiam ſententia non interveniente, 24. *qu.* 1. *in pr. cum tribus cc. ſequentibus.*

Si Reſcriptum ſit a Papa contra ſententiam, nihilominus ſententia valet, *cap. ea quæ, de re judic.*

Si poſt Revocationem delegationis judicatum, ſit non valet: nimirum ſi Judex ſuperior cauſam ad ſe revocaſſet, *cap. ut noſtram*, 56. *de appell.*

Si ſatisfacere condemnatus ſit paratus, nihilominus ſententia valet, *c. cum aliquib.* 6. *de re judic.*

ne NUNDINÆ in templis vel cœmeteriis celebrentur, *c. docet*, 1. §. *ceſſent in Eccleſiis, de immunit. Eccleſias. in* 6.

NUNTII malitia non obeſt domino, *c. ſignificante, de pig.*

NUPTIÆ ab obnubendo dictæ ſunt, 30. *q.* 6 *c. nec illud, in pr.*

Definitio, 27. *q.* 2. *in pr.* §. *ſunt enim*, 29. *q.* 1. *in pr. Inſtit. de patria poteſtate.* § 1. quæ declaratur *d. q.* 2. *c. beata.* §. *individua.*

## O.

de OBEDIENTIA, 8. *q.* 1. *c. ſciendum.* 11. *q.* 3. *c. non ſemper. c. ſi dominus. cap. quid ergo.*

Obedientia ab Abbate Epiſcopo præſtita ſine Conventus conſenſu non valet, *cap. cum dilectus, de religioſ. domib.*

Ab obedientia ſui Epiſcopi non abſolvitur ſubditus Papæ, *cap. per tuas, de majorit. & obedient.*

Obedire non tenentur inferiores a Superiore exempti, *cap. inter, eod. tit.*

Obedientiæ juramentum debet a contumacibus exigi, *cap cum in Eccleſiis, eod. tit.*

Non obedientes Prælatis ſuis de Eccleſia debent ejici, *ibid.*

Obedire tenentur tam Laici, quam Clerici, Abbati juriſdictionem habenti, *cap. dilecta, eod. tit.*

Obedientiæ formam ab Abbate Epiſcopo præſtandæ, *vide cap. ne Dei, de ſimon.*

Ad obedientiam plenam quæ exigantur, *cap. his quæ, de majorit. & obed.*

OBLATIONES, *c. cauſa*, 13. §. *oblationes.* & *capit. cum inter*, 25. *de verb. ſignif.* 12. *q.* 1. *c videntes. verſ. ipſo enim.*

Obla-

UNED

Oblationum appellatione continetur, quicquid donatur Eccleſiæ vel mobile vel immobile in Eccleſia vel etiam extra Eccleſiam, *d. cap. cum inter nos*, 19. *de verborum ſignif.*

## *Quorum Oblationes non recipiendæ.*

Oblationes Diſſidentium fratrum non accipiendæ, *diſt.* 90. *cap. oblationes. cap. neque.*

Oblationes Excommunicati vel excommunicato factæ, non ſunt recipiendæ. Sed & hujus regulæ exceptio eſt: Niſi excommunicatus pœnitens, antequam abſolveretur, morte fuerit præventus, dum Sacerdotem invenire non potuit, 26. *qu.* 6. *cap. ſi aliquis, in pr. & q.* 7. *c. Sacerdos.* §. *pœnitentes vero.*

Oblationes ejus qui Filium ſuum Exhæredaverit, non accipiendæ, 17. *q.* 5. *c. ult. in pr.*

Oblationes injuſtorum non accipiendæ, *dict. cap. ſcriptum.*

Oblationes eorum qui Pauperes opprimunt, non accipiendæ, *dict. c. oblationes. & c. eorum, ead. diſt* 90.

Oblationes ex rebus turpiter quæſitis non accipiendæ, 14. *qu.* 5. *c. immolantis.* Contradicit *dict. qu.* 5. *c. ſcriptum.* §. *contra.* Solvitur hæc objectio *ibid. c. ſeq.*

Semel Oblatum Deo, non eſt revocandum nec retinendum, 17. *q.* 4. *c. ſunt qui opes, cum c. ſeq. Sacrilegium*, 13. *q.* 2. *c. Cler.*

OBLIGATIO ex illicito facto non naſcitur, *c. quod latenter*, 5. *de reg. jur.*

Sed ex contractu & quaſi contractu, maleficio & quaſi maleficio regulariter oritur obligatio ſimul & actio: Niſi juſſu Magiſtratus fecerit, *cap. quod quis*, 24. *de reg. jur. in* 6. item Niſi ſciente & conſentiente adverſario fecerit, *cap. ſcienti*, 27. *dict. tit. in* 6.

Obligatio turpis nec de facto, nec de jure valet, *c. ult. de pact.*

Obligatio pro Eccleſia facta ſucceſſorem obligatum habet, *c.* 3. *de ſolut.*

Obligans Eccleſiam pro debitis alienis, ipſo facto ab adminiſtratione temporalium & ſpiritualium eſt ſuſpenſus, nec ad ſolutionem ejus Eccleſia tenetur, *c.* 2 *eod.*

Obligatus non eſt ſucceſſor pacto anteceſſoris irrationabili, qui precatio bona Eccleſiæ conceſſit, *c.* 2. *de precar.*

Obligatio ad eum tranſit, qui emolumentum recipit, *cap. ex literis, de pig.* quia cum onere ſuo tranſit res ad ſuum poſſeſſorem, *c* 1. *de Eccleſ. ædific.*

in OBSCURO id ſequendum, quod legibus contrarium non eſt, *c. ultim. in fin. diſtinct.* 14. vide ſupra in Dubio.

ODIO alieno alter non debet prægravari, *c. non debet*, 21. *d. tit.* 1. *quæſt.* 4. *in princ. cum cc. ſequentib. uſque ad q.* 5.

OECONOMI non ſunt conſtituendi Laici, ſed Clerici, 16. *qu.* 7 *cap. in nova.*

ad OFFICIA publica Pagani non ſunt admittendi, vide infra in Pagani.

OFFICIALIS ex generali commiſſione non poteſt inquirere, corrigere, deponere & punire ſubditorum exceſſus, *c. licet*, 2. *de officio vicarii, in* 6. nec beneficia conferre poteſt, *c. ult. eod. tit.*

OLEUM conſecratum poteſt admiſceri non conſecrato, & totum erit conſecratum: ſimile eſt de aqua benedicta, *c. quod in dubiis, de conſecr. alt.*

de OPERIBUS, *de pœnitent. diſtinct.* 3. *c. pium eſt. c. ſi quando. cap. cavendum. c. quid ergo. cap. ultim. in princ. de conſecrat. diſt.* 6. *cap. nihil enim, cum duob. cc. ſequentibus.*

OPUS novum ſi alicui nuntiatum fuerit, per tres menſes ab opere deſiſtere debet, *c. fin. de op. nov. nuntiat.*

Operis novi nunciatio facit, ut quicquid poſt eam conſtructum fuerit, demoliri debeat, idque expenſis ipſius conſtruentis, *c. cum ex injuncto, de oper. nov. nunt.*

de OPINIONIBUS doctorum, *diſt.* 2. *c. reſponſa.* Hæ hodie probabilem tantum obtinent auctoritatem, non neceſſariam, *diſt.* 9. *c. noli meis. c. negare. cap. ego ſolis. c. noli frater. c. neque quorumlibet. item diſt.* 20. *in pr. cum c. ſequente.*

## *De Orationibus.*

In ORATIONE præmittatur præfatio, Surſum corda, *de conſecrat. diſt.* 1. *c. quando.*

Genua flectenda, vel proſtrato corpore orandum, 26. *qu.* 7. *c. Sacerdos.* §. *diebus etiam remiſſionis.* Niſi in Dominica, & per omnes dies Paſchæ uſque ad Pentecoſtem, *diſt.* 30. *c. ult.* §. *ſimiliter. diſt.* 76. *cap. ſcire debet, in pr. verſ. neque ad exorandum. item De conſecr. diſt.* 3. *cap. quoniam ſunt.*

Non verbis tantum, ſed & corde orandum, *de conſecr. diſt* 3. *cap. non mediocriter & dict. cap. quando.*

Ut oratio dominica matutinis & verſpertinis ſubjungatur, *de conſecr. diſt.* 5. *cap. id ſemper.*

De oratione pro ſeculari poteſtate habenda, *de conſecr. diſt.* 1. *cap. de hymnis.* §. *componuntur.*

ORATORIAS campanas habere non poſſunt ſine Epiſcopi conſenſu, *c. patentibus, de privil.*

Oratoria privata permittuntur certo modo, *de conſecr. diſt.* 1. *c. unicuique.*

In oratoriis privatis campanæ publicæ haberi non debent, *c. patentibus.* 10. *de priv.*

ORDO clericalis per primam tonſuram confertur, *c. cum contingat, de ætat. & qual. ord.*

Ordinis ſuſceptionem probet advena, antequam admittatur vel ulterius promoveatur, *cap. inter, de Cler. peregrin.*

Ordinatus ab Epiſcopo, ſine titulo, ab eodem ſuſtentetur, *cap. non liceat, de prabend. & dignitat. & c. Epiſcopus ſi aliquem, eod. tit.*

Ordinatus ab Epiſcopo qui ceſſit, quando miniſtrare poſſit, *c.* 1. *de ord. ab Epiſc.*

Ordinati extra ſtatutum tempus, miniſtrare poſſunt poſt pœnitentiam peractam, *c. conſultationi, de temp. ord.*

Cum furtive ordinato poteſt Epiſcopus diſpenſare, ſi non ſub excommunicatione prohibitus acceſſit, alias non diſpenſat, niſi religionem intret, *c. innotuit, de eo, qui furtiv. ordin.*

Non ordinatus miniſtrans, nunquam ordinetur, *c. ex literis, de Cler. non ord.*

Ordinatus a Papa non eſt ideo a Prælati ſui juriſdictione exemptus, *c. per tua, de majorit. & obed.*

Ordinem Subdiaconatus a Papa recipiens non poteſt ſine ejus licentia ab alio ulterius promoveri, *c. cum quidam, de temp. ordin.*

Ordinatus in apoſtaſia quando miniſtrare poſſit, *vide in c. ex parte, eod. tit.*

## *Quinam ordinari debeant vel poſſint, & quomodo.*

Ordinari non debent ſpurii, *c. per venerabilem, qui fil. ſint legit.*

Defectus genitalium ordinandum removet, *c. ſignificavit, de corp. vitiat.*

Ordinari non debet ſervus, niſi manumiſſus, *c.* 1. *de ſerv. non ordin.* Item nec infamis ante purgationem, *cap. non debet, de teſtibus.* Item nec pœnitentes publici, *c.* 1. *de bigam.* Item nec ad ratiocinia obligati, *c ad ratiocinia, de obligat.* Item nec membris mutilati, *c. expoſuiſti, de corpor. vitiat.*

Ordinari poteſt quis ad ſuum Patrimonium, *c. tuis quæſtionib. de præb. & dignit.*

Ordinem Subdiaconatus confert ſolus Papa, die Dominica, *c.* 1. *de temp. ordin.*

Ordi-

UNED

Ordines omnes quando conferri poſſint, *vide ibid.*

Ordines minores poſſunt Epiſcopi conferre die Dominica & feſtis præcipuis, *ibid.*

Ordines ſuſcipiens die non debito, eſt ad Papam mittendus, c. *cum quidam*, *de tempor. ordin.*

Ordinem recipientis ſine ætate legitima, & conferentis pœna, c. *vel non eſt compoſ. eod. tit.*

Ordines ſacri duo una die conferri non poſſunt, & pœna conferentis habetur, *in c. dilectus, eod. tit.*

De ordinis ſubſtantia non eſt tempus, impedit tamen executionem, c. *conſultationi*, *de temp. ord.*

Prælati & beneficiati ordines ſacros recipiant, vel amoveantur, c. *cum in cunctis*, *de elect.* & c. *quæris*, *de ætat. & qualit. ordin.*

Ordines duos uno die recipiens eſt ſuſpendendus, poteſt tamen cum eo diſpenſari pœnitentia peracta, c. 3. *de eo qui furt. ord. ſuſcep.*

ORDINARIUS non poteſt reſtituere poſſeſſionem contumaci, contra quem miſſio in poſſ. facta eſt a delegato, c. *paſtoralis*, *de offic. deleg.*

Ordinarius poteſt ex officio ſuo cogere partes, ut ſtent juſto arbitrio, & pareant ſententiæ arbitrorum, c. 2. *de arbitr.*

Ordinarius non tenetur obedire delegato, niſi ei de commiſſione conſtet, c. *cum in jure*, *de offic. Jud. deleg.*

Ordinario non exequente Judicis delegati ſententiam, ipſe delegatus exequi poteſt, c. *ſignificaſti*, *eod. tit.*

Ordinarius retractare debet iniquam ſententiam a Judice delegato in cauſa matrimoniali latam, c. *ſignificavit*, *eod. tit.*

Ordinarius Judicis delegati ſententiam exequi tenetur, c. *in literis*, *de offic. Jud. deleg.*

Ordinarius excommunicare poteſt, injuſte a delegato abſolutos, c. *ex parte*, *de offic. Jud. ordin.*

Ordinario major eſt delegatus Papæ, quatenus ad cauſam ſibi commiſſam, c. *paſtoralis*, *eod. tit.*

Ordinario præjudicium facere non cupit Papa per mandatum ſuum, c. *licet*, *eod. tit.*

OPPRIMENTES pueros nocte qualiter puniendi, *vide in c. ult. de iis qui occid.*

OSTIARIUS, & de nomine & officio oſtiariorum, *diſt. 21. c. 1. §. fin. diſt. 25. c. 1. §. ad oſtiarium.*

Ne oſtiarius orario utatur, *diſt. 23. c. non oportet.*

P.

PACTUM quid ſit, c. *pactum*, 11. *de verb. ſignif.*

Pactum legis commiſſoriæ in pignoris contractu prohibetur, c. *ſignificante*, 7. *de pignoribus.*

Pactio privatorum, legi contraria, nullius eſt efficaciæ, c. *ſi diligenti*, *de for. compet.*

Pactum quod ab initio non valuit, per ſuperioris ratihabitationem valet, c. *quoties*, *de pact.*

Pactum turpe vel impoſſibile nullum ligat, c. *ult. de pact.*

Pactum generale, ne de crimine agatur, non valet c. *quemadmodum*, *de jurejur.*

PEDAGIA & vectigalia nova ſine conſenſu Principis imponere non liceat, c. *innovamus*, 10. *de cenſib.* vide *infr.* in Pedagia.

qui PAGANIS prædicant, poſſunt cibis ab ipſis appoſitis veſci, c. *quam ſit*, 10. *in pr. de Judæis.*

Ut iis qui idonei ſunt, permittatur paganis prædicare, *dict.* c. 10. §. *inſuper.*

Ne Pagani ad officia publica admittantur, c. *cum ſit*, 16. §. *fin. eod. tit.*

Pagani conſtitutionibus Eccleſiæ non ſubjacent, c. *gaudemus*, *de divort.*

Paganis arma & auxilium vendentium pœna, c. *quod olim*, *de Jud. & Sarracen.*

PALLIO uti poteſt Archiepiſcopus intra quamlibet Eccleſiam ſuæ provinciæ, c. 1. *de uſu pall.*

Pallium novum habebit tranſiens ad novum Archiepiſcopatum, c. *bonæ memoriæ*, 2. *de poſtul.*

Pallium alteri Archiepiſcopo accommodari non debet, c. *ad hæc*, *eod. tit.*

Pallio non utendum extra Eccleſiam, ut in proceſſione & ſimilib. c. 1. *eod. tit.*

In pallio debet Archiepiſcopus ſepeliri, *cap. 2. eod. tit.*

Pallio conſequitur quis plenitudinem officii, nec prius Archiepiſcopus appellari debet, c. *niſi ſpecialis*, *de uſu pall.*

Pallium quid ſignificet, *vide in c. ad honorem*, *eod. tit.*

Pallio ſemper & ubique ſolus utitur Papa, *ibid.*

Pallio non utatur Archiepiſcopus extra ſuam provinciam, niſi ex privilegio ſpeciali, & de licentia ejus, in cujus Eccleſia celebrat, *cap. ex tuarum*, *eodem titul.*

Pallio utendum in feſtis præcipuis & diebus privilegiatis Eccleſiæ ſuæ conceſſis, *cap. ex tuarum*, *eodem titul.*

Pallium Archiepiſcopis dandum accipitur de corpore Sancti Petri, c. *ſignificaſti*, *eod. titul.*

Pallium recipiens fidelitatem jurare tenetur, *ibid.*

Sine pallio non licet Archiepiſcopo confirmato convocare Concilium, conficere chriſma, &c c. *quod ſicut.* & c. *præterea*, *de elect.*

Pallium conferre poſſunt principales Patriarchæ Suffraganeis ſuis, c. *antiqua*, *de privilegiis.*

de PAPA. *diſt.* 21. c. 1. §. *Pontifex.*

Papa ſolus poteſt ſupra jus diſpenſare, c. *propoſuit*, *de conceſſ. præbend.*

Papæ ſoli reſervatur translatio Epiſcoporum, & depoſitio, c. *inter corporalia*, *de tranſlat.*

Papa de hæreditate judicare poteſt ratione fidei, *cap. Judæi*, *de Jud.*

Papa poteſtatem habet a Deo, Imperator a Papa, c. *novit*, *de Jud.*

Papa ejuſdem eſt poteſtatis, cujus & beatus Petrus, c. *illud dominus*, *de major. & obed.*

Papa Principem ſecularem deponere poteſt, c. *ad abolendam*, *de hæret.*

Papa poteſt legitimare illegitimos, c. *per venerabilem*, *qui filii ſint legitimi.*

Papa ſolus Epiſcopos fratres ſuos in literis nuncupat, c. *quam gravi*, *de crim. falſi.*

Papæ poteſt cum ratione obviari, etſi abſolute jubeat, c. *ſi quando*, *de reſcript.*

Contra Papæ voluntatem nemo jus in beneficiorum collationem habet, c. *dilectus*, *de præb.*

Papa ſolus canonizat ſanctos & ſanctorum reliquias, *ibid.*

Papa ſolus Laico concedit jus eligendi in Eccleſia collegiata, c. *nobis*, *de jur. patron.*

Papa ſolus cauſas committit appellatione remota, c. *ſuper quæſtionum*, *de offic. delegat.*

Papa ſolus major eſt omni Concilio, omnive ſtatuto, *cap. ſignificaſti*, *de elect.*

Solus Papa Dei vicarius in terris eſſe videtur, nulluſque major, *cap. licet*, *eod. tit.* & c. *quanto*, *de tranſlat.*

Solus Papa diſpenſare poteſt, ut filii Presbyterorum Eccleſias paternas immediate habeant, *cap. dilectus*, *de filiis presb.*

Papa ſolus unit & dividit Epiſcopatus, *de tranſlationib. per tot. tit.*

Solus Papa ſententiam diffinitivam mutare poteſt, *cap. cum olim*, *de ſentent.*

Papa ſucceſſori ſuo legem imponere non poteſt, nec poteſtatem ejus limitare, c. *innotuit*, *de elect.*

Papa cognoſcere debet de cauſa natalium, c. *tuam*, *de ordin. cognit.*

PARIA

PARIA ſunt quid factum non eſſe, & inutiliter eſſe factum, c. *non præſtat*, 52. c. *quæ contra*, 64. *&* c. *in malis*, 69. *de reg. jur. in 6.*

Paria crimina pari compenſatione tolluntur, c. *pen. & ultim. de adult.*

Par in parem non habet imperium, c. *innotuit*, *de elect.*

## *De Parochi ordinatione.*

PAROCHUS non eſt ordinandus, niſi in ſacris conſtitutus, qui ad minus ſit Subdiaconus, c. *præterea*, 5. *de ætate & qualitate.*

Non niſi idoneus moribus, ſcientia, & qui vigeſimum quintum annum ingreſſus eſt, in parochum eſt ordinandus, c. *licet canon*, 14. *de lectione*, *in 6.*

## *De Parochi officio.*

Parochus ordinatus reſidere perſonaliter tenetur, *dict.* c. *licet canon*, 14. §. *is etiam.*

Parochus ordinatus intra annum Sacerdos fieri debet, ſub pœna privationis, *dict.* §. *is etiam. verſ. & intra annum.* Niſi in Eccleſia collegiata, c. *ſtatutum*, 22. *eod. tit.* item Niſi Epiſcopus loci cum parocho ſtudiorum cauſa diſpenſaverit, c. *cum ex eo*, 34. *eod. tit.* item Niſi annus nondum ſit completus, c. *commiſſa*, 35. *in pr. eod. tit.* item Niſi ex juſta cauſa fuerit impeditus, quo minus intra annum parochus ſit factus, *dict.* c. 35. § *annus autem.* item Niſi anno elapſo eadem Eccleſia eidem ruſus conferatur, quod reprobatur *dict.* c. 35. §. *porro.* denique ſi intra annum Sacerdos factus non ſit, præter privationem, fructus quoque perceptos reſtituere tenetur, & ordinator Eccleſiam debet præſtare indemnem, *d.* c. 35. §. *cæterum.*

Ne parochialem Eccleſiam parochus alicui non conſtituto in legitima ætate & Sacerdotio, neque ultra ſex menſes commendet, c. *nemo*, 15. *de electione*, *in 6.*

Parochianum alterius nullus Epiſcopus judicet, c. *nullus*, *de paroch.*

Parochianum alterius non admittat Presbyter ad divina, c. *ut dominicis*, *eod. tit.*

Parochianum alterius non abſolvat Presbyter, ſine ejus petita licentia, c. *omnis*, *de pœnit. & remiſſ.*

Parochiæ non dividantur ſine conſenſu Epiſcopi, c. *avaritiæ de præbend.*

Parochialis Eccleſia debet habere aliquid de bonis parochiani, etiam alibi ſepulti, c. *relatum de ſepult. &* c. *de his*, *ibid.*

Parochialis Eccleſia nulli debet conferri, qui perſonatum vel dignitatem habet cum cura, alioqui non tenet ipſa collatio ipſo facto, c. *nemo*, *de offic. jud. ord. lib. 6.*

PATER, c. *nam & Rex*, *de verbor. ſignificat.*

Pater filios Alere debet, *diſt* 30. c. *ſi quis reliquerit.* etiamſi ex injuſto matrimonio ſint nati, c. *cum haberet*, 5. §. *fin. in fine*, *de eo qui duxit in matrimonium quam polluit per adulterium.*

Pater filium Caſtigare debet, quod eſt charitatis, 23. *q.* 5. c. *non putes.*

Pater conveniri non poteſt pro filio, neque tenetur, c. *ultim. de delictis puer. item* 1. *quæſt.* 4. c. *Judæi*, *in fin.*

Patria poteſtas ſolvitur, ſi Alimenta pater denegavit, vel ſi pater filium languidum Expoſuit, c. *un. de infantib. & languidis expoſitis.*

Epiſcopalis dignitas filium a patris poteſtate liberet, *diſt.* 54. c. *ſi ſervus ſciente.* §. *ſed & jus patriæ.*

Hæretici liberos ſuos in poteſtate ſua non habent. Ideoque emancipatio ab iis facta nihil operatur, c. *quicunque*, 2. §. *fin. de hæret. in 6.*

de PATRIARCHIS & de loco & origine Patriarcharum, *diſt.* 99. c. 1. *& diſt.* 80. c. 1. *cum* c. *ſeq.*

Definitio realis, *dict. diſt.* 99. c. *nulli.*

De nomine & ſpeciebus Patriarcharum, *diſt.* 21. c. 1. §. *Patriarcha Græca. &* §. *Patriarcha patrum Princeps.*

Patriarcha & Primas nomine tantum, non re differunt, *diſt.* 99. *in pr.* §. *primates. &* c. 1. *verſ. noſtros Patriarchas.*

PATRONUS efficitur quis Eccleſiam conſtruens de conſenſu diœceſani, c. *a nobis*, *de jure patron.*

Patronus poteſt quis eſſe multarum Eccleſiarum, c. *veniens. de jurejur.*

Patronus non diſponat de rebus Clerici defuncti, c. 3. *de ſucceſſ. ab inteſt.*

Patronus Epiſcopi jus minuere in Eccleſia non debet, c. *cum ſeculum*, *eod. tit.*

Patronus filium ſuum vel nepotem ſine Epiſcopi conſenſu inſtituere non debet, c *conſuluit*, *de jure patr.*

Patronus poteſt ab Eccleſia reditus ſibi ab Epiſcopo conſtitutos & deſignatos exigere, c. *præterea*, *eod. tit.*

Univerſitate vendita patronatus jus etiam tranſit, niſi diſerte excipitur, c. *ex literis*, *eod. tit. &* c. *cum ſeculum*, *eod.*

Patronus Laicus neminem ſine conſenſu Epiſcopi diœceſani inſtituat, c. *præterea*, *eod. tit.*

Patronatus libere donari poteſt conſanguineo, vendi vero per ſe non poteſt, ſed cum univerſitate ſolum, c. *ex inſinuatione. &* c. *de jure*, *eod. tit.*

Patronus Laicus præſentato uno repulſam paſſo, poteſt alium exhibere, c. *paſtorale*, *eod tit.*

Patronus Eccleſiæ vacanti intra quatuor menſes provideat, alioqui jus conferendi Epiſcopus habet, c. *cum propter diſcordias*, *eod. tit.*

Patroni eſt ad Eccleſiam præſentare, non conferre, c. *ultim. eod. tit.*

Patronus Clericus ſeipſum præſentare non poteſt, c. *per noſtras*, *eod. tit.*

Patroni conſenſus in electione Prælati requirendus eſt, c. *a nobis*, *eod. tit.*

Patronus honorandus eſt, & ab Eccleſia fundata ſuſtentandus ſi agat, *ibid.*

Patronatus jus hæredibus dividi non debet, c. 1. *eod. tit.*

Patroni ſi plures fuerint, ille præſentatus obtineat, qui plurimorum aſſenſu eligitur, ſi vita & ſcandalum non contradicant, *ibid.*

Patronus Eccleſiam non vacantem alteri conferre non poteſt, c. *illud prætereundum*, *eod. tit.*

Patronus jus patronatus ſine Epiſcopo dare poteſt, *ibid.*

Patronus non ſine Epiſcopo, nec Epiſcopus ſine patrono beneficium conferat, c. *ſuggeſtum*, *eod. tit.*

Patroni religioſi non poſſunt Eccleſiam in proprios uſus convertere propria auctoritate, c. *ſicut nobis*, *de ſuppl. neglig. prælat.*

Patronatus cauſa definiri debet per Judicem Eccleſiaſticum. c. *quanto*, *de jud.*

De patronatus jure orta quæſtione, neutro conferente, debet Epiſcopus poſt ſex menſes beneficium conferre, c. *ſi vero. &* c. *ea te*, *de jure patronat.*

PECCATI definitio, 15. *q.* 1. c. 1. §. *fin.*

Dividitur item peccatum in originale & actuale, *de conſecrat. diſt.* 4. c. *regenerante.*

Dividuntur peccata in mortalia & venialia, *diſt.* 25. c. *unum orarium.* §. *unde Hieronymus*, *cum ſequentibus*, *uſque ad* c. *qui in aliud.*

Alia dicuntur voluntatis, alia infirmitatis, 15. *q.* 1. *in pr* c. *illa cavenda.*

De tribus generibus peccatorum. *De pœnitent. diſt.* 2. c. *ſicut tribus*, *cum ſequentib. uſque ad cap. ſuper trib.*

De quatuor generibus peccatorum, *De pænitent. diſt.* 1. c. *ſuper tribus*

PECUNIA, 1. *q.* 3. c. *totum.*

PEDA-

UNED

PEDAGIA, guidagia, ſalinaria interdicta quæ, *c. ſuper quibuſdam, 26. §. præterea, de verb. ſignific. vid. ſupr.* in Pædagia.

PENSIONEM ſolvens alicujus rei, ejus præſumitur dominus, *cap. cum veniſſet, de reſtit. ſpoliat.*

Penſio propter ſterilitatem terræ minuenda eſt, *cap. propter ſterilitatem, de locat. & conduct.*

In penſionis ſolutione antiqua conſuetudo eſt ſervanda, *cap. quanto creatori, de cenſibus.*

Penſiones minuere ad Clericorum detrimentum, vel augere, non licet ſine Epiſcopi conſenſu, *cap. avaritiæ, de præbend. & dignitat.*

Prælatus non poteſt Eccleſiam ultra vitæ ſuæ tempus penſionariam conſtituere, *c. præterea, de cenſibus.*

PEREMTORIE poteſt quis in prima citatione citari, *c. 1. de dilat.*

de PEREGRINATIONE hæc regula eſt: non Hieroſolymis fuiſſe, ſed Hieroſolymis bene vixiſſe, laudandum eſt, *12. qu. 2. c. gloria. §. penult.*

Peregrinari non debet Clericus ſine licentia Epiſcopi ſui, nec Epiſcopus ſine licentia Papæ, *cap. magnæ devotionis, de vot. & vot. red.*

Peregrinorum res nullus occupet, quia ſunt ſub Papæ protectione, *cap. 1. de Cler. peregrin.*

Peregrinorum privilegio gaudet, qui cauſam Papæ agit, *ibid.*

Peregrinis in via conſtitutis tempore interdicti pœnitentia non eſt deneganda, *c. quod in te, de pœnit. & remiſſ.*

Peregrini Clerici non ſunt in Eccleſiis inſtituendi, *c. 1. de Cler. peregr.*

PERJURUS Clericus ab officio & beneficio ſuſpendatur, vel beneficio prorſus privetur, *cap. querelam, de jurejur.*

A perjuro non debet amplius juramentum accipi, *cap. literas, de præſumpt.*

de PERSECUTIONE, *23. qu. 4. cap. qui ſecundum. c. ille gladium. §. porro. cap. nimium. §. item. ſi ſemper, cum ſequentibus. item 23. q. 5. c. non vos. 24. qu. 1. c. à recta.*

PERSONALIA reſcripta vel privilegia perſonam non excedunt, *c. mandata Eccleſiaſtica, de reſcript.*

Perſonale delictum in damnum Eccleſiæ redundare non debet, *c. cum venerabilis, de except.*

Perſonalis conceſſio cum perſona finitur, realis perpetua eſt, *cap. cum veniſſent, de inſtit.*

Perſonatus plures in eadem Eccleſia, vel diverſis, nullus habere debet ſine ſedis Apoſtolicæ diſpenſatione, *cap. ad hæc. & c. de multa, de præbend.*

de PIETATIS ſtudio, *diſt. 47. c. comes.*

PIGNUS recipere poteſt Prælatus a quolibet poſſeſſore, *cap. cum contra, de pign.*

In pignoris cauſa fructus in ſortem non ſunt computandi, alias cenſetur uſura, *ibid.*

Prælatus bona Eccleſiæ pignori dare non poteſt pro ſuis debitis, *c. ex præſentium, de pign.*

Ex Pignoris contractu regulariter competit actio pigneratitia & hypothecaria ad perſequendum pignus. Niſi liber homo Pignori ſit obligatus, *cap lator, 2. de pignorib.* item Niſi extraneus poſſeſſor rem uſuceperit vel præſcripſerit, *16. q. 3. c. placuit ut. §. præſcriptionem. verſ. non ſolum.* ſi tamen alius quam qui rem uſucepit vel præſcripſit, conveniatur, huic alterius præſcriptio non prodeſt, *dict. cap. placuit ut. §. ſi vero ad alium. verſic. nec ſibi proderit.*

Si pignori obligata eſt eadem res duobus vel pluribus is potior eſt, qui prior eſt tempore, *cap. qui prior, 54. de reg. jur. in 6.*

quod ſemel PLACUIT, amplius diſplicere non poteſt, *cap. quod ſemel, 21. de reg. jur. in 6.*

PLAGIARIORUM pœna eſt ultimum ſupplicium, *cap. 1. de furtis.*

de PLEBISCITO. Hujus definitio habetur *diſt. 2. c. plebiſcita. Inſtit. de jure naturali. §. plebiſcitum.*

ſi PLUS quis petierit, punitur, *cap. unic. de plus petitionibus.*

Cui licet quod eſt Plus, licet utique quod eſt minus, *cap. cui licet, 53. de reg. jur. in 6.*

Pluralis locutio duorum numero contenta eſt, *c. pluralis, 40. de reg. juris, in 6.*

POENARUM inventarum ratio, eſt emendatio delinquentium, *21. q. 2. c. placuit. §. fin. 23. qu. 4. c. eſt injuſta. §. fin.*

## *Quibus Pœnæ remittantur vel temperentur.*

Qui ſine Culpa, niſi ſubſit cauſa, deliquit, non eſt puniendus, *c. ſine culpa, 23. de reg. jur. in 6.* Sane cauſæ publicorum judiciorum generales enumerantur. *De pœnitent. diſt. 1. c. aut facta.*

Animal brutum ſi commiſerit delictum, non punitur, *15. qu. 1. cap. firmiſſime. §. animalia enim.*

Si Coactus commiſerit, punitur, *15. quæſt. 1. c. merito.*

Si Corruperit reus accuſatorem, hoc caſu pro convicto habetur, *2. qu. 3. cap. ult. §. in omnib.*

Si Epiſcopus commiſerit, hic accuſari nequit, nec damnari, *11. q. 3. cap. irritam. 6. quæſt. 1. cap. qui crimen. §. fin. cum cap. ſequent. 2. quæſt. 7. cap. accuſatio. §. unde liquet.* Contradicit *d. q. 7. c. præſumunt. c. ſi hæreticus. §. item quod dicitur.*

Si Furioſus commiſerit, non punitur, *3. quæſt. 9. c. indicas. 15. quæſt. 1. in princ. & cap. illud. §. furor. §. meas vero. item c. aliquos. c. illa cavenda. verſ. neque enim ſi per. c. ne is qui. §. fin.*

Si minor ætate commiſerit, non punitur, *15. qu. 1. c. illud. §. fin. c firmiſſime, in princ. item c. intellleximus, 2. de delictis puerorum,* niſi Minor doli ſit capax, *dict. §. fin. verſ. niſi rationis ſit capax. item c. 1. de delictis puerorum.* qui tamen mitius propter ætatem punitur, *dict. cap. 1. §. quamvis in eis non ita.*

## *Ex quibus cauſis Pœna remittatur, vel non.*

Si Abolitio criminis intervenerit, *2. qu. 3. cap. ult. §. deſtitiſſe. verſ. abolitio enim.*

Si eadem Accuſatio antea quoque in judicium fuerit deducta, vel ejuſdem criminis nomine actum, non poteſt iterum accuſari, *cap. de his, 6. de accuſationibus,* Niſi prior accuſator fuerit prævaricatus, vel per colluſionem reus abſolutus, *cap. ult. de colluſione deteg.* vel Niſi crimen ſit iteratum, de quo poſtea accuſatio inſtituitur, *cap. 1. de pœnis.*

Si per Cœcitatem commiſerit, non punitur. Probatur ſimul & diſtinguitur, *15. quæſt. 1. cap. illud. §. ſed objicitur.*

Si accuſator Deſtiterit, reprobatur, *cap 1. & 2. de colluſione detegend.*

Si ſine Dolo malo factum ſit, & non injuriæ gratia, *15. qu. 1. princ. item §. cui ſententia. item c. non eſt, item de pœnitent. diſt. 1. c. ſciendum.*

Hujus exemplum proponitur, ſi ratione officii fecit, *23. q. 5. c. cum homo, in princ. & dict. cap.*

Si per Ebrietatem commiſerit, non punitur, *15. qu. 1 c. ſane diximus. & c. inebriaverunt*

Si per Infirmitatem vel Ignorantiam commiſerit, punitur, *11. q. 1. in pr. §. 1. c. illud. §. itaque ut ex promiſſis.* Contradicit *d. q. 1 c. illa cavenda. § quin etiam ipſius.*

Si Juſſu ejus cui parere neceſſe fuit, commiſerit, punitur, *c. quod quis, 24. de reg. jur. in 6. item de conſecrat. diſt. 4. c. quæris a me, in princ.* Contradicere videtur *dict. cap. merito.*

Si reus mortuus ſit, pœna extinguitur, *33. qu. 2. c. admonere. §. & nunc poſt mortem. verſic. nec a te poſt.*

Niſi

UNED

Niſi de hæreſi quis accuſetur, *24. q. 2. cap. penult. §. fin. cum c. ſequente.*

Si accuſator Mortuus ſit, vel ex alia cauſa impediatur accuſationem proſequi, *2. qu. 8. cap. ult. §. fin.*

Si crimen propoſitum non fuerit Perfectum, non punitur: quod tamen reprobatur *de pœnitent. diſt. 1. c. quiſquis, in princ. & c. autfacta. §. eventus* alias ſi crimen ad actum non pervenerit, non punitur. Nam cogitationis pœnam nemo patitur, *dict. diſt. 1. cap. cogitatio. & cap. cogitationis*. Hæc quoad hominem. Nam apud Deum diſtinctio jam dicta non admittitur, a quo etiam cogitatio punitur, *dict. diſt. 1. cap. numquid. item 17 qu. 1. c. voventibus. 32. qu. 5. cap. ſicut enim. cap. ſi Paulus cap. nec ſolo. cap. qui vident. item 32. qu. 7. cap. non ſolum.*

Si crimen commiſſum ſit Vulgare & Uſitatum, *23. qu. 4. cap. ſi quis poteſtatem §. fin. cum cap. ſeq.* pœna ſine culpa (niſi ſubſit cauſa) non imponitur, *cap. ſine culpa, 23. de reg. juris, in 6.*

Si in hac vita Pœnam ſuſtinuerit, juſtificatus per hoc eſt in altera vita: approbatur ſimul & diſtinguitur *d. qu. 5. cap. quid ergo, de pœnitent. diſt. . cap. ſunt plures. §. auctoritas illa. cap. ignis ſuccenſus. cap. quærat.*

POENITENTIA quid? *De pœnitent. diſt. 1. c. ecce nunc. §. penult. & ult. c. tres ſunt. §. eſt enim poenitentia. cap. quis aliquando. §. illud autem. verſ. eſt enim poenitentia. & diſt. 3. c. 1. & c. poenitentia. c. poenitentiam. §. fin.*

Diviſio pœnitentiæ trimembris, *De poenitentia diſt. 1. cap. tres ſunt.*

Et diviſio pœnitentiæ bimembris, in veram & falſam, *De poenitent. diſt. 3. c. in tantum. § fin. & c. ſceleratior. §. 1.*

Itidem diviſio pœnitentiæ bimembris in interiorem & exteriorem, *De poenitent. diſt. 1. c. quis aliquando. § e contra. verſ. eſt enim poenitentia.*

Exempla pœnitentiæ, *De poenitent. diſt. 1. cap. convertimini. §. unde poſt trinam. diſt. 3 c. totam. c. Achab.*

Quo jure ſit introducta pœnitentia, *33. qu. 2. cap. audivimus. §. quia pro omnibus.*

Ad quem cauſæ Pœnitentiales pertineant, *cap. accedentibus, 12. de exceſſ. prælator. item 9. q. 2. c. placuit ut deinceps.*

POETÆ non legendi, *diſt. 37. cap. ideo prohibetur, in princip.*

PONTIFEX, *diſt. 21. c. Cleros. §. Pontifex.*

POSSESSIO acquiritur ex conſuetudine loci, qua modicum terræ loco rei tradendæ datur, vel in extremitate pallii manu apprehendentis ſuſtinetur, *cap. ex literis, 2. de conſuetudine.*

Per ſolutionem penſionis res, pro qua penſio ſolvitur, tradita cenſetur, *cap. cum veniſſet, 9. de reſtitut. ſpoliator.*

Si vis fiat ei qui in poſſeſſionem miſſus eſt, datur eo nomine actio: Niſi cum ob latitantem debitorem creditor in poſſeſſionem bonorum ejus miſſus eſſet, debitor cautionem offerat judicio ſiſti & judicatum ſolvi, *cap. 1. de dolo & contumacia*. Vel: Niſi miſſo tale crimen objiciatur, quo probato poſſeſſione eſſet privandus: quod tamen reprobatur, *cap. accedens, 23. de accuſationib.*

Sine poſſeſſione præſcriptio non procedit, *cap. ſine poſſeſſione, 3. de reg. juris, in 6.*

Pro poſſeſſore habetur qui dolo deſiit poſſidere, *c. pro poſſeſſore, 35. d. tit. de reg. juris.*

Poſſeſſor malæ fidei ullo tempore non præſcribit, *cap. poſſeſſor, 2. de reg. juris, in 6.*

POSTERORUM appellatione in pœnis non continentur per fœminas deſcendentes, *c. ubicunque, 4. de poenis, in 6.*

POSTULATIO ſit irrita, ſi poſtulatus interdictum non ſervarit, *c. 1. de poſtulat.*

Poſtulationis conceſſio ſit ex gratia, *cap. bonæ memoriæ, eod. tit.*

Poſtulatio, ſicut electio, eſt examinanda, *cap. licet. de tranſlat. Epiſcop.*

Majore parte indignum poſtulante, poteſtas eligendi ad minorem devolvitur, *c. gratum gerimus, de poſtul. prælat.*

Poſtulatio communi conſenſu facta, & ſuperiori inſinuata, amplius variari non poteſt, *c. bonæ memoriæ, eod. tit.*

Poſtulatio vel electio non debet fieri per verba conditionalia vel alternativa, *cap. 2. de elect. in 6.*

Poſtulari debent Prælati Eccleſiarum, non eligi, *c. ult. de poſtul. prælat.*

Poſtulatio non valet, quæ abſentibus jus eligendi habentibus contemptis ſit, *c. bonæ memoriæ, eod. tit.*

PRÆBENDAS duas non poteſt quis tenere ex diſpenſatione Archiepiſcopi, *cap. literas, de conceſſ. præb.*

Præbenda non promitti poteſt antequam vacet, *cap. 2. de conceſſ. præbendar.*

Præbenda non integretur ſciſſione alterius, *cap. cum cauſam, de præbend.*

Præbendæ proventum quis habere poteſt, etſi Canonicus non ſit, *cap. quia nonnullis, de magiſtr.*

Præbendarum multitudo a promotione repellit, *cap. cum jam dudum, eod. tit.*

Præbenda carere non debet, qui in Canonicum receptus eſt, *cap. majoribus. & cap. relatum, de præbend.*

Præbendam vel beneficium dans, quam dare non poteſt, illa evicta, quam poteſt dare tenetur, *cap. inter cætera, eod. tit.*

Præbenda ſecunda recepta, prima vacat, *cap. literas, de conceſſ. præbend.*

Præbenda ultra ſex menſes vacare non debet, *c. 2. eod. tit.*

De præbenda poteſt abſens per alium inveſtiri, *cap. accedens, eod. tit.*

Præbendarum proventus recipiunt ſtudentes in Theologia per quinquennium, *cap. fin. de magiſt. & cap. licet, de præbend.*

Præbenda alteri per Papam collata, præripitur Epiſcopo poteſtas conferendi illud beneficium, *cap. 1. de conceſſ. præbend.*

Præbenda & beneficia vacantia in curia Romana, a die vacationis poſt menſem poſſunt conferri per eos, ad quos id oneris incumbit, vel abſentibus eis, ab eorum generalibus vicariis, *cap. ſtatutum, de præbend. lib. 6.*

Ex præbenda una poſſunt duæ fieri, *cap. vacante, de præbend.*

Si præbenda alicui ratione reſcripti debeatur, & alteri conferatur, debet ille in Canonicum recipi & ſuſtentari, donec beneficium vacet, *cap. ſtatutum, de præbend. lib. 6.*

Præbendarum collatio ad quem pertineat, cum Epiſcopus & Capitulum debito tempore non conferant, *c. poſtulaſti, de conceſſ. præbend.*

Præbendarum collatio ad Capitulum ſede vacante non ſpectat, *cap. illa devotionis, ne ſed. vac.*

PRÆCENTOR, *cap. Cleros. §. præcentor, diſt. 21.*

PRÆDESTINATIO, *23. quæſt. 4. cap. cum quiſque §. eſt & alia. cap. ſicut non. cap. obtineri. cap. Nabuchodonoſor. cap. vaſis. item De poenitent. diſt. 2. cap. firmus. cap. nullus c. talibus. cap. ſi enim. §. fin. cap. Apoſtolus. cap. mirandum. cap. multi. cap. citius. cap. ult. in princ. uſque ad §. charitas. item De poenitent. diſt. 4. cap. ſi ex bono. c. benedictus. cap. novit Deus. cap. in domo. cap. hanc. ſocietatem.*

PRÆDICANS excommunicatis poteſt ab eis eleemoſynas & victum recipere, *cap. cum voluntate, de ſentent. excommunicationis.*

Prædicatorum fratrum privilegium & Minorum, *cap. nimis, de exceſſ. Prælat.*

Prædicatores veſci poſſunt his quæ eis apponuntur, *cap. quam ſit laudabile, de Judæ.*

Prædicationem facere debet Epiſcopus vel per ſe, vel per alios, *cap. inter cætera, de offic. ordin.*

Præ-

UNED

Prædicare non licet Laico, cujuſcunque ſit ordinis, *cap. ſicut uno, de hæretic.*

Prædicare non debent eleemoſynarum quæſtores, *cap. cum ex eo, de pœnit. & remiſſ.*

PRÆLATUS eſſe non poteſt ſecularis, vel regulam non profeſſus, *c. cum cauſam, de elect.*

Prælati non committant vices ſuas vel Eccleſias, ſub annuo cenſu, *c. 1. ut præl. vices ſuas.*

Prælati factum non præjudicat Eccleſiæ, *cap. cum noſtris, de conceſſ. præbend.*

Prælati non onerent ſubditos exactionibus, vel pluribus equorum alimentis in viſitatione, *capit. quia plerique, de immunit. Eccleſ. & cap. cum Apoſtolus, de cenſibus.*

Ad prælaturam ſe nemo præſentare debet, *cap per noſtras, de jure patr.*

Prælatus plus juris habet in conceſſione Eccleſiæ, quam patronus in præſentatione, *cap. dilectus, de offic. deleg.*

Prælatus eſt procurator rerum Eccleſiaſticarum, non dominus, *c. fraternitatem, de donat.* & rerum Eccleſiaſticarum conditionem meliorem facere poteſt, deteriorem neutiquam, *ibid.*

Prælati inferiorum privilegia diminuere poſſunt, *cap. ad petit. de accuſat.*

Prælati judicium ferri candentis ſubire non debent, nec tali purgationi intereſſe, vel auctoritatem præſtare, *cap. ex literis, de exceſſ. prælat.*

Prælatus tenetur ſubdito, ad auſteriorem religionem migrare volenti, licentiam dare, *cap. licet quidam, de regul.*

Prælati non debent intereſſe corporali punitioni alicujus, *d. cap. ex literis, de exceſſ. prælat.*

Prælaturam amittat, qui ad ordines promoveri non poteſt, *cap. ut Abbates, de ætat. & qualitat. ordin.*

PRÆPOSITUS, *cap. quamvis, 9. de verborum ſignific.*

In Præpoſitum non eſt ordinandus, niſi Presbyter vel Diaconus, *diſt. 60. c. nullus.*

PRÆSCRIPTIO non valet abſque bona fide & juſto titulo, maxime rerum Eccleſiaſticarum, *capit. quoniam omne, de præſcript. & capit. vigilanti. cap. ſi diligenti, eod.*

Præſcriptio quæ ſine peccato ſervari non poteſt, non valet, *cap. veniens, eod. tit.*

Præſcriptionem non inducit longa uſurpatio. *cap. cauſam, eod. tit.*

Præſcriptio nulla contra Eccleſiam currit, niſi quadraginta annorum, ſola autem centenaria contra Romanam Eccleſiam, *cap. illud. cap. ad audientiam. & cap. de quarta, eod. tit.*

Præſcriptionem edidit interruptio, *eod. cap.*

Præſcriptio non currit contra obedientiam, *cap. cum non liceat, eod. tit.*

Præſcriptio non currit contra Epiſcoporum conſtitutionem, & contra procurationem eis debitam, *cap. accedentes. & cap. cum ex officii, eod. tit.*

Præſcriptio non currit tempore ſchiſmatis, *cap. cum nobis, eod. tit.*

Super præſcriptione poſſunt teſtes produci, *cap. illud, eod. tit.*

Laicus non poteſt decimas nec præſcribere, nec detinere, *cap. cauſam, eod. tit.*

Præſcriptio omnem actionem excludit, *cap. ad aures, eod. tit.*

Præſcribere poteſt Abbas jus Epiſcopale, *cap. auditis, eod. tit.*

Præſcriptionem interrumpit Synodalis proclamatio, *c. ſanctorum, eod. tit.*

Præſcriptio non currit tempore hoſtilitatis, *c. ex transmiſſa, eod. tit.*

PRÆSUMPTIO violenta evidentiſſimam probationem requirit, *cap. veniens, 3. in fine, de Presbytero non baptizato*

Semel malus, ſemper præſumitur malus, *cap. ſemel, 8. de reg. jur. in 6.*

Ignorantia præſumitur, niſi probetur ſcientia, *cap. præſumitur, 47. de reg. jur.*

Qui contra jura mercatur, bonam fidem non habere præſumitur, *cap. qui contra, 82. de reg. juris.*

Præſumitur quilibet bonus, niſi probetur contrarium, & quod nemo ſit immemor ſuæ ſalutis, *cap. dudum. & cap. cum in juventute, de præſumpt.*

Præſumptio quandoque purgationem inducit, & qualis, *cap. ſi quis de gradu, de purgat. canon.*

Ex præſumptione violenta poteſt quandoque ſententia ferri, pro veritate enim habetur, *c. literis. c. nullus. dubitat. c. illud quoque. c, tertio loco, de præſumpt.*

PRECARII differentia & precarium, *cap. ult. de precariis.* ubi dicitur, quod precarium mutata voluntate concedentis, vel ejus cui concedens alienavit, revocari poteſt: precariæ vero non item.

Solvitur item precarium morte ejus qui precario rogavit, *dict. cap. ult. verſ. ſolvitur quoque.*

Solvi quoque videtur precarium morte concedentis. Sed hæc cauſa reprobatur, *d. cap. ult. verſ. non etiam concedentis.*

De Precariis Eccleſiaſticis qualiter fieri debeant, 10. *quæſt. 2. cap. precariæ a nomine.*

De precariis quolibet quinquennio renovandis cavetur *d. qu. 2. cap. precario de quinquennio. & cap. 1. de precariis.* Niſi ita factum ſit precarium, ne unquam revocari poſſit, quod tamen reprobatur, *c. de precariis, 2. eod. tit. & d. quæſt. 2. cap. de precariis.*

PRESBYTERI & Presbyteræ, *diſt. 21. c. Cleros. §. Presbyter. diſtinct. 52. cap. ult. diſtinct. 84. cap. ult.*

Presbyter non celebret vaſe ligneo, nec de pane fermentato, nec ſine aqua & vino, & plus apponat de vino quam de aqua, *c. literas. & c. perniciofus, de celebr. miſſ.*

Presbyter in fraudem Eccleſiæ nil de bonis ejus ſuo vel alieno nomine emere poteſt, *c. Presbyter. & c. inquirendum, de pecul. Cler.*

Presbyteris debet condecens beneficium dari, *c. extirpanda, de præb.*

Presbyter Clericum ſecum habeat, nec ſine eo celebret, *cap. ut quiſque, de vit. & honeſt. Cleric.*

Presbyteri officium eſt prædicare, *c. quod Dei timorem, de ſtatu Monach.*

Presbyter duobus digitis amiſſis non celebret, *cap. Presbyter enim, de Cler. ægrot.*

Presbyter res Eccleſiæ ſine juſta cauſa non pignori d[illegible] *c. 1. de pign.*

Presbyterum interficientis pœna, *cap. 2. de pœnitent. & remiſſionib.*

Presbyter qui non jejunus celebrarit, beneficio privatur, *cap. ſi conſtiterit, de accuſ.*

PRIMAS non appellandus eſt univerſalis, *diſt. 99. c. nullus.*

Primas non appellandus eſt Princeps ſacerdotum vel ſummus, *d. diſt. c. prima.*

Archiepiſcopi primatibus obedientiam debent, & ab illis ad hos provocatur, non contra, *diſt. 99. in princ. §. ab Archiepiſcopis. & c. 1. verſ. ad quos Epiſc.*

DE PRIMICERII officio circa Acolythos, Exorciſtas, Cantores atque Lectores & alia, *diſt. 25. c. 1. §. ad primicerium. c. unico, de officio primicerii.*

PRIMITIARUM origo, *cap. 1. §. at vero, de decimis.*

Primitiæ perinde ac decimæ Sacerdotibus ſunt ſolvendæ, *diſt. 31. cap. præter hoc. §. deinde.*

Quantum autem primitiarum nomine ſolvendum, *dict. §. at vero. verſ. traditionem quoque.*

Primitiæ perinde ac decimæ ſunt in diſpoſitione Epiſcopi, *dict. §. deinde. verſ. & ut ipſa.*



UNED

Primitiæ inter Diaconos & alios Clericos dividendæ, *d. c omnium, 4. §. manifeſtum.*
PRIMOGENITUS, *capit. Joſeph. 5. de verbor. ſignific.*
PRIOR tempore, potior jure, *cap. qui prior, 54. de regul. jur. in 6.*

De Prioris officio, *cap. cum ad 6. §. prior. autem, de ſtatu Monachorum.*
PRIVILEGIUM perſonale perſonam ſequitur, & extinguitur cum perſona, *cap. privilegium, 7. & c. quod alicui, 74. de regul. jur. in 6.*

Decet conceſſum a Principe beneficium eſſe manſurum, *cap. decet, 16. cum cap. ſequente, eod. tit.*

Quod ad gratiam alicui conceditur, non eſt in ejus diſpendium retorquendum, *cap. quod ob gratiam, 61. eod. tit.*

Privilegia ſtricti juris ſunt, *cap. porro, de privileg.*

Privilegia extenduntur ad ea tantum, quæ in eis continetur, *cap. ex parte, eod. tit.*

Privilegium monaſterio concedi non poteſt, antequam ibi canonica inſtitutio facta fuerit, *cap. ad audientiam, de Eccleſ. ædific.*

Privilegiorum generalium explanatio, *capit. ut privilegia, de privileg.*

Privilegia poſſunt & Laici Eccleſiis conferre, *cap. cum Laicis, de rebus Eccleſ. non alien.*

Privilegio ſuo poteſt quis renunciare, *cap. ſi de terra, de privileg.*

Privilegium per ſubreptionem obtentum non valet, *cap. cum olim, de ſentent.*

Privilegium ſtatim atque ad notitiam eorum, quibus indulgetur, pervenit, vim habet, *cap. fin. de privileg. in 6.*

Privilegium & conſuetudo juri communi derogant, *c. cum contingat, de for. compet.*

Privilegium lite pendente impetratum non valet, niſi in eo litis mentio fiat, *cap. cauſam, 2. de teſtibus.*

Privilegium, ſine exceptione conceſſum ad præterita & futura extenditur, *cap. quia, de privileg.*

Privilegium niſi urgente ratione, dari non debet, *c. ſane, de privileg.*

Privilegium ſine alterius injuria concedendum eſt, *c. paſtoralis, eod. tit.*

Contra privilegium Papæ ſententia lata non valet, *c. dudum, eod. tit.*

Privilegio clericali non poteſt renunciari, *cap. ſuborta, de ſent. & re judic.*

De Privilegio a Papa conceſſo, ipſemet ſolus judicat, *cap. cum veniſſent, de jud.*

Privilegium Ciſtercienſium de decimis non ſolvendis qualiter ſe extendat, *vide in cap. ex parte, 1. de decim.*
Privilegio 100. annorum gaudet Eccleſia Romana in præſcriptionibus, *cap. ad audientiam, de præſcript.*

## *Qua ratione privilegium amittatur.*

Privilegium ratione delicti amittitur, *cap. ad abolendam, de hæret.*

Privilegio privatur, qui conceſſa ſibi poteſtate abutitur, *cap. ſuarum, de privileg.*

Contra privilegium faciens, eo privatur, *capit. cum acceſſiſſent, de conſtitut.*

Privilegium non amittitur, etſi intra quinquaginta annos quis eo non utatur, *cap. ad audientiam, de præſcr.*

Privilegium ſequens primo non præjudicat, niſi ejus mentionem faciat, *cap. dudum, de privileg.*

## *Quis amittat privilegium.*

Clericus per enorme crimen a privilegio cadit, *cap. cum non ab homine, de judic*

Item temerarie Romanam Eccleſiam occupans, *capit. licet, de electione.*

Item in hæreſin cadens, *capit. ad abolendam, de hæret.*
Item contrahens cum vidua vel corrupta, *cap. Joannes, de Cleric. conjugat.*

Item de furto ſuſpectus, *cap. 1. de poſ.*
Item ſi ſtatim repercutit, *cap. ſi vero alicujus, de ſent. excommun.*

Item ſi admonitus non deponat arma, *cap. in audientia, eod. tit. & cap. perpendimus. ibid.*

Item turpiter agens cum perſonis, quæ exprimuntur, *cap. ſi vero, eod. tit.*

Item ratione diſciplinæ caſtigatus, *cap. cum voluntate, eod. tit.*

Item ſi in minoribus ordinibus conſtitutus matrimonium contrahat, *cap. ex parte, de Cler. conjug*

Item degradatus, *cap. novimus, de verbor. ſignific.*

Item admonitus ſecularia negotia non poſtponens, *c. ult. de vit. & hon. Cler.*
PROBATIO, *cap. forus, 10. §. probatio, de verbor. ſignific.*

Probatio contra legitimam probationem non eſt admittenda, *cap. juravit, de probat.*

Probatio debet eſſe certa & clara, *ibid.*

Probatio non exigitur in notoriis, *cap. tua nos, de cohabit. Cler.*

Quæ ad probationem ſingula non valent, multa proſunt, *cap. cum cauſam, de probat.*

Probatio virginitatis per aſpectum, prævalet juramento viri, *cap. propoſuiſti, eod. tit.*

Probatio ex multis præſumptionibus & fama, ſufficiens dicitur, *c. præterea, de teſtib.*

Actore non probante, reus abſolvitur, *cap. cum Eccleſia, de cauſ. poſſeſſ.*

Probationibus æqualibus exiſtentibus, liberatur reus, niſi in cauſa libertatis, *c. ex literis, de probat.*

Probationi accuſantium conſanguinitatem in matrimonio plus deferendum, quam defendentium, *cap. juravit, de probationibus.*

In probationis defectum ſuccedit juramentum, *capit. ſicut conſuetudo, de probat.*

Probatur crimen quandoque per confeſſionem: *ut c. cum ad ſedem, de reſtit. ſpoliat.* quandoque per famam, *ut cap. ſicut, de probat.* quandoque per inſtrumentum: *ut cap. 2. de fid. inſtrum.*

Probationis tempus quare ſit Religioſis conceſſum, *vide in c. ad Apoſtolicam ſedem, de regul.*
PROCESSUS de ſimplici & plano qualis ſit, *Clement. 2. de verbor. ſignificat.*

Proceſſus contra formam juris vel reſcripti non valet, *cap. ex parte, de offic. jud. deleg & c. cum dilecta, de reſcript.*
PROCURATIO viſitationem perſonalem requirit, alias peti non poteſt, quæ tamen ſecundum Eccleſiæ facultates, vel conſuetudinem loci ſtatuenda eſt, *cap. cum Apoſtolus, de cenſibus.*

Prælati inferiores & ſuperiores, tempore viſitationis abſentes vel præſentes, nec pecuniam, nec munera, ſed ſolam ſuſtentationem recipere debent, *Gregorius X. 1. de cenſib. lib. 6.*

Procuratio debetur Archiepiſcopo ab omnibus Eccleſiis quas viſitat, *cap. cum ex officii, de præſcrips. & c. ſopita, de cenſibus.*

Petenda non eſt procuratorio in ſacris ſeu grangiis Monachorum, *c. ult. de cenſibus.*

Procorationem præſtare tenetur Eccleſia Epiſcopo viſitanda, *cap. cum venerabilis, eod. tit.*

Et Monachi diœceſano, *cap. venerabilis, eod. tit.* nec præſcriptio contra hoc currit, *ibid.*

In conſtituendis procurationibus requiritur patroni voluntas, *cap. quanto creatori, eod. tit.*

Legatis & nunciis Papæ ab omnibus debetur procuratio, niſi ſpecialiter ſint, exempti, *c. accedentes, de præſcr. & c. cum inſtantia. de cenſib.*

De procurationibus Eccleſiarum noviter converſarum nota formam *in c. ſuper eo, de cenſib.*

POR-

PROCURATOR in quavis cauſa, in literis mandati clauſulam de rato habere debet, *cap. cum cauſam, de juram. calumn.*

Procuratoris falſi exceptio poſt ſententiam latam non valet, *c. in noſtra, de procur.*

Procurator ab excommunicatis conſtitutus an valeat, *vide in c. conſulti, eod. tit.*

Procuratoris confeſſio obeſt domino, *c. 1. de poſtulat.*

Procuratoris negligentia non debet obeſſe domino, *c. cum veniſſent, de reſtitutione in integr.*

Pro procuratoris abſentia non eſt dominus puniendus, *c. 1. ut lit. non conteſt.*

Procurator illud ſolum poteſt, quod ſibi committitur, *c. innotuit, de electione.*

Procuratores duo in una cauſa conſtitui poſſunt, *cap. in noſtra præſentia, de procur.*

Procuratorem conſtituere nullus cogitur in gravibus, *c. querelam, de procurat.*

Procurator non admittitur in cauſa criminali, *cap. veniens, de accuſat.*

Propter procuratoris contumaciam non poteſt dominus excommunicari, *c. 1. ut lit. non conteſt.*

Procuratores Prælatorum in Conciliis ad negotiorum tractationem ſunt admittendi, *cap. final. de iis quæ ſiunt a Prælat.*

Procurator excommunicatus non admittitur, *c. poſt ceſſionem, de probat.*

Procuratorium mandatum revocans in diſpendium adverſarii, condemnatur in expenſis, *c. audientis, de proc.*

De procuratoribus pluribus datis prior tempore potior jure, *c. non injuſte, eod. tit.*

Procurator in prima inſtantia, appellationis cauſam, niſi velit, proſequi non tenetur, *ibid.*

Procurator ſecundus non admittitur, qui primi factum non ratificaverit, *c. 1. de procur.*

PROFESSIONE in omni ſemper intelligitur Papæ auctoritas excepta, *cap. Deus qui, de vit. & honeſt. Cler.*

Ante profeſſionem exiens libere redire poteſt ad ſtatum priſtinum, *c. ſuper eo, de regul. & tranſeunt.*

Profeſſo licet tranſire ad ſuperiorem religionis ſtatum, venia tamen prius a ſuo Prælato impetrata, *c. ſane, eod. tit.*

PROMISSIO non infringitur, cum in meliora commutatur, *c. pervenit, 2. de jurejur.*

Promiſſio juramento firmata non tenet, conditione appoſita in forma juramenti non ſervata, *ibid.*

In promiſſione quamvis firmata juramento, ſuperioris auctoritas ſemper excipitur, *c. venientes, eod. tit.*

Promiſſio beneficii, nullo in Eccleſia vacante, non valet, *cap. final. de conceſſ. prabend.*

Promiſſio Eccleſiæ obſequii cauſa eſt ſimoniaca, *cap. cum eſſent, de ſimon.*

PROMOTIO impeditur propter defectum ſcientiæ, *cap. congregato, de electione.*

Promovens indignum punitur, ſicut & promotus, *c. nihil eſt, eod. tit.*

Promotionem impedit macula in oculo promovendi, *cap. cum de tua, de corpor. vitiat.*

Promotus removetur propter homicidium & ſimoniam, *cap. inquiſitionis, de accuſat.*

PROTESTATIO fit, ne ab altero præjudicium juri ſuo fiat, *c. ſuborta, de ſentent.*

Factum contra proteſtationem non valet, *c. cum acceſſiſſent, de conſtitut. & cap. 1. de iis quæ vi metuſve.*

PSALMISTA, *diſt. 21. cap. Cleros. §. Lectores.*

Pſalmiſta orario uti non debet, *diſt. 23. c. non oportet.*

PUBERES unde dicantur, quando dicantur tales, & qualiter per corporis aſpectum dignoſcantur, *cap. puberes, de deſponſat. impub.* & quando poſſint mortaliter peccare, *cap. 1. de delict. pu.*

PUBLICATO ſcrutinio, non poſſunt electores ſua vota variare, *c. publicato, de elect.*

Poſt publicationem teſtium poſſunt alii teſtes induci, dum Prælatus de crimine inquirit, *capit. cum clamor, de teſtib.*

Publicatis atteſtationibus, non ſunt iterato teſtes interrogandi, *c. per tuas, eod. tit.* niſi in favorem matrimonii, *c. conſtitutus, 2. de teſtib.*

PUERIS non committatur animarum cura, *c. ex ratione, de ætat. & qualitat. præfic.*

Pueri reputantur, qui 14. annos agunt, *c. referente, de delict. puer.*

de PURGATORIO, *cap. unum. §. unde Auguſtinus, uſque ad fin. c. qualis. cap. qui in aliud, diſt. 25 item c. ult. §. non promittimus tamen, cum ſequentibus, de pænitent. diſtinct. 7.*

PURGATIO propter infamiam indicenda eſt, *c. cum oporteat, de accuſat.*

In purgatione deficiens pro convicto habetur, *c. inter, de purgat. canonic.*

Formam jurandi, in purgatione ſuper ſimonia, *vide cap. quoties, de ſimon.*

In notoriis non eſt indicenda purgatio, ſed condemnatio facienda, *c. cum dilectus, eod. tit.*

Purgatio indicenda eſt Clerico ſuſpecto, *cap. ſi quis, de rapt.*

Purgare nemo ſe tenetur, niſi de eo de quo infamatus eſt, *c. ult. eod. tit.*

Purgatio indicenda eſt infamato, deficientibus accuſatoribus & teſtibus, *c. nos inter, eod. tit.*

Compurgatores quales ſint, *c. cum P. de purgat. Canon.* & quid jurare debeant, *c. de teſtib. eod. tit.*

Purgatio per ferrum candens & ſimilia interdicitur, *c. dilecti filii, de purgat. vulg.*

Purgatores ſunt ſtricte examinandi, ſicut teſtes, *c. conſtitutus, de purgat. Canonic.*

Purgatores ſcire debent vitam & converſationem ipſius purgandi, *c. cum P. eod. tit.*

## Q.

QUADRAGESIMA non impedit, quin in ipſa famis neceſſitate liceat carnes comedere, *cap. 2. de obſervat. jejun.*

ſi QUADRUPES damnum dederit, datur actio, ut vel damnum ſarciatur, vel quadrupes noxæ dedatur, *c. ult. §. quod ſi animal, de injuriis.* ſecus ſi fera beſtia, vel quæ conſuevit nocere, damnum dederit: hanc enim dando dominus non liberatur, *dict. §. quod ſi animal. verſic. quod tamen ad liberationem.* vel ſi culpa domini, quadrupes damnum dederit *dict. §. quod ſi animal. verſ. & quam debuerat. item c. ſi bos, 3. & c. ſi læſerit, 4. eod. tit.*

Quadrupes quæ nocuit, etiam ordinaria pœna punitur, *15. q. 1. c. firmiſſime. §. unde etiam de brutis. §. fin. cum c ſeq. Mulier.*

## R.

RAPTORES ſunt excommunicandi, nec ad pœnitentiam recipiendi, niſi bona ablata reſtituant: pœnitentes tamen in morte in cœmeterio ſunt ſepeliendi, *cap. 1. & 2. de raptor.*

Raptores rerum quæ naufragorum ſunt, ipſo jure ſunt excommunicati: qui vero quæ navi vehebantur rapuerunt, excommunicandi ſunt, *c. excommunicat. eod. tit.*

RASURA debet eſſe in Clerico competens, *c. 1. de vit. & honeſt. Cler.*

Raſura in literarum vel inſtrumentorum locis ſuſpectis, literas vel inſtrumentum vitiat, *c. cum olim, 2. de priv.*

Raſura in inſtrumento, ipſum non vitiat, ſi per conſequens antecedens intelligi poſſit, *c. ex parte, de fid. inſtrum.*

RATIONE legis ceſſante, ceſſat ex, *1. quaſt. 7. cap. quod pro remedio.* & ubi eadem ratio, ibi idem jus conſtituendum eſt: Niſi aliquid contra jus com-



UNED

mune ſtatutum vel introductum ſit, hoc enim ad ſimiles caſus non eſt trahendum, *cap. quæ a jure*, 28. *de reg. juris*, *in* 6. item niſi propter neceſſitatem aliquid ſtatutum ſit: nam nec hoc ad ſimiles caſus trahendum, *cap. in argumentum*, 78. *de reg. juris*, *in* 6. 1. *quæſt.* 7. *cap. quod pro remedio* 9. *quæſt.* 1. *capit. ordinationes.* §. *quamvis.* c. *cum in cunctis*, 7. *in princ. verſ. eo propter, de elect. cap. in cauſis*, 19 *in fin. de ſentent. & re judic.*

Rationes vim legis habere dicuntur a Gratiano, *diſt.* 1. *cap. conſuetudo.* §. *porro.*

RATUM quis habere non poteſt, quod ipſius nomine non eſt geſtum, *cap. ratum*, 9. *de reg. juris, in* 6.

Ratihabitio retrotrahitur & mandato comparatur, c. *ratihabitionem*, 10. *de regul. juris.*

Ratihabitio ſubſequens confirmat contractum præcedentem, *cap. acceſſit, de deſponſat. impub.*

Ratihabitio confirmat matrimonium quod ab initio non fuit, *cap. inſuper, qui matrimon. accuſar. poſſ.*

Ratihabitio confirmat religionem, *capit. cum virum, de regular.* Item ſententiam, *cap. cum ad ſedem, de reſtitut. ſpoliat.* Item confirmat, procuratoris tranſactionem, ita ut eam nemo poſtea retractare poſſit, c. *contingit, de tranſact.*

RECOGNITIO delicti extra judicium nocet, ſicuti confeſſio, *cap. per inquiſitionem, de elect.*

RECONCILIENTUR cœmeteria, in quibus excommunicati ſunt ſepulti, aqua benedicta ſolemniter inſperſa, *cap. conſuevisti, de conſecr. Eccleſ.*

RECONVENTIONIS & exceptionis differentia, *cap. cum dilectus*, 2. *de ordine cognitionum.*

RECONVENIRE poteſt reus actorem in eodem judicio: & conventio & reconventio paribus paſſibus ambulare debent, *dict.* c. *cum dilectus*, 2. §. *nos autem diſtinguendum. verſ. quanquam in idem. item cap.* 1. *de mutuis petitionibus*. Niſi interdicto recuperandæ poſſeſſionis agatur: huic enim reconventio non poteſt opponi, *capit. ult. de ordin. cognit. item cap. ad ultimum*, 2. *de cauſa poſſeſſionis.* fallit etiam ſupradicta regula, ſi excommunicatus reconventionem opponat, *cap. cum inter*, 5. §. *fin. de exceptionibus.* tertio fallit, ſi apud alium quam actionis Judicem reconventio opponatur, *cap. diſpendia*, 3. §. *reus quoque, de reſcript. in* 6. Quarto, ſi apud arbitros cauſa agatur, *capit. cum dilectus*, 6. *de arbitris.*

Modus procedendi per reſcriptum conventioni praſcriptus, etiam reconventioni datus intelligitur, *cap. prudentiam*, 2. *de mutuis petitionib.*

REGULA, *diſtinct.* 3. *cap. regula, in princip.*

RELIGIONEM intrans, dummodo ſit ſanus, nil Eccleſiæ parochiali tenetur præſtare, *cap. de his, de ſepult.*

Religionis habitum poteſt quis in domo propria ſuſcipere & tenere, *cap. ex parte tuæ, de converſ. conjug.*

Religionum diverſitas reprobatur, maxime mendicantium, *cap. ne nimia, de religioſ. domib.*

Religionem ingredi non prohibentur conjugati, ante carnalem copulam, *cap. verum, de converſ. conjug.*

In religione per annum commoratus, nec ad ſeculum redire, nec uxorem ducere poteſt, *cap. conſuluit, eod. tit.*

Conjugatus poſt carnalem copulam religionem ingredi non poteſt, niſi de licentia uxoris ſuæ, *cap. ad Apoſtolicam ſedem, de converſ. conjugat.* qui vero ita ſemel ingreſſus eſt, repeti non poteſt, *cap. dudum, eod. tit.*

Impubes religionem ingredi non poteſt, niſi de licentia parentum, c. 2. *de regular.* nec invitus, vel in ætate non legitima, alias a parentibus extrahi poteſt, *cap.* 1. *eod. tit.*

Religionem intrans ante 14. annum conſummatum pœnitere poteſt, *cap. ad noſtram, eod. tit.*

Religio tenuis quæ dicitur, *cap. & ſi quæſtiones, de Simon.*

Cum religioſis facilius diſpenſatur, quam cum Laicis, quoad ordines, c. *ex literarum, de apoſtat. & reiter. baptiſm.*

De religione ad religionem magis arctam tranſiri poteſt, c. *licet, de regularib.*

Religionis habitum aſſumens, etſi vidua, etſi in domo propria, reſilire non poteſt amplius, c. *vidua, de regularib.*

Religioſus de religione ad religionem ex levitate non tranſeat, alias ad arctiorem tranſire poteſt, *cap. Joannes, eod. tit.*

Religionem intrans renuntiare poteſt annali probationi, *cap. Apoſtolicam, eod. tit.*

Religioſus ante profeſſionem exiens, quando uxorem ducere poſſit, quando non, *vide in cap. conſulti, eod. tit.*

Religionem intrans non habet habitum profeſſorum, *cap. ſtatuimus, eod. tit.*

Religione exiens ad reditum cogendus eſt, & per Prælatum revocandus, *cap. ult. eod. tit.*

Religionem ingreſſus per metum qui in conſtantem virum cadere poteſt, non obligatur ad religionem, *cap.* 1. *de iis, quæ vi metuſve.*

Religioſis interdicitur chirurgia, *cap. tua nos, de homic.*

Religioſus nec fidejubere, nec mutuum accipere poteſt, ſine conſenſu Capituli vel Abbatis, *capit. quod quibuſdam, de fidejuſſ.* alias conventus ſolvere non tenetur, *ibid.*

RELIGIOSUS locus, efficitur locus ad hoſpitalitatis uſum deputatus, *cap. adhæc*, 4. *de religioſ. domib.*

Locus in quem mortuus illatus eſt, Religioſus efficitur: Niſi hæreticus eo ſit illatus, *cap. quicunque*, 2. *in princip. verſ. & locus ille, de hæret. in* 6.

Res ſacra vel RELIGIOSA alienari, obligari, vel civilibus uſibus commodari non poteſt, 12. *q.* 2. c. *nulli. cap. prædia. item De reg. juris, in* 6. c. *ſemel*, 5.

ante RELATIONEM conſultationum exemplum litigatoribus edendum, c. *intimaſti*, 68. *de appellationibus.*

Ne relatione pendente Judex pronunciet, vel aliquid innovet, *cap. licet*, 5. *de officio legat.* 2. *quæſt.* 1 c. *nomem. verſ. quod nec in negotiis.*

Relatione facta & reſponſo accepto, ſententiaque exinde lata, appellatio denegatur, 2. *qu.* 6. c. *biduum.* § *fin.*

ad quos ſit RECURRENDUM, ſi ſacræ ſcripturæ auctoritas deſit, *diſtinct* 20. *cap. ult.*

RELIQUIÆ non debent exponi venales, & antiquæ extra capſam non ſunt oſtendendæ, *cap.* 2. *de reliquiis.*

Reliquæ de novo inventæ, abſque Papæ approbatione non ſunt venerandæ, *cap.* 1, *eod. tit.*

REMEDIUM *cap. redintegranda*, 3. *quæſt.* 1. c. *redintegrandæ.*

REMISSIONIS, literas poſſunt Epiſcopi concedere: & quantum generales remiſſiones valeant, *vide in cap. noſtro. & cap. quod autem, pœnitent. & remiſſ.*

RENUNTIARE non videtur, qui deceptus aliud facit, *cap. lectæ, de renunciat.*

Renuntians Epiſcopatui quando ad illum reſumi poſſit, *cap. poſt tranſlationem, eod. tit.*

Renuntians beneficio poteſt ad illud denuo admitti, *cap. veniens, eod. tit.*

Non renunciat juri ſuo, qui gratiæ ſe committit, *ibidem.*

Renuntians inſtrumentis, liti renuntiaſſe videtur, *cap cum pridem, de pact.*

Renuntiare poteſt quilibet juri ſuo, *cap. ſtatuimus, de regular.*

Renuntiare poteſt quis tacite privilegiis ſuis, *cap. accedentibus, de privileg.*

Renun-

UNED

Renuntians beneficio in manu Laici, ipſo jure eo privetur, c. *quod in dubiis, de renuntiat.*

Renuntiatio bene regentis, non eſt facile admittenda, c. *niſi cum pridem, eod. tit.* ubi ſimul notantur cauſæ renuntiationis.

Renuntiatione facta, ipſo jure irrita ſunt inſtrumenta, c. *ſane, eod. tit. & c. cum pridem, de pact.*

Archiepiſcopus renuntians, in illo loco pallio uti non poteſt, c. *ad ſupplicationem, de renunt.*

Renuntiare quis poteſt beneficio ſibi conceſſo, ſed non collegio dato, c. *ſi diligenti, de foro compet.*

Renuntiare quis non debet, beneficio abſque conſenſu Epiſcopi, & quando repetere poſſit renuntiationem, *cap. admonat. & c. ſane, de renunt.*

Renuntians beneficio metu vel vi, illud non perdit, c. *ad audientiam, de iis quæ vi.*

Renuntians beneficio ſuo coram Judice competenti, illud repetere poteſt, c. *accepta, de reſt. ſpol.*

REPRESSALIÆ dantur, quando generalis rerum retentio, auctoritate principis vel civitatis, pro damni recompenſatione indulgetur, c. *dominus*, 23. *q.* 2.

Repreſſaliæ de jure canonico & civili prohibentur, unde in repreſſaliis ultra ſortem nihil debet accipi, *cap. unic. lib. 6. de repreſſ.*

Repreſſalias concedentes contra Clericos, vel accipientes, ſi ſingulares ſunt perſonæ, excommunicationis, ſi univerſitas, interdicti ſententiam incurrunt, niſi intra menſem retractent, *ibid.*

REI VENDICATIO non niſi adverſus rei poſſeſſorem competit: Niſi dolo deſierit poſſidere: hic enim pro poſſeſſore habetur, c. *pro poſſeſſore*, 36. *de reg. juris.*

Rei vendicatione inſtituta, regulariter quidem ipſa revenit in condemnationem. Niſi res ſit conſecrata: tunc enim æſtimatio ejus venit præſtanda, 14. *q.* 6. c. 1. §. *fin. cum cap. ſeq. Comperimus.*

Rei vendicatio ibi, ubi res eſt de qua contenditur, competit, c. *ſane ſi*, 3. *de foro compet.*

In rei vendicatione actor rem quam petit, tenetur ſpecificare ac deſignare, c. *ſignificantibus* 2. *de libelli oblatione.*

In rei vendicatione ſuccumbit actor non probans cauſam ex qua petit, licet poſt actionem in judicium deductam ex alia cauſam dominium ſit nactus, c. *Abbate* 3. *de re judicata, in 6.*

In rei vendicatione actor reo ſumptus, quos in rem bona fide fecit, tenetur reſtituere. A qua regula excipitur pretium, quo rem comparavit, 16. *qu.* 3. c. *penult.* §. *univerſas.*

Rei vendicatio longi temporis præſcriptione eliditur, c. *cum olim*, 18. *de præſcriptionibus.* 16. *q* 3. c. *placuit ut quicunque.* §. *præſcriptionum.*

RESIDENTIAM non faciens Canonicus admonitus, nec appellationem ob hoc factam proſequens, privetur præbenda, c. *pervenit, de app.*

Reſidens intelligitur, qui jura Eccleſiæ ſuæ proſequitur, c. *cum dilectus, de Cler. non reſid.*

Reſidere nolens, admonitus, beneficio privetur, c. *ex parte, eod. tit.*

Reſidens dicitur, qui in ſervitio eſt Papæ, vel juſta de cauſa abeſt ex licentia, c. *ad audientiam. & c. relatum, eod. tit.*

Ad reſidentiam compelli poſſunt Clerici per ſuos Prælatos, c. *cum ad hoc, eod. tit.*

Reſidens ſtudii cauſa, quantum recipere debeat, *vide in cap. licet, de præb.*

Reſidere debet quilibet per ſe, non per alium, c. *conquerente, eod. tit.*

Non reſidens, poſt citationem, per ſex menſes eſt expectandus, c. *tua, eod. tit.*

Non reſidens, etſi Cardinalis, Eccleſia, privandus, c. 2. *eod. tit.*





RESPONSA Prudentum, vide ſupra in litera O. Opiniones.

RESTITUERE in integrum, ad quem ſpectet, *vide c. in cauſa, de reſt. in integr.*

Reſtitutio fieri non debet, antequam citetur reus, ſi contumax eſt, c. *quoniam frequenter, ut lit. non conteſt.*

Reſtituenda eſt poſſeſſio cum omnibus quæ interim percipi potuiſſent, c. *gravis, de reſtit. ſpol.*

Spoliatis per ſententiam iniquam bona reſtituenda ſunt, c. *ex inſinuatione, de procurat.*

Reſtitutio prius facienda eſt in cauſa poſſeſſionis, ante litis ingreſſum, c. 1. & 2. *de reſt. ſpoliat.*

Reſtitutio in ſpiritualibus peti non poteſt, c. *cum venissent, de reſtit. in integr.*

Reſtituendus eſt prædo ſecundum juris rigorem, & de reſtitutione prius agendum, quam de canonica inſtitutione, c. *literis, de reſt. ſpoliat.*

Reſtitutionem poteſt petere Eccleſia, etiam contra latam ſententiam, c. *ex literis, de reſtit. in integr.*

Reſtituta uxore, debent omnia ejus bona ſimul reſtitui, c. *accedens*, 2. *ut lit. non conteſt.*

Reſtitutionem petenti non poteſt adverſarius crimen opponere, c. *item cum quis, de reſtit. ſpoliat.*

Reſtitutionem petens quid probare debeat, c. *olim*, 4. *eod. tit.*

Ad reſtitutionem non eſt cogendus qui non poteſt, c. *cum tu, de uſur.*

In reſtitutione matrimonii, neceſſe eſt probare jus matrimonii, & poſſeſſionem corporalem per carnalem copulam, c. *ex parte, de reſtitut. ſpoliat.*

Reſtitutionem matrimonii impedit adulterium publicum, c. *ſignificaſti, de divortiis.*

Reſtitutio denegatur mulieri volenti cohabitare viro, cum contumelia creatoris, c. *gaudemus, eod. tit.*

Reſtitutionem mulieris quæ impediant, *vide in c. literas. & c. ex tranſmiſſa, de reſtit. ſpoliat.*

Reſtitutionem petere non poteſt, poſſeſſionem de jure non habens, c. *ex parte, de reſtitut. ſpoliat.*

Reſtitutio favorabilis eſt in cauſa matrimonii, c. *ex literis, de in integr. reſtit.*

Reſtitui poteſt Eccleſia contra aliam Eccleſiam, c. *auditis, eod. tit.*

Reſtituere quis tenetur omnia quæ medio tempore percepit, ſi adverſarius ſuum jus probaverit, c. *ſuſcitata, eod. tit.*

RES cum ſuo onere tranſit, c. *non ſit in homine, de decim.*

Res per quas cauſas naſcitur, per eaſdem diſſolvitur, c. 1. *de de reg. juris.*

Non ſermoni res, ſed rei ſermo eſt ſubjectus, c. *intelligentia, de verbor. ſignific.*

REVOCATIO mandati non valet, priuſquam in cauſa ſit concluſum, c. *audientis, de procurat.*

Revocationi æquivalet certa Principis ſcientia, c. *paſtoralis, de offic. delegat.*

Revocatio procuratoris non valet, niſi de ea Judici conſtet, c. *ex parte, de reſcript.*

Revocari poteſt illicitum mandatum, per ſuperiorem, c. *quintavallis, de jurejur.*

REUS, c. 10. § *reus, de verb. ſignific.*

Non debet actori licere, quod reo non permittitur, c. *non licet*, 32. *de reg. jur. in* 6. *l. non debet*, 41. *ff. eod. tit.*

Reus condemnatur in expenſis, actore ex decreto primo in poſſeſſionem miſſo, etiam lite pendente, c. 1. *de ſequeſt.*

Reus ſi poſt litem conteſtatam non comparuerit, ad ſententiam definitivam procedatur, c. *prout, de dol.*

Reus contumax poteſt adhuc a Judice citari ſemel, *ibid.*

Reus, actore non probante, abſolvitur, c. *accedent. de priv.*



UNED

Reus abſolvitur, ubi obſcura ſunt partium jura, *c. inter, de fid. inſtrum.*
RESTITUTIO in integrum partibus præſentibus petenda, *ac decernenda, cap. cum ex literis, 5. §. de integr. reſtit.*
Non totius temporis reſtitutio facienda, ſed ejus tantum quando ſe laſum probat, *Clement. 1. in fin. de in integr. reſtitut.*
In integrum reſtitutus meliorationes adverſario reſtituere debet, *c. 1. in fin. de integr. reſtitut.*

S.

SACERDOS, *diſtinct* 21. *cap. Cleros. § Sacerdos.*
Sacerdos, qualiter ſe circa confeſſum habere debeat, *vide in cap. omnis, de pœnit. & remiſſ.*
Sacerdotis filiam carnalem ducere non poteſt baptizatus ab eo, *cap. ult. de cogn. ſpirit.*
Sacerdos cum virgine matrimonium contrahens, poſt pœnitentiam, diſpenſationem obtinere poteſt, *c. ſane, de Cler. conjug.*
Sacerdos advocatus eſſe non debet, *cap. cum Sacerdotis, de poſtulat.*
Contra Sacerdotem infamatum qualiter eſt procedendum, *cap. 2. de purgat. canon.*
Sacerdos conſanguineam fœminam in domo non habeat, & ſuſpecti poſt trinam denunciationem excommunicentur, *cap. 1. & 2. de cohabit. Cler.*
Sacerdotis confeſſionem revelantis pœna, *cap. omnis, de pœnit. & remiſſ.*
Sacerdos hominem caſu interficiens non eſt deponendus, *cap. interfeciſti, de homicid.*
Sacerdos puerum diſciplinæ cauſa percutiens, ita ut ictu moriatur, deponendus eſt, *cap. presbyterum, eod. tit.*
Sacerdotii incapax eſt bigamus, *c. 1. de bigam.*
Sacerdos non habeat officium interdictum, vel ſimile, *cap. Sacerdotibus, ne Cleric. vel Monach.*
Sacerdoti infamato purgatio indicitur, *c. ſignificaſti, de adulter.*
SABBATHIS carnes comedere licet ſecundum morem patriæ, *cap. conſilium, de obſervat. jejun.*
SACRUM quod eſt vel ſemel Deo dicatum, non eſt ad uſus humanos ulterius transferendum, *c. ſemel, 51. de reg. jur. in 6.*
SACRAMENTUM, 3. *q.* 1. *cap. multi. §. ſacramentum.* & de ratione nominis, *d. c. multi. §. ſunt autem ſacramenta. verſic. quæ ob id ſacramenta, uſque ad verſ. quæ ideo fructuoſa. item d. diſt. 2. cap. qui manducant. §. iſta ideo dicuntur ſacramenta.*
Definitio ſacramenti, 1. *q.* 1. *c. multi ſecularium. §. ſacramentum, de conſecrat. diſt. 2. cap. ſacrificium. Declaratur dict. diſt 2. c. ſignum.*
Diviſio ſacramentorum, in ſacramenta neceſſitatis & dignitatis, 1. *q.* 1. *cap. remiſſionem. §. ſed notandum eſt.*
Species ſacramentorum, *d. q.* 1. *c. multi ſecularium. §. ſunt autem ſacramenta.*
Sacramenta libere ſunt conferenda, abſque ullius præmii exactione, *cap. ad Apoſtolicam. & cap. cum in Eccleſia, de ſimon.*
Sacramenta collata ab excommunicato, in excommunicatione vim habent, licet talis conferens peccet, *cap. ſi celebrat, de Cler. excommun.*
Si Sacramentum eſt prætermiſſum, caute ſupplendum eſt, *cap. 1. de ſacram. non iter.*
Sacrum trahit ad ſe non ſacrum, *c. quod in dubiis, de conſecrat. Eccleſ.*
Sacra non debent Laico pignori dari, niſi in neceſſitate, *c. 1. de pignor.*
SACRARIUM ingredi prohibentur Subdiaconi & Miniſtri non ſacrati, *diſt 23. cap. non oportet Subdiaconos. & c. non oportet. in ſacratos.*
SACRIFICIUM, *cap. multi. §. ſacrificium, de verbor. ſignific.*

## *Sacrilegium quibus modis committatur.*

SACRILEGIUM eſt quicquid in *ſacratis* Deo rebus & Epiſcopis injuſte agitur, pro ſacrilegio reputatur, *cap. quæ multotiens, 7. de reg. jur. 12. qu. 2. c. nulli. cap. prædia. 13. q. 1. c. qui oblationes, in fine. 17. qu. 4. c. qui rapit. cap. ſi quis contumax. §. ſacrilegium ergo. c. quiſquis. §. ſacrilegium, uſque ad finem.* etiamſi rem privatam e loco ſacro quis ſurripuerit, *dict. c. ſi quis contumax. §. ſacrilegium ergo. verſ. vel non ſacrum. & d. cap. quiſquis. §. ſimiliter ſacrilegium. & §. fin.* quod fallit, ſi ſacrum e loco privato ſurripuerit, *23. q. 4. c. quid ergo. §. fin.*
Si res Eccleſiæ Alienat, vel alienationi conſentit: ſacrilegium committit, *17. q. 4. c. omnes Eccleſiæ.*
Si Eccleſiam non permittat ordinari vel Conſecrari, ſacrilegium committit, *1. q 1. c. nullus. §. qui autem, cum c. ſequente.*
Si de judicio Imperatoris vel Papæ Dubitat, ſacrilegium committit, *dict. §. committunt etiam. verſ. aut qui de principali. § fin. cum cap. ſeq.*
Si quis Legata Eccleſiæ retineat, ſacrilegium committit, *13. q. 2. c. qui oblationes, in fin. 17. q. 4. c. ſacrilegium.*
Si divinam Legem non obſervat, vel in articulis fidei errat, ſacrilegium committit, *17. q. 4. c. ſi quis ſuadente. §. committunt etiam.*
Si Sacerdotes inſequitur, ſacrilegium committit, *d. q. 4. cap. ſicut qui. c. ſi quis contumax. §. dicitur etiam. c. quiſquis. §. 1. verſ. ſeu qui injuriam. cap. ſi quis deinceps. c. ſi quis ſuadente, in princ.*
Sacrilegium committitur, ſi Laicus jura Eccleſiaſtica Uſurpaverit, *cap. conqueſtus, 16. de foro compet.*
SACRISTA & de hujus officio, *cap. unico, de officio ſacriſtæ.*
de SALARIO & mercede Magiſtris ac Doctoribus artium liberalium decernendo, *cap. 1. c. quia nonnullis, 4. & c. ult. § fin. de magiſtr.*
SALITOR, *vigeſima ſexta, quæſtione tertia, cap. 1. §. ſalitores.*
SAPIENTIA, *de pœnitent. diſt. 2. cap. ſapiens.*
SATISFACTUM, *cap. ex parte, 23. de verbor. ſignificat.*
SCANDALUM non debet bonum faciendum impedire, *cap. niſi, de renuntiat.*
Ob ſcandalum ea quandoque ſunt omittenda, quæ pro rigore juris ſunt ſtatuta, *c. ſuper quodam, de ſtatu Monach.*
SCHOLARES Canonici plene recipiant fructus præbendarum ſuarum, *cap. ſuper ſpecula, de magiſtr.*
Scholares in univerſitate poſſunt ſtatuta facere, & citare, & contumaces punire, *cap. ex literis, de conſtitut.* Item poſſunt conſtituere procuratorem in curia Papæ, *c. quia in cauſis, de procurat.*
SECUNDUM, *cap. Abbate, 25. de verborum ſignificat.*
SEDE vacante, nil debet innovari vel mutari, *c. 1. ne ſed. vacant.*
SENATUSCONSULTI definitio, *diſt. 2. Senatuſconſultum.*
SENTENTIA injuſta Judicem potius lædit, quam eum in quem temere fertur, *11. q. 3. cap. nolite. §. fin.*
De ſententia non præcipitanda, *11. q. 3. c. ſummopere.*
Sententia ab ipſo Judice ſedente recitanda, *cap. ult. §. fin. de re judicata, in 6.* fallit in Epiſcopo Judice, *d. cap. ult. in princ.*
De ſententia in plurali, non ſingulari numero proferenda, *cap. cum ab uno, 4. dict. tit.*

Do

De Sententia ex ſcripto recitanda, 1. *qu.* 2. c *in primis.* §. *ſed & de perſonis. verſ. ſi ſcripti.. judicatum. &* §. *fin. cum cap. ſeq. cap. legum*. Niſi Epiſcopus in cauſa Clerici ſententiam ferat, 11. *q.* 1. c. *ſi quis cum Clerico*.

SEPULTURA eſt eligenda apud loca magis religioſa, *cap.* 3. *de ſepult.*

Sepulturam debet quis eligere in loco parentum ſuorum, *cap.* 1. *de ſepult.*

Sepulturam eligere poteſt uxor ſicut vir, *cap. de uxore, eod. tit.*

Sepulturam filio minori poteſt eligere pater, *ibid.*

De ſepulturis hoſpitalariorum, *cap. in noſtra præſentia, eod. tit.*

Sepelire non licet Clerico raptorem, nec in mortali peccato decedentem, *cap.* 2. *de raptoribus*.

Sepultura conceditur Clericis interdictum ſervantibus, *cap. quod in te, de pœnit. & remiſſ.* Item facinoroſo pœnitenti, *cap. ult. in fin. eod.*

In ſepulturis non eſt danda portio canonica, ſi ad fabricam & ad luminaria quædam data ſint, *cap. ex parte,* 3. *de verbor. ſignific.*

Pro ſepultura nil dandum eſt, c. *abolenda*, *eod. tit.*

SEQUESTRATIO fit rei ſervandæ cauſa, *cap.* 1. *eod. tit.*

Sequeſtrationem bonorum impetrare poteſt mulier, propter inopiam viri, *cap. per veſtras, de donation.* Item ſi etiam propter contumaciam abſentis ſuſpecti poſſeſſoris, *cap. ex literis, de dol. & contum.*

Sequeſtratio injuſta revocatur, *cap.* 1. *de ſequeſtr. poſſ. & fruct.*

Sequeſtrantur fructus lite pendente, c. 2. *de ſequeſtr. fruct.*

Si SERVUS Judæi Chriſtianus fieri deſideret, per hoc liber efficitur, *diſt.* 54. *cap. nulla.* §. *fin. cum cc. ſequent. uſque ad cap. ſi ſervus abſente*.

Si Servus Epiſcopus fit actus, per hoc liber efficitur, *diſt.* 55. *cap. ſi ſervus ſciente.* §. *Epiſcopalis*.

Servus non ordinetur invito domino, alias deponitur & domino reſtituitur, *cap.* 1. 2. *&* 5. *de ſerv. non ordin.*

Servus Eccleſiæ quomodo poteſt manumitti, *vide in cap. Epiſcopi, eod. tit.*

Servi & libertæ filius, liber eſt, *cap. dilectus filius, de ſerv. non ordin.*

Servus matrimonium contrahere poteſt, domino ſuo invito, *cap. propoſuis, de conjug. ſerv.*

Servus fugitivus per fraudem ordinatus deponitur, *cap. de ſervorum, de ſerv. non ordin.*

Servus ad miniſtrandum domo in ſacerdotali ordine conſtitutus, ſi renuntiat officio, deponitur, c. *nullus, eod. tit.*

de SCHISMATICIS Jacobo, Petro & Joanne de Columna, *cap. unico, de ſchiſmaticis, in* 6.

SIGILLO novo non utantur niſi collegiati, *cap. dilectas de exceſſ. prælat.*

Sigillum non probat, niſi ſit authenticum, *cap.* 2. *de fid. inſtrum.*

Sigillum capituli dicitur authenticum, *cap.* 3. *de probat.*

Item ſigillum principis, c. *cum dilectus, de fid. inſtrum.*

Ex ſigillis veritas privilegiorum, vel falſitas dignoſcitur, *ibid.*

Sigillo authentico debet ſententia excommunicationis corroborari, *cap. cum medicinalis, de ſentent. excommunic.*

Sigilla falſa conficientium vel fingentium pœna, *cap.* 3. *de crimin. falſi. c. cum olim, de offic. judic. deleg.*

Qui Signa rebus alienis imponunt, coercendi, 16. *q.* c. 1.

SIMONIA 1. *quæſt.* 7. *cap. ult. in princ.*

Ejus definitio, 1. *q.* 1. c. *qui ſtudet*. Ex hoc canone Simonia definitur ſtudioſa voluntas emendi vel vendendi ſpiritualia.

Eſt autem Simonia dicta a Simone Mago, 24 *quæſt.* 3. *cap. gen. in princ.*

Simoniam vero eſſe hæreſim, patet ex *d. c. ult. in princ.* 2. *qu.* 1. c. *ventum.* § *fin. cum c. ſeq. c. cum omnis. c. eos qui. c. placuit.* §. *ex illa*. Concordat item propoſitæ cauſæ, 1. *qu.* 1. c. *erga Simoniacos. & c. tanquam. &* 1. *qu.* 3. *cap. ea qua item extravagans com.* 2. *de Simonia. extravag. com.* 1. *de ſentent. excomm.* Objicitur 1. *qu.* 1. c. *placuit*. §. *item opponitur*. Species ſeu exempla hujus cauſæ exponuntur c. *non ſatis,* 8. *&* c. *cum in Eccleſia,* 9. *de Simonia*.

## *Quid ſit Simonia, & quomodo committatur.*

Simonia eſt pactio circa ſpiritualia vel eis annexa, *cap. quæſitum, de rerum permut.*

Ut promovere negotium, ſpe beneficii Eccleſiaſtici promiſſi, *cap. cum eſſent. de ſimon.*

Item, docere pro mercede, cum ſalarium ab Eccleſia conſtitutum habeat, c. 1. *de magiſt.*

Item pro conſecratione aliquid ultra procurationem accipere, *cap cum ſit, de ſimon.*

Item, ubicunque ſpirituale pro temporali venditur, *cap. in tantum, eod. tit.*

Simonia eſt aliquid pro ſepulturis recipere, vel pro exequiis, inthronizatione, vel quocunque ſacramento, c. *cum in Eccleſia, eod. tit.*

Item per gratiam vel favorem publice peccantem non corrigere, vel denuntiare, *cap. nemo, eod. tit.*

Item promittere beneficium electori, *cap. de hoc, eod. tit.*

Item Eccleſiam emere vel redimere, c. *querelam, eod. tit.*

Item pœnitentem indignum propter favorem aut gratiam reconciliare, vel pœnitentem ex odio repellere, *cap. nemo, eod. tit.*

Item homagium petere pro beneficio, *cap. ex diligenti. eod. tit.*

Item pro Eccleſiaſtico miniſterio aliquid petere, *cap.* 2. *eod. tit.*

Simonia eſt omne impenſum pro quolibet obſequio in ordinatione, c. 1. *eod.*

Item ementes & vendentes Eccleſiarum adminiſtrationem Simoniam committunt, *cap. conſulere, eod. tit.*

Simonia eſt aliquem pro pretio abſolvere, *cap. ad aurem, eod. tit.*

Simonia ſola intentione committi poteſt, *cap. tua nos, de ſimon.*

Simoniam quæ munera, & quando inducant, *vide ut* c. *dilectus filius, eod. tit.*

In ſimonia gratia, favor vel odium loco pretii ſuccedunt, *cap. cum eſſent, eod. tit.*

In ſimoniaco contractu tantum valet remittere, quantum dare, *cap. veniens, de teſtib.*

Simoniacus eſt, qui de bonis ſuis præbendam conſtituit, ut ad eam Canonicus recipiatur, *cap. tua nos, de ſimon.*

Simoniacus eſt recipiens pecuniam pro eo ad quod tenetur officio, *cap. dilectus filius, de ſimonia*.

Simonia eſt temporalia dare, ſpiritualia lucrandi cauſa, *cap. tua nos, eod. tit.*

Simonia non eſt dare ſuæ Eccleſiæ, & poſtea petere ut accipiatur in ea, niſi corrupta ſit intentio & dantis & recipientis, *ibid.*

Simoniacus non dicitur Epiſcopus, qui juta Epiſcopalia pro annua penſione alteri cedit, maxime ubi Papæ confirmatio accedit, *cap. conſtitutus, de religioſ. domib.*

Simonia non eſt, ſi Clericus poſſeſſor vexationem redimit, *cap. dilectus filius, de ſimon.*

## *Eorum qui Simoniam committunt pœna.*

Simoniacus convictus perpetuo eſt deponendus, *cap. de hoc, eod. tit.* Debet purgatio indici de ſimonia ſuſpecto, in qua ſi defecerit, beneficio privetur, c. *inſinuatum, eod. tit.*

Similiter beneficio & officio privetur, munus aliquod accipiens pro chriſmate, c. *non ſatis, eod. tit.*

Simoniace ordinatus Miſſam cantare non poteſt, *cap. 4. eod. tit. de ſimon.*

Contra ſimoniacum admittitur teſtis ſervus & criminoſus, *cap. tanta, eod. tit.*

Quæ ſit pœna intrantis & recipientis in Eccleſia quendam ſimoniace, *vide in cap. dilectus filius, eod. tit.*

Per ſimoniam aliquem beneficio privans deponatur, *c. qui alium, eod. tit.*

Contra ſimoniacum poteſt agi per certa ſigna, *cap. ſicut ſimoniaca, eod. tit.*

Simoniacus de ſimonia teſtificari non poteſt, *c. ſi dominus, de ſimon.*

Simoniace religionem ſcienter intrans, locum illum deſerat, & arctiorem ſuſcipiat, *cap. de regular. eod. tit.*

Simoniace promoti, quamvis parvuli per parentes ignoranter beneficium adepti, illud reſignare tenentur. *cap. per tuas, 2. eod. tit.*

Circa ſimoniace accuſatum quæ attendenda, *ibidem.*

Simoniaca promiſſio, promittentem non obligat, *cap. hac autem, eod. tit.*

Cum ſimoniaco aliquando poteſt diſpenſari, *cap. per tuas, 2. eod. tit.*

Simoniam ex ſola intentione committens, non tenetur renuntiare, vel reſtituere, *cap. mandato, eod. tit.*

SOLVITUR eo genere quodque, quo colligatum eſt, *cap. 1. de reg. jur.*

SOLUTIO proficit debitori ad liberationem & exceptionem. Niſi alii quam creditori ſolutum ſit, *cap. ea te, 22. de jurejur.* item niſi aliud pro alio ſolvatur vel præſtetur, *cap. cum aliquib. 10. de re judic.*

Solutio præterea proficit debitori, ſi cauſa de qua judicatum eſt, & quæ per ſententiam eſt finita, rurſus deducatur in judicium: nam obſtat rei judicatæ exceptio, etiamſi cum antea apud Eccleſiaſticum Judicem actum eſſet, nunc apud civilem Judicem agatur: vel contra, *c. ult. de except. in 6.* quod an ſemper verum ſit, *vide 11. quæſt. 1. cap. ſ. quicunque.*

Fallit ſupradicta regula, ſi ex alia cauſa nunc agatur, quam actum eſt antea, *cap. ult. de cauſa poſſeſſionis. cap. cum olim, 15. de privilegiatis.* Niſi in rem agatur, *cap. Abbate, 3. de re judicata, in 6. Approbatur ibidem. §. ſecus autem.*

Fallit ſecundo, ſi cauſa ob quam in priore judicio reus fuit abſolutus, in poſteriore judicio ceſſet, *cap. adverſario, 13. de exceptionibus. Clement. ult. de appellationibus.*

Tertio fallit ſi contra alium in judicio priore actum eſt, quam contra quem nunc agitur, *cap. cum olim, 7. de cauſa poſſeſſionis.* quod ita eſt, niſi prior & poſterior conventus ſint litis conſortes, *2. quæſt. 6. cap. ei qui appellat. §. quandoque.*

Quarto fallit ſi alius antea egerit, quam qui nunc agit, *cap. cum ſuper, 17. de re judicata. cap. inter dilectos, 8. §. fin. in fine, de donationibus. cap. 1. §. per præfatam, de jure patronat. in 6.* proficit tamen prior ſolutio, ſi cum poſteriori actori actio primum competeret, is alium antea agere paſſus ſit, *cap. quamvis, 25. de re judic.* ut etiam ſi poſterior actor ſit ſucceſſor ejus qui antea agit, *dict. cap. 25. in fine.*

Quinto fallit ſi alia res petatur nunc, quam antea eſt petita, *cap. dilectus, 18. de offic. ordinarii. cap. cum olim, 7. de cauſa poſſeſſionis.*

Si pro ſolutione debiti pignoribus cavere debitor ſit paratus, per hoc exceptione non defenditur, *cap. cum aliquibus, 6. de re judicata.*

Solvere non tenetur Eccleſia debita pro ea non contracta, *cap. 2. de ſolut.*

Ad ſolutionem debiti pro Eccleſiis ab anteceſſore contracti, tenetur ſucceſſor, *c. 1. eod. tit.*

Solutionem debiti neganti incumbit probatio, *cap fin. eod. tit.*

Ad ſolutionem expenſarum tenetur, qui diem non ſervat, *cap. cum dilecti, de dolo & contum.*

SORORES duæ poſſunt duobus fratribus copolari, *capit. quod ſuper, de conſanguinit. & affin.*

SORTILEGUS, *26. qu. 2. cap. 1. §. fin. cum c. ſequente cap. hi qui de paganis. c. non exemplo. qu. 5. in princ. c. ſortes. c. pervenit. c. Epiſcopi. in princ. & quæſt. 7. c. non obſervetis. verſ. & ſortes. item de ſortilegiis, c. 2.*

Definitio ſortilegorum, *26. qu. 1. in pr. cum cap. ſeq. item qu. 3 c. 1. §. ſortilegi.*

SPECIALE præceptum plus valet quam generale, *c. ſi adverſus nos, de hæret.*

ad SPECTACULA ne die ſolenni, prætermiſſo Eccleſiæ conventu eatur, *de conſ. diſt. 1. c. qui die ſolemni.*

SPIRITUS ſanctus procedit a Patre & Filio, *c. unico, de ſumma trinitate, in 6. de conſecrat diſt. 5. cap. de Spiritu. & c. ult.*

An & quatenus permaneat vel recedat Spiritus ſanctus, *de pœn. diſt. 2. c. quærendum. c. poteſt diſcurſus.*

SPIRITUALIA pro temporalibus commutari non poſſunt, *cap. exhibita, de rer. permut.*

De ſpiritualibus poteſt in arbitros compromitti, *cap. niſi, de præb.*

In ſpiritualibus non ex legum diſtinctione, ſed ex æquitate canonum proceditur, *cap. literas, de juram. calum.*

In cauſis ſpiritualibus non recipitur juramentum calumniæ, *ibid.*

SPOLIANTES naufragos incidunt in canonem, *cap. excommunicationi, eod. tit.*

Spoliatus conveniri non poteſt, antequam reſtituatur, *2. q. 6. c. ult. §. appellatore. c. 1. de reſt. ſpol.*

SPONSALIA, *30. quæſt. 5 c. noſtrates.*

Dividuntur in ſponſalia de præſenti & de futuro, *cap. ſi inter virum, 31. de ſponſalib.*

Sponſalia de futuro ſolvuntur per ſequentia de præſenti, *cap. 1. de ſponſ. duor.*

Sponſalia dicuntur matrimonium conſummatum, ſi carnalis copula intervenerit, *c. veniens, de ſponſ.*

Sponſalia de futuro ſolvit lepra, vel alia deformatio ſimilis, *cap. quemadmodum, de jurejurand.*

Sponſalia quando inducant publicæ honeſtatis juſtitiam, *vide in cap. literas, de deſponſ. impub.*

Sponſalia de præſenti diſſolvi non poſſunt, *cap. 1. & 2. de ſponſ. duorum.*

Sponſalia ante ſeptennium rite contrahi non poſſunt, *cap ad diſſolvendum, de deſponſ. impub.*

Sponſalia per vim contracta, etſi ſponſa fuerit in domum ſponſi deducta, non valent, *c. ex literis, eod tit.*

Sponſam fratris nemo, etiam fratre mortuo, habere poteſt, propter publicæ honeſtatis juſtitiam, *cap. ad audientiam, de ſponſal.*

Sponſa ſponſum vagabundum ſequi non tenetur, nec eum diu expectare, *cap. de illis, eod. tit.*

Sponſa de præſenti, vivente ſponſo, alium ducere non poteſt, niſi prior religionem intret, *cap. 2. de ſponſ. duor.*

Sponſa duorum dicitur, quæ cum uno per verba de futuro contrahit, cum altero per verba de præſenti, *cap. 1. eod. tit.*

Sponſa duorum, lite pendente, cum neutro contrahere poteſt, donec quæſtio decidatur, *cap. tua fraternitas, eod. tit.*

Sponſalibus contractis inter puberem & impuberem, pubes per verba de præſenti conſentiens diſſentire amplius non poteſt, ſed impubes, cum pubes factus erit, poterit diſſentire, *c. de illis, de deſponſ. impub.*

Sponſalia ſunt, & non matrimonium, quæ ante annos legitimos fiunt, *cap. tuæ nobis, eod. tit.*

Sponſalia de præſenti contrahens, ad conſummationem eſt cogendus, *cap. ex literis, eod. tit.*



UNED

Sponſalia de futuro qui contraxerunt, poſſunt mutuo diſſenſu ſeparari, *cap. præterea, de ſponſalibus*.

Sponſalia ſub honeſta conditione contracta, non valent ante conditionis eventum, *cap. de illis, de condit. appoſit*.

Sponſalia contrahi poſſunt inter abſentes per perſonam interpoſitam, *cap. veniens, qui Cler. vel vov.*

Qui ſponſalia contraxit cum puella in cunabulis exiſtente, ea mortua matrem ducere non prohibetur, *cap. literas, de deſponſ. impub.*

Sponſalia qua ætate diſſolvantur, vel conſummentur, *vid. in cap. atteſtationes, eod. tit.*

Sponſaliorum probatio viro incumbit, *cap. 1. de clandeſtin. deſponſ.*

Sponſalibus conditio inhoneſta appoſita, quæ contra ſubſtantiam matrimonii fit, ea rumpit & diſſolvit, *cap. ult. de condit. appoſit.*

Ad ſponſalia conſummanda hortandus quis potius eſt quam cogendus, *cap. requiſivit, de ſponſal*.

Sponſaliorum & Nuptiarum promiſcuus uſus: ideo 27. *qu.* 2. Gratianus diſſerit, an ſponſalia conjugii appellatione contineantur, ſeu an ſponſus & ſponſa conjuges recte dicantur? cujus quæſtionis partem quidem affirmativam primum probat argumentis & auctoritatibus, *dict. quæſt. 2. in princ. cap. ſufficiat. § cum ergo. cap. beata §. fin. cap. conjuges. cap. conjunx. cap. omne itaque. cap. qui deſponſatam, in princ. & §. 1. item cap. ſi quis deſponſaverit. §. fin.*

Deinde partem negativam defendit, ſponſalia videlicet conjugii appellatione non contineri, & ſponſum ſponſamque conjuges non recte dici, *dict. § fin. cum ſequentibus, & dict. quæſt. 2. c. decreta. §. 1. cap. quod autem. §. unde apparet. §. item ſi ſponſa. cap. ſi quis ſponſam. §. 1. c. ſtatutum. §. apparet*. Poſtremo Gratianus hanc canonum contrarietatem reconciliare conatur, diſtinctione facta inter conjugium initiatum & ratum: initiatum appellans, cui carnalis copula non intervenerit: ratum appellans, cui copula iſta intervenerit, *dict. capit. ſtatutum. § quomodo. & dict. quæſt. 2. c. cum initiatur*.

SPORTULARUM nomine Clerici judicantes nihil pro ſuis ſententiis accipere debent, *cap. cum ab omni*, 10. *de vita & honeſtate Clericor.*

Taxatio expenſarum pro literis cancellariæ dandarum, *extrav. Joan. XXII. unica, de ſententia excommun*.

STATUTA Eccleſiæ variari poſſunt pro tempore, *cap. non debet, de conſanguinit. & affinit.*

Statuta Laicorum ſuper rebus Eccleſiaſticis non valent, niſi ab Eccleſia confirmentur: & ſtatuentes contra Eccleſiam ſunt excommunicandi, niſi ſtatuta revocent, *cap. noverit, de ſentent. excommunic.*

Ex STIPULATIONE pœnali ſi non fiat quod ſub pœna promiſſum eſt, actio datur ad pœnam petendam. Niſi matrimonium ſub pœna ſit promiſſum, *capit. gemma*, 29. *de ſponſalibus* item niſi pro parte præſtitum ſit, quod ſub pœna promiſſum eſt, hoc enim caſu pœnalis ſtipulatio non niſi pro reliqua parte, non in ſolidum committitur, *c. ſuam, 9. de pœnit.*

SUBDELEGATUS a Principe ſolus alteri cauſam ſubdelegare poteſt, *cap. cum cauſam, de appell.*

A ſubdelegato ſi fuerit appellatum, delegatus procedere poterit, ſi aliquid juriſdictionis ſibi retinuerit, *cap. ſuper quæſtionum, de offic. deleg.*

SUBDIACONI, *diſtinct.* 21. *c. Cleros. §. Hypodiaconos.*

Subdiaconus non debet eſſe minor viginti annis, *diſt. 77. c. Subdiaconus.*

Calicem & patenam ad altare defert, Diaconis tradit, urceolum quoque & aquam, manile & manutergium tenet, &c. *diſt. 25. cap. 1. §. ad Subdiaconum. diſt. 23. cap. 1. §. deſervientes.*

Subdiaconus & Diaconus ſimili gaudent privilegio, *cap. miramur, de ſerv. non ordin.*

Subdiaconus a Papa ordinatus, privilegium habet, *cap. cum in diſtrib. de tempor. ordin.*

Subdiaconus poteſt eligi in Epiſcopum, & cura animarum ei committi poteſt, *c. a multis. & c. præterea, de ætat. ordin.*

SUCCENTOR, *diſtinct. 21. capit. Cleros. §. ſuccentor.*

SUCCESSOR præſtat factum prædeceſſoris, niſi perniciosum ſit: tunc enim mutat, *63. diſt. cap. quid ſancta, §. verum*.

Nemo plus juris ad alium transfert, quam ipſe habuit, *cap. nemo poteſt, 79. de regula juris, in 6.*

Succeſſor uti debet jure ſui actoris, *cap. is qui, 46. dict. tit.* ſecus ſi manifeſta ſit iniquitas, 100 *diſtinct. c. novit.*

Succeſſor juſtam habet ignorantiæ cauſam, *cap. cum quis, 14 de reg. jur. in 6.*

SUFFRAGANEUS Archiepiſcopi delegationem invitus recipere non tenetur, *c. paſtoralis, de offic. ordin.*

SUI Clerici, *capit. ſicut, 5. de verborum ſignificatione, in 6.*

SUPERSTITIO eſt, quicquid Inſtitutum eſt per homines ad facienda & colenda idola, vel ad colendam, ſicut Deum, creaturam, *26. q. 2. c. illud.*

SUSPENSUS nec eligi nec eligere poteſt, *cap. cum dilectus, de conſuet.* nec beneficium conferre, *c. ſi celebrat, de Cler. excommunic.*

Si celebret, privatur officio & beneficio, *c. Cler. eod. tit.*

## *Suſpenſionis cauſæ.*

Quicunque Eccleſiam pro alienis debitis obligat, ſuſpenditur, *cap. ſi quorundam, de ſolut.*

Suſpenſus eſt quicunque in mortali peccato exiſtit, *cap. quæſitum, de cohabit. Cler.*

Judex Eccleſiaſticus, qui ſine ſcriptis ſententiam excommunicationis profert, per menſem ſuſpenditur ab ingreſſu Eccleſiæ: idem de eo qui ſententiam ex gratia vel favore in detrimentum alterius partis profert, *c. 1. de ſent. & re judic. lib. 6.*

Clericus qui clandeſtinis matrimoniis præeſt vel intereſt, per triennium ſuſpendi debet, *cap. cum inhibitio, de clandeſt. deſponſ.*

Literas Capituli, qui corrupit, ab officio & beneficio ſuſpendi debet, *c. tam literis, de teſtibus*.

Sacerdos concubinarius, cum in judicio per ſententiam vel propriam confeſſionem condemnatur, ſuſpenditur, *c. 6. de cohabit. Cleric.*

Suſpenſus celebrans eſt deponendus, *c. veritatis, de dol. & contum.*

Epiſcopus, Clericum alterius diœceſis ordinans ſine literis dimiſſoriis, per annum ſuſpenditur, *c. nullus, de tempor. ordin. in 6.* & Clerici Epiſcoporum ſic ſuſpenſorum, poſſunt ſine licentia eorum a vicinis Epiſcopis canonice ordinari, *ibid.*

Prælati qui Eccleſias, vel bona immobilia Eccleſiarum, dominio Laicorum ſubjiciunt, eos inſtituendo vel advocatos vel patronos, per triennium ſuſpenduntur; Laici vero, qui ad hoc Prælatos aliaſve perſonas per vim compulerunt, cujuſcunque conditionis ſint, excommunicationem incurrunt, & nihilominus ipſum factum ipſo jure nullum eſt. *Gregorius in capit. ex conſultiſſimo, de rebus Eccleſ. non alien. lib. 6.*

in SUSPICIONEM fidelis homo facile venire non debet, *11. q. 3 c. abſit.*

Suſpecto non debet cauſa committi, nec committit Papa ex certa ſcientia, *cap. cauſam, de offic. deleg. & c. cum inter priorem, de except.*

Propter ſuſpicionem, etiam injuſtam, poteſt dominus mandatum revocare, *cap. ex parte, de reſcript.*

Ex ſuſpicione poteſt uxor accuſari de adulterio, *cap. maritus, de adult.*

Suſpi-

UNED

Suſpicionis cauſa non coram ſuſpecto Judice, ſed coram arbitris eſt probanda, *capit. ſecundo requiris, de appell.*

Suſpecti Judicis cauſa coram quo probanda ſit, *vide in c. ſuſpicionis, de offic. deleg.*

Suſpicio ſola licet vehemens non condemnat, c. *literas, de præſumpt.*

de SYMBOLO prædicando, *de conſ. diſt. 4. c. ſymbolum.*

## T.

TABELLIONATUS officio uti non debent Clerici in ſacris ordinibus conſtituti, c. *ſicut, ne Cleric. vel Monach.*

Tabellionatus officium *vide in cap. quemadmodum contra falſam, de probat.*

TACITURNITAS bona & mala, 43. *diſt. c. in mandatis.*

TEMPORE prior eſt jure potior, c. *quia diverſitatem, de conceſſ. præbend.*

Temporis curſus crimen probat, nec currit tempus, niſi a tempore notitiæ, c. *excommunicamus, 1. de hæretic.*

TENTATIO multiplex: Dei, hominis & Diaboli, *de pœnit. diſt. 2. §. opponitur. & §. econtrario.*

TERGIVERSATIO eſt deceptio, & ſine tergiverſatione notorium dicitur, quod nulla arte celari poteſt, c. *cum in partibus, de verbor. ſignific.*

TESTAMENTUM unde dictum, definitur, 13. *q. 2. c. placuit. §. vel ut quidam, verſic. unde & teſtam.*

Teſtamentum pupillare paterni teſtamenti pars eſt, c. *1. §. fin. in fine, de teſtamentis, in 6.*

Teſtatoris privata diſpoſitio, generalem canonis conſtitutionem non mutare poteſt, *cap. requiſiviſti, de teſtament.*

Teſtamentum multis modis dicitur, *cap. cum Martha, de celebrat. Miſſ.*

Teſtamentum morte confirmatur, *ibid.*

Relictum teſtamento Epiſcopo, præſumitur intuitu Eccleſiæ relictum, niſi a propinquo, aut ſpeciatim intuitu perſonæ datum ſit, c. *requiſiviſti, de teſtam.*

In teſtamenti diſpoſitione & executione conſuetudo terrarum eſt obſervanda, *capit. Raynutius, de teſtament.*

Teſtator poteſt ſolutioni legatorum pœnam imponere, *ibid.*

Teſtamento legata ab hæredibus ſunt præſtanda, niſi ſit alius executor, *ibid.*

Teſtamentum legitimum impediens, excommunicandus eſt, *cap. ſi hæredes, eod. tit & c. penult. eod.*

Teſtatoris vota obſervanda, ubi nec fraus, nec dolus intervenit, *cap. requiſiviſti, eod. tit.*

De indiſtincte Eccleſiæ relictis Epiſcopus canonicam portionem ſumere debet, *ibid.* quæ vero ſit ea canonica portio, *vide in cap. ex parte, 3. de verb. ſign.*

Teſtamentum in fraudem Eccleſiæ non valet, *cap. de his, de teſtament.*

Compellendi ſunt per Epiſcopos executores, ut voluntatem teſtatoris exequantur, & ſi noluerint, vel negligentes in executione ſint, Epiſcopus ipſe exequatur, *cap. tua nobis. & cap. Joannes, de teſtament.*

Qui extremam voluntatem in alterius diſpoſitionem committit, non videtur decedere inteſtatus, *cap. cum ſibi, de teſtam.*

Abbatiſſa teſtamentum de rebus Eccleſiæ concedere non poteſt, *cap. 2. de reb. Eccleſ. non alien.*

Alienatus mente teſtamentum concedere non poteſt, *cap. ult. de ſucceſſ. ab inteſt.*

Teſtari non poteſt Clericus de bonis mobilibus vel immobilibus Eccleſiæ, ſed eleemoſynas mediocres dare ei permittitur: de propriis vero libere teſtatur, *cap. relatum, de teſtament.*

Teſtamentum duorum vel trium teſtimonio probatur, *ibid.*

In teſtamenti cauſa non ſecundum leges, ſed ſecundum canones eſt judicandum, *cap. relatum, de teſtam.*

TESTAMENTI Veteris & Novi differentia, 31. *qu. 1. cap. ſi quis fuerit. §. ſed in veteri.*

TESTIS, *cap. forus, 10. §. teſtes, de verbor. ſignif.*

Teſtes ad teſtimonium ferendum cogi poſſunt, *t. t. de teſtibus cogend.*

Ad probationem tamen criminis nemo invitus cogitur, *cap. delictorum, eod. tit.*

Teſtis ex intervallo dictum mutare non poteſt, *cap. per tuas, de probat.*

Poſt teſtium renunciationem, & publicationem teſtimoniorum peremptoria exceptio probari & opponi poteſt, *cap. ſeries, de teſtibus.*

Formam juramenti quod teſtes præſtare debent, *vide in cap. quoties, de teſtibus.*

Teſtes poſſunt ſuper novis articulis produci atteſtationibus licet publicatis, *cap. fraternitatis, eod. tit.*

Teſtis ſemel in cauſa jurare debet, *cap. præterea, de teſtib. cogend.*

Teſtes idonei iterum recipi poſſunt, *cap. præſentata, eod. tit.*

Teſti non creditur niſi jurato, *cap. nuper nobis, eod. tit.*

Teſtes etiam abſente Judice ſumuntur, *cap. ſignificavit, de offic. jud. ordin.*

Teſtium receptio in cauſa matrimoniali, & ante & poſt litem conteſtatam valet, *cap. accedens, 2. ut lit. non conteſtat.*

Tertia teſtium productio concedenda eſt, ſed quarta non facile admittenda, niſi cum juris ſolennitate, *cap. in cauſis, de teſtibus.*

Teſtem impediens ne teſtimonium dicat, excommunicetur, *cap. conſtitutus, eod. tit.*

Teſtes producuntur extra judicium quandoque ad perpetuam rei memoriam, *cap. Albericus, de teſtib.*

Teſtes examinari & audiri poſſunt in alia provincia, quam ubi litigatur, & per alios quam per Judices ipſos, *cap. cum olim, eod. tit.*

Teſtium reprobatio mutua, tertiam iterationem non excedat, *cap. licet, 3. eod. tit.*

Teſtium productio quarta quando peti, & quando concedi poſſit, *vide in cap. penult. eod. tit.*

Teſtium juramentum poteſt a partibus remitti, *cap. tuis quæſtionibus, eod. tit.*

Teſtium dicta diſcordantia Judex, quatenus fieri poteſt, concordare debet, eorumque dicta in benigniorem partem interpretari, *cap. cum tu, de teſtibus.*

Teſtes iterato examinare poteſt Judex ex officio, *cap. cum clamor, eod. tit.*

Teſtes nomine inſtrumentorum continentur, *cap. cum Joannes, de fid. inſtrum.*

Secundum teſtium dicta judicandum eſt, *cap. tertio loco, de probat.*

Teſtes partibus præſentibus producantur, niſi alterutra pars contumaciter abſit, c. *in nomine, eod. tit.*

### *Qui & quales ad teſtimonium dicendum admitti debeant, quidque in iis obſervandum.*

Teſtes qui dicantur idonei, *vide in cap. forus, de verbor. ſignif.*

In teſtibus quæ ſint circumſtantiæ inquirendæ, *vide in cap. cum cauſam, de teſtibus,*

Teſtes ſuper poſitionibus ſunt diligenter examinandi, *cap. 1. de teſtibus, in 6.*

In cauſa denuntiationis vel correctionis, principalis perſona teſtis legitimi loco habetur, *cap. in omni negotio, de teſtibus.*



UNED

Teſtes debent infamia, ſuſpicione, & omni denique macula carere, *cap. 1. de except.*

Conſanguinei teſtes requiruntur ad probationem conſanguinitatis, hique aliis omnibus præferuntur, *cap. quoties, de teſtib.*

Teſtis non poteſt eſſe actor & procurator in eadem cauſa, *cap. inſuper, eod. tit.*

Teſtium non multitudo, ſed qualitas conſideranda, & teſtium auctoritas multitudini præfertur, *ibid.*

Teſtium numerus, ubi non exigitur certus, duo vel tres ſufficiunt, *c. licet univerſis, de teſtibus.* & teſtibus ejuſdem honeſtatis exiſtentibus, prævalet numerus, *ibid.*

Teſtium juratorum tantum valet teſtimonium, *cap. præterea, de teſtib.*

Teſtes qui perjurii ſuſpecti ſunt, non audiri debent, *cap. in literis, de teſtibus.*

Teſtis unus ad condemnationem ſolus non ſufficit, *c. conveniens, eod. tit.*

Teſtes miraculorum, qualiter examinandi, *cap. venerabili, eod. tit.*

Teſtes jejuni deponere debent, *c. 1. de teſtib.*

Teſtis poteſt eſſe Clericus in cauſa Eccleſiaſtica, & religioſus in cauſa Eccleſiæ ſuæ, *cap. cum unicus, eod. tit.*

Teſtes plures quam mater & filia requiruntur ad matrimonii probationem, *c. ſuper eo, eod. tit.*

Teſtis poteſt eſſe Judex delegatus in cauſa ſibi commiſſa, dummodo officium judicandi deponat, *c. dilecto filio,*

Teſtis minus legitimus in odioſa exceptione admittitur, *c. tam literis, eod. tit.*

Teſtes admitti poſſunt in cauſa matrimoniali ſuper uno articulo, teſtationibus publicatis, *cap. ex tenore, eod. tit.*

Teſtis idoneus non dicitur, cui criminalis objectio fieri poteſt, *c. 2. eod. tit.*

Religioſus in Eccleſiæ ſuæ cauſa teſtis eſſe poteſt, modo patronus ejus non ſit, *c. inſuper, de teſtib.*

## *Quibus de cauſis teſtes reprobentur.*

Teſtes quibus de cauſis reprobentur, *vide in cap. ſi quis teſtium. & cap. ex parte, de teſtib.*

Teſtis in uno judicio receptus, non facit fidem in alio, niſi inter eaſdem perſonas, *cap. conſtitutus, de teſtibus.*

Teſtis ſibi contradicens reprobatur, *c. licet, de probat.*

Teſtes in probatione ſingulares reprobantur, *c. cum dilectis, de elect.*

Teſtes familiares ad matrimonii diruptionem non admittuntur, *c. in literis, de teſtib. & atteſt.*

Teſtis in mea cauſa eſſe non poteſt is, cujus teſtimonium in alia cauſa reprobavi, *c. inſuper, de teſtib.*

Teſtes quibus crimen objicitur, a teſtimonii dictione removentur, *cap. ſuper eo, de teſtib.*

Teſtis cui in modum exceptionis crimen objicitur, aliqua pœna affici non debet, ſed tantum a teſtimonio repelli, *cap. 1. de except.*

Teſtis varians & vacillans repellitur, *cap. cum Eccleſias de cauſ. poſſeſſ. & propriet.*

Qui contra teſtes aliquid opponit, publicatis atteſtationibus, de malitia jurare debet, *c. præſentium, de teſt.*

Teſtis eſſe non poteſt quis criminis, ejuſdem criminis accuſatus, *cap. veniens, eod. tit.*

Teſtimonium de auditu in cauſa matrimonii non valet, *cap. licet ex quadam, eod. tit.*

Judæus in cauſa Chriſtiani teſtis eſſe non poteſt, non econtra, *cap. Judæi, de teſtibus.*

Teſtes qui teſtificanda didicerunt, reprobantur, niſi in cauſa matrimoniali, *c. conſtitutis. & c. cum in tua, eod tit.*

Laicus in criminali cauſa contra Clericum teſtimonium perhibere non poteſt, accuſat tamen pro ſua vel ſuorum injuria, *c. de cætero, de teſtibus.*

Socius criminis, in criminali cauſa non admittitur tanquam teſtis, *cap. ſicut nobis, eod. tit.*

Si crimen teſtibus objiciatur, & Judex nihilominus ſecundum eorum dicta ſententiam ferat, revocanda ſententia, *cap. ex parte A. eod. tit.*

In cauſa teſtis is idoneus non eſt, qui conſimilem cauſam habet, *cap. perſonas, eod. tit.*

Conſpiratores eſt teſtimonium dicendum non admittuntur, *cap. cum I. & A. de ſentent. & capit. ſuborta. & cap. per tuas, 2. de ſimon.*

Teſtimonio unius prævalet fama, *cap. ſuper eo, de conſang. & affin.*

Ad teſtimonium dicendum non admittuntur inimici capitales, *c. licet Hely, de ſim.*

de THEOLOGIÆ ſtudioſis ad ſcholas tranſmittendis, *cap. ult. de magiſtris.*

THESAURARII officium, *diſt. 25. cap. 1. §. ad theſaurarium.*

TIMOR DEI, *11. quæſt. 3. capit. qui omnipotentem.*

TONSURAM primam poteſt Abbas dare Monacho ſuo, *cap. cum contingat, de ætat. & qualit.*

Tonſuram geſtare non tenetur Clericus uxoratus, *c. Joannes, de Cleric. conjug.*

Tonſura non privilegiat uxoratos, *c. cum decorem, eod. tit*

de Torneamentis non exercendis, *c. 1. in princ. de torneamentis.*

Mutatur ac tollitur hoc *Extrav. Joann. XXII. unica, eod. tit.*

in TOTO & pars continetur, & in eo quod plus eſt, continetur minus, *c. plus ſemper, 35. & c. in toto, 8. de de reg. jur. in 6.*

TRADITIO Rei præſumitur ex ſolutione penſionis, *c. cum veniſſet, 9. de reſtitut. ſpoliat.*

TRANSACTIO non minorem auctoritatem, quam res judicata obtinet, omnemque diſputationem cauſæ principalis tollit exceptionis ope, *c. 1. de tranſactionibus* Niſi de beneficio Eccleſiaſtico accepta pecunia ſit tranſactum, *c. cum pridem, 4. de pact.* item niſi de cauſa matrimoniali ſit tranſactum, *c. ult. verſic. exceptis nimirum, de tranſactionib.* alias non reſcinditur, etiamſi tranſigentem ſtatim pœnituerit, *c. quod ſemel, 21. de reg. jur. in 6.* quod ſi adverſa quoque pars fidem tranſactioni non præſtet, & altera eam ſervat, non tenetur, *c. fruſtra, 75. de reg. jur. in 6.*

Tranſactio dicitur amicabilis compoſitio, *c. ex literis. & c. ſeq. de tranſact.*

Tranſactio in matrimoniali cauſa locum non habet, *c. ex parte, eod. tit.*

Tranſactio ſuper ſubjectione ſpirituali non valent, niſi in beneficiis Eccleſiaſticis, *c. præterea. & cap. ſuper eo, eod. tit.*

Tranſactio in ſpiritualibus, quæ fit mediante pecunia, non valet, ſed ea per compoſitionem amicam ſecundum jus fieri debet, *c. conſtitutus. cap. præterea. & cap. de cætero, eod. tit.*

Tranſactio in decimis locum non habet, *cap. veniens eod. tit.*

Tranſactio quæ juri non eſt contraria, ab Epiſcopo rata habetur, *c. de cætero, eod. tit.*

Tranſactione facta, omnia priora inſtrumenta caſſantur, & prævalet inſtrumentum tranſactionis, *cap. 1. eod. tit.*

Tranſactio fieri non debet ſuper Eccleſiaſtico beneficio: quia ſpeciem continet ſimoniæ talis tranſactio, *c. conſtitutus, de tranſact.*

Tranſactio ſuper decimis inter perſonas Eccleſiaſticas valet, ſi fiat auctoritate diœceſani, *c. ſtatuimus, eod. tit.*

Tranſigere non poteſt Prælatus ſine literis Capituli, *c. contingit, eod. tit.*

Per tranſactionem non poteſt nova penſio Eccleſiæ imponi per partium pactionem, ſine vitio ſimoniæ, *c. præterea. & c. 1. de tranſact.*

Treu-

TREUGÆ quando ſervandæ, & circa quas perſonas: item ipſas frangentium pœna, *cap. 1. de treug.*
TRIBUTUM etiam licite ab Eccleſia datur, ſed intuitu pacis, *23. q. 1. c. quid.*
TUTELA Triplex, *16. q. 1. c. generaliter.*
A tutela & cura excuſantur Clerici & Monachi, *diſt. 88. cap. ult. 16. quaſt. 1. c. generaliter, 21. qu. 3. c. Cyprian.*
Pubertate pupilli finitur tutela. Cui tamen contradicit, *c. puberes, de deſponſat. impub.*
Tutor tenetur defendere pupillum, & judicium nomine ejus ſuſcipere, *12. q. 1. c. 1.* Niſi tutor eſſe deſierit, *c. ex parte, 67. de appellat.*
VACANTE ſede ſtatus ejus mutari non debet, *c. 1. ne ſede vac.*
Vacante imperio, ejus vicem ſupplet Eccleſia, & ad eam appellari poteſt, *cap. licet, de for. compet.*
Vacantium Eccleſiarum cuſtodia ad Archidiaconum ſpectat, *cap. ut Archidiaconus, de offic. Archidiac.*
Vacare non debet Eccleſia regularis vel cathedralis ultra tres menſes, *cap. ne pro defectu, de elect.*
Non vacans præbenda nemini promitti debet, *c. relatum, de conceſſ. prabend.*
Vacante ſede, nulla præſcriptio currit, *c. illa, ne ſede vac.*
Vacante ſede, atteſtationes contra ſedis ſtatum receptæ non valent, *c. fin. eod. tit.*
Vacante beneficio ultra id tempus, quo conferendi poteſtas ad Epiſcopum devolvitur, Papa conferendi illud jus habet, vel legatus ejus, *cap. 2. de conceſſ prabend.*
Vacantem Epiſcopatum conferre non poteſt Archiepiſcopus, ſed quidem minora beneficia, *cap. dilectus filius, eod. tit.*
Vacante ſede, poteſt Capitulum ſupplere vices Epiſcopi, in quibus Epiſcopo non præjudicatur, *c. his quæ. & c. cum olim, de major. & obed.*
Vacante ſede Metropolitana, poteſt Capitulum ſuffraganeum confirmare, *ibid.*
VANITATEM & ſenſus obſcuritatem inducit omnis ſcientia, quæ ad tropologiam non confertur, *37. diſt. c. nonne.*
VASALLUS vaſalli coram vaſallo conveniendus eſt, & non coram domino principali, *c. ex tranſmiſſa, de for. comp.*
Vaſallus feudum ſine conſenſu domini alienare non poteſt, *c. qua in Eccleſiarum, de conſtit.*
VATES, *diſtinctione vigeſima prima, capit. Cleros. §. vates.*
VECTIGAL novum non poteſt Epiſcopus imponere monaſterio, *c. ſcientes, 3. & c. innovamus, 10. de cenſibus.*
VELUM de manu Sacerdotis dari poteſt, *cap. conſuluit, qui Cleric. vel vov. contr. poſſ.*
VENATIO quæ Clericis permiſſa, *76. diſtinct. capitul. Eſau. de conſecrat. diſtinct. 5. c. nunquam.*
VENDENDI carius emendique ſtudium, maxime Clericis prohibetur, *14. q. 4. c. canonum.*
Si Venditor deceptus ſit ultra dimidium juſti pretii, valet quidem venditio, ſed venditori datur actio, ut reſtituto pretio rem recipiat, *cap. cum dilecti, 3. & cap. cum cauſa, 6. de emptione & venditione.* Niſi emptor offerat quod juſto pretio deeſt, *dict. cap. 3. & dict. cap. 6. & d. diſt. 1. repl. 1.*
Venditor cogi poteſt, ne carius vendat merces ſuas tranſeuntibus, quam in mercato vendere poſſit, *cap. 1. de emptione & venditione.*
Venditor vitium rei in vendendo indicare tenetur: alias empti actione vel redhibitoria tenetur. Niſi emptor vitium ſcivis, *cap. cum qui certus, 31. de regulis, juris, in 6.*
Re Vendita evicta, emptor regreſſum habet adverſus venditorem, de præſtanda evictione, quod fallit, ſi emptor conventus non denuntiavit venditori, ut defenſioni rei adeſſet, *cap. ult. in princ. de empt. & vend.* item fallit ſi emptor contumaciter ab fuit tempore ſententiæ latæ, *dict. c. ult. verſ. vel contumaciter.* Tertio ſi per injuriam Judicis emptor victus ſit, *d. c. ult. verſ. ſeu per injuriam.*
Venditio celebrata intelligitur, ſi pretium receptum ſit, vel fides de eo habita, licet res nondum ſit tradita, *c. in tantum, de ſimon.*
Tranſeuntibus nil carius vendendum quam incolis, *cap. 2. de empt. & vend.*
Vendita re minus dimidio pretio, in optione emptoris eſt, venditionem reſcindere, vel pretium juſtum ſupplere, *c. cum dilecti, eod. tit. & c. cum cauſa, eod. tit.*
Vendita res Eccleſiaſtica revocari debet, *c. ad noſtram, de reb. Eccleſ. non alien.*
Venditor tribus caſibus emptori non tenetur de evictione, *c. ſi venditori, de empt. & vendit.*
Vendi vel venales exponi non debent reliquiæ ſanctorum, *c. 1. de reliquiis.*
VENIÆ facilitas incentivum præſtat delinquendi, *23. quaſt. 4. cap. eſt injuſta, in fin. & cap. ſi ea, cum ſeq. 36. quaſt. 9. cap. loci. 86 diſt. c. inferiorum.*
VERBA cum effectu ſunt accipienda, *c. relatum, de Cler. non reſid.* & ex intentione proferentis ſunt intelligenda, *c. ſecundo requiris, de appell.*
VERITAS non eſt omittenda propter ſcandalum evitandum, *c. qui ſcandalizaverit, 3. de reg. jur.*
a VERITATE Dei exit, qui a fide & charitate abit, *25 q. 3. c. cum aliquis.*
VESTIS quæ non propter neceſſitatem, ſed propter venuſtatem accipitur, elationis habet calumniam, *21. q. 4. c. 1.*
VIDUA, *diſtinct. 34. cap. vidua. cap. presbyteri. §. vidua.*
de VI publica & privata accuſari poteſt, ſi quis alicui vim fecerit: hoc judicio accuſari poteſt; quod fallit ſi magiſtratus alicui vim fecerit, *23. qu. 5. c. non eſt. c. qui malos. & cap. Judex.* item ſi juſſu Magiſtratus vim fecerit, *23. quaſt. 4. c. duo iſta. §. fin. cap. cum ſequente.*
Vim faciens ab ejus loci magiſtratu puniendus eſt, in quo crimen commiſit, *c. 1. de raptoribus.*
Ex vi facta in litem juratur taxatione a Judice facta, *cap. ultim. de his quæ vi metuſve.*
Vim inferentis pœna Eccleſiaſtica, excommunicatio, *dict. cap. 1. & c. excommunicationi, 5. eod. tit. item 23. q 8. cap. ſi quis membrorum. & capit. peſſimam.* De pœna hujus criminis Lombardica & ſeculari, *12. quaſt. 2. cap. cum devotiſſimam. cap. ſi ſeculi.*
VICARII officium, *vide in cap. ad audientiam, de offic. vicar.*
Vicarius a paſtore ſecundo removeri non poteſt, *c. ad hæc, ſi perſona, eod. tit.*
Vicarius non poteſt ſibi ipſi conſtituere vicarium, *cap. Clericos, eod. tit.*
Vicarii reſidere debent, & Sacerdotes eſſe, *c. ex parte, eod. tit.*
Vicarius Papæ non habet poteſtatem extra urbem, *c. tua, eod. tit.*
Vicarius Papæ obediat, vel privetur beneficio, *c. illud, de exceſſ. Prælat.*
Vicarius Epiſcopi quam poteſtatem habeat, *vide in cap. petitio, de procur.*
Vicarius animarum curam in Eccleſia recipiens, vicariatus officio renunciaſſe videtur, *c. 1. de offic. vicar.*
Vicarium ſucceſſor removere non poteſt, nec ejus reditus minuere, *c. ad hæc, eod. tit.*
Vicarius Papæ plus juris non habet, quam ſibi committitur, *c. ſua nobis, eod. tit.*
Vicarius Prælati excommunicati, non eſt propterea excommunicatus, *cap. inter, de ſent. excommun.*
Vicariatus plures quis habere non poteſt, *c. provideas, de offic. vicar.*
VITIATUS enormiter ad ordinem promoveri non poteſt; & qui Presbyter fieri non poteſt, in Præ-

latum

latum vel Epiſcopum multo minus eligi poteſt, c. 1. & c. *expoſuiſti.* & c. *cum de tua*, *de corpor. vitiat.*

VIDUAS tenetur Eccleſia defendere, c. *ex parte*, *de for. compet.*

VIRI verbo ſtandum eſt, dicentis ſe uxorem cognoviſſe, licet illa neget, c. *cum continebatur*, *de deſponſ. impub.*

VISITARE non debeat Epiſcopi, Prædicatores & Minores, c. *nimis iniqua*, *de exceſſ. Prælat.*

Viſitare poteſt Archiepiſcopus ordinario jure provinciam ſuam, & procurationem petere, c. *Romana*, *de cenſib. in 6.*

UNCTIONEM ſacram ſolus Sacerdos conferre poteſt, c. *quæſivit*, *de verb. ſignif.*

De unctione ſacra, ejus effectu & ſpeciebus, *vide* c. 1. *de ſacr. unct.*

UNIRI poteſt unum monaſterium alteri, c. 2. *de relig. dom.*

UNITAS fidei ubi eſt, ibi nihil contrarium infert diverſitas, 7. *q.* 1. c. *nihil*.

UNIVERSITATI debitum, non debetur ſingulis ex univerſitate, c. *cum Clerici*, 19. *de verb. ſignif.*

VOLUNTAS, 15. *quæſt.* 1. *in princ.* §. *eſt autem voluntas.*

VOTUM non infringitur, cum in melius mutatur, c. *pervenit*, *de jurejur.*

Vovens ex timore non obligatur, c. *veniens*, *qui Cl. vel vov.*

In voto tria attendenda, *capit. magna devotionis*, *de vot.*

Votum dementis non obligat, c. *ſicut tenor*, *de regul.*

In redemptione voti peregrinationis attendenda eſt perſona & locus, c. *quod ſuper his*, *eod. tit.*

Epiſcopi votum peregrinationis exequi non poſſunt, ſine licentia Papæ, c. *magna*, *de vot.*

In voto peregrinationis diſpenſare poteſt Epiſcopus, excepto voto tranſmarino. *capit.* 1. & *cap. non eſt*, *de vot.*

Votum caſtitatis uxor, marito invito, facere non poteſt, c. *cariſſimus*, *de converſ. conjug.*

Votum in pueritia factum non obligat, c. *venientis*, *de vot.*

Vovens temporale, abſolvitur per præſtationem ſpiritualis, c. *ſcriptura*, *eod. tit.*

Epiſcopus ſine conſenſu Capituli, nec Capitulum ſine conſenſu Epiſcopi votum facere poteſt, c. *magna devotionis*, *eod. tit.*

Votum religionis vovens, & tempus ſtatutum non obſervans, tranſgreſſor, nec Epiſcopus fieri poteſt, c. *per tuas*, *eod. tit.*

Votum ſimplex, matrimonium contrahendum impedit, ſed contractum non dirimit, c. *meminimus*, *qui Cleric. vel vov.*

Votum tranſmarinum poteſt vovere vir, etiam uxore invita, c. *ex multa*, *de vot.*

Votum defuncti poteſt ſuperſtes implere, c. *licet*, *de vot. & red.*

Prælatus poteſt votum ultramarinum emittere & vigeſimam proventuum Eccleſiæ expendere, c. *final. eod. tit.*

Votum religionis vovens, ad illius præſtationem compellendus eſt, c. *porrectum*, *de regul.*

In voti præjudicium non ſtatur juramento, c. *vidua*, *de regul.*

Votum peregrinationis poteſt quis per alium exequi, c. *licet*, *de vot. & vot. redempt.*

Voti reus non habetur, qui ægrotus jejunium frangit, c. *quod non eſt*, *de regul. juris.*

Votum religionis non valet, invito alterutro conjuge, c. *quidam intra*, *de converſ. conjug.*

Votum conjugatorum religionem intrantium coram Epiſcopo fieri debet, alias non valet, c. 1. *eod. tit.*

USURÆ debentur ex mora, quod fallit ſi non reus, ſed alius moram fecerit: nam reo alterius mora non nocet, c. *mora*, 29. *de reg. jur. in 6.* item fallit ſi reus interpellatus exceptione ſe tueri potuit, c. *non eſt*, 60. *eod. tit.*



Uſurarii utriuſque teſtamenti pagina damnantur, c. *quia in omnibus*, 3. *verſ. & qualiter.* c. *ſuper eo*, 4. *in pr. de uſuris.* quia omnis negotiatio eſt prohibita, *cap. ejiciens*, *in pr. diſt.* 88.

Objectio ponitur & ſolvitur, *dict.* c. *ejiciens.* §. *dicit aliquis.*

Uſurarius raptori æquiparatur, 14. *q.* 4. c. *ſi quis uſuram.* c. *quid dicam.* c. *ult. verſ. ſine ferro.*

## *Uſurarius ex quibus cauſis quis accuſari poſſit vel non.*

Si Uſuras quis exerceat, c. 1. *in pr. de uſuris*, *in 6.* c. 2. *de vita & honeſtate Clrr.*

Si quis Annonam vel Vinum emat, ut pluris vendat, 14. *qu.* 4. *c. quicunque.* Niſi cum tempus traditionis rei emptæ eſſet dilatum, veriſimiliter dubitetur, utrum plus vel minus tempore traditionis res ſit valitura, *dict.* c. *ult.* §. *ille quoque.* Si fructus pignoris creditor pro pecunia tradita loco uſurarum percipiat, c. 1. *de uſuris.* quod fallit ſi beneficium Eccleſiaſticum hoc modo a Laico redimatur, *d.* c. 1. *verſ. niſi forte Eccleſia beneficium.* item ſi Dominus a vaſallo feudum pignori acceperit, remiſſis ei ſervitiis, c. 1. *feudis.* c. *conqueſtus*, 8. *in fine*, *de uſuris.* Tertio ſi pro dote maritus pignus accepit, c. *ſalubriter*, 16. *dict. tit.*

Si quis plus juſto pretio rem ſuam vendiderit ob dilatam pretii ſolutionem, *dict.* c. 10 *verſ. & an negotiator pœna conſimili. item* c. *in civitate*, 6. *eod. tit.* Niſi alias non erat rem diſtracturus, c. *ult.* §. *fin. de uſur.*

Si Parabolam juramenti non aliter concedit, quam emolumentum aliquod inde percipiat, c. 10. *verſic. & utrum eodem reatu*, *de uſuris.*

Si quid ultra Sortem recipiatur, c. *conſuluit*, 10. *de uſuris.* 14. *q.* 3. *in princ. cum ſequent. q.* 4. c. *ſi quis Clericus*, *in fin.* & c. *nullus.*

Uſurarius Clericus deponitur, c. 1. §. *quod ſi poſt.* & c. *præterea*, 7. *de uſuris.* 14. *qu.* 4. c. 1. *ſi quis oblitus.* c. *quoniam.*

Uſurarius Teſtamentum facere prohibetur, c. *quanquam*, 2. §. *final. de uſuris*, *in 6.*

Ut uſurarii peregrini expellantur, nec domus illis locetur, c. 1 §. *quia*, *de uſuris*, *in 6.*

De hæredibus uſurarii defuncti, c. *tua nos*, 9. *de uſuris.*

Uſurarii ad uſuras reſtituendas compelli debent, c. *cum tu*, *de uſuris.* etiamſi debitor creditori juraverit, ſe non petiturum, c. *ad noſtram*, *de jurejur.*

Uſurarius contractus quando æſtimetur, *vide in* c. *in civitate.* & c. *conqueſtus*, *de uſur.*

Contra uſuras conſtitutio facta ad præterita trahitur, & ultra ſortem nil peti poteſt, c. *cum tu.* & c. *navigandi*, *de uſuris.*

Uſurariorum pœna habetur, *in* c. *quia in omnibus*, *eod. tit.*

Appellanti uſurario deferendum non eſt, c. *quam perniciosum*, *eod. tit.*

In uſuræ crimine non poteſt diſpenſari, c. *ſuper eo*, *eod. tit*

Contra uſurarium poteſt hæres, ſicut & dominus, agere, c. *illo vos*, *de pignor.*

Uſura non eſt, beneficium Eccleſiaſticum pecunia redimere, c. 1. *de uſur.*

Uſura eſt, rerum hypothecatarum fructus in ſortem non computare, c. *quoniam*, *eod. tit.*

Uſuras reſtituere compelluntur etiam Judæi, c. *quanto amplius*, *eod. tit.*

Contra uſurarium poteſt procedi, deficiente accuſatione, ex ſola fama, c. *cum in diœceſi*, *eod. tit.*

Uſurariis publicis nemo domos locet, c. 1. *de uſuris*, *in 6.*

Uſurarius publicus, quomodocunque pœniteat, ſepeliri non debet, ſi quatenus poterit, præſentibus non ſtatim

tim

UNED

tim uſuras reſtituat, pro abſentibus vero aliqui fide digni ejus parochiæ, ordinario vel ejus vicario ſic obligentur, ut illis actio acquiratur ſuper reſtitutione facienda, c. *quanquam*, *eod. tit.*

Nec religioſi ejuſmodi uſurariorum teſtamentis intereſſe, vel eorum confeſſionem audire, nec abſolvere debent, niſi ſatisfaciant quatenus poterunt pro modo facultatum, c. *ult. eod. tit.*

USUS non debent tolli per abuſum, 14. *qu.* 5. c. *neque enim.*

Qui non utitur partis, aut male utitur, alienum poſſidere videtur, 14. q. 4. c. *quid dicam.* §. *hac utique.*

USUCAPIONE quoque rerum dominia acquiruntur, 16. q. 2. c. *placuit.* §. *poteſt.*

## *Qui uſucapere non poſſint.*

Qui ſciens rem alienam poſſederit, rem non uſucapit, 34. *qu.* 1. c. *ſi virgo. verſ. in jure.* & c. *ultim. de præſcr.* etiamſi triginta annorum præſcriptio objiciatur, c. *viginti*, 5. c. *ſi diligenti*, 17. §. *ſi vero dicatur.* & c. *ult. de præſcriptionibus.* c. *poſſeſſor*, 2 *de reg. jur. in* 6.

Qui non ſuo, ſed alieno nomine poſſederit, c. *ſi diligenti*, 17. *in pr. de præſcriptionibus.*

Si poſſeſſor medio tempore vel poſt impletam uſucapionem privilegium contrarium uſucapioni petierit, c. *veniens*, 19. *de præſcr.*

Si is qui rem uſucepit, poſtea eam rem poſſidere deſierit, ſi mala fide qui præſcripſit, poſſederit, *d.* c. *placuit ut.* §. *quod ſi mala. verſ. ſi vero aliquo.*

## *Quæ Uſucapere non liceat.*

Res Eccleſiæ uſucapi non poteſt, 16. *qu.* 3. c. *licet.* c. *placuit ut.* §. *poteſt etiam.*

Res Fiſci vel Imperatoris uſucapi nequit, 16. q. 3 c. *penult.* §. *univerſas.* in rebus non poſſeſſis non procedit uſucapio, c. *cum olim*, 18. *in fine*, *de præſcript.*

## *Quemadmodum Uſucapio impediatur.*

Si cauſa falſa vel nulla poſſeſſionis fuerit, c. 1. *de præſcript. in* 6. c. 2. *de reg. jur. in* 6. Niſi jus commune vel præſumptio ſit pro poſſidente, *d.* c. 1. *de præſcript. in* 6. item niſi tempus ſit triginta annorum quo poſſedit, vel immemoriale, *d.* c. 1. *in fin.* & *d.* c. *placuit ut.* §. *ſi autem nullo titulo.*

Sine poſſeſſione, c. *ſine poſſeſſione*, 3. *de præſcript. in* 6. veluti etiam, ſi non per legitimum tempus poſſederit, quod fallit ſi acceſſione utatur ſui auctoris, 16. *quæſt.* 3. c. *placuit ut.* §. *quod ſi ab eo.* Niſi ab eo cauſam poſſidendi non habeat poſſeſſio, vel ipſe mala fide poſſideat, *d.* c. *placuit ut.* §. *quod ſi mala. verſic. nec ſi proderit.*

Si poſſeſſio fuerit interrupta, & res medio tempore non poſſeſſa, non uſucapitur, *d.* c. *placuit ut.* § *hac de præſcript. decennii.* Niſi a tempore poſſeſſionis recuperatæ triginta anni exceſſerint, *d.* §. *hac de præſcr. verſ. quod ſi per.*

USUSFRUCTUS in iis rebus quæ uſu conſumuntur, conſtitui non poteſt, *extravag. Joan. XXII. ad conditorem*, 3. §. *quod autem quoad res*, *de verbor. ſignific.*

De cautione ab uſufructuario præſtanda, c. *ult. de pig.*

Uſusfructus eſt jus utendi fruendi rebus alienis ſalva earum ſubſtantia, c. *ult. de pign.*

Uſufructuarius cautionem dare tenetur de rebus immobilibus, quæ uſu non conſumuntur, c. *ult. eod. tit.* eamque dare debet ad arbitrium boni viri, primo de rebus honeſte fruendis, ſecundo etiam de eiſdem reſtituendis termino elapſo, *ibid.*

UTILE non debet per inutile vitiari, c. *utile*, 57. *de reg. jur. in* 6.

UXOR ex quibus cauſis non ſit admittenda, 22. *qu.* 5. c. *ſi uxorem.*

Uxoris & Viri paria Jura quoad caſtitatem, 14. q. 4. c. *nemo.* & c. *nec.*

Uxorem cognoſcens libidinis cauſa & immoderato affectu, peccat, 32. q. 4. c. *origo.* & c. *liberor.*

Uxorem in adulterio deprehenſam, an liceat occidere, 33. q. 2. c. *interfectores*, *cum ſequente.*

Uxores duas ſimul habens de facto, bigamus eſt, & infamis, c. *debitum*, *de bigam.*

Uxores plures ſemper fuit illicitum habere, c. *gaudemus*, *de divort.*

Uxor quæ credens virum mortuum religionem ingreſſa eſt, eo redeunte marito eſt reſtituenda, nec eo poſtmodum moriente, ad religionem cogenda eſt, c. *placet*, *de converſ. conjug.*

Vir uxori reſtitui debet, ſi illo religionem ingreſſo, illa non continet, c. *præterea*, *de converſ. conjug.*

Uxor dimitti non debet ſine judicio Eccleſiæ, c. *duo*, *de deſponſ. impub.*

Uxor vito ante deffinitivam ſententiam non eſt reſtituenda, ſi odium capitale timeatur, c. *ex transmiſſa*, *de reſt. ſpol.*

Uxoratus beneficio & officio privetur in minoribus ordinibus conſtitutus, c. *quod a te*, *de Cler. conjug.*

Uxor non debet privari dote propter maleficium viri, c. *ex literis*, *de pignor.*

Uxore ſene & caſtitatem vovente, poteſt vir cum ejus licentia religionem ingredi, illa in ſeculo remanente, c. *cum ſis*, *de converſ. conjug.* & c. *ſane*, *de Cler. conjug.*

Uxor reſtituenda eſt viro religionem egredienti, c. *accedens*, *de converſ. conjug.*

Uxorem fornicationis cauſa dimittens, aut contineat aut ei reconcilietur, c. *ex literis*, *de divort.*

Uxorem infidelem repudians, ſi convertitur, non ducat aliam illa vivente, c. *gaudemus*, *de divort.*

Uxor ante viri reditum alteri nubere non poteſt, niſi de viri morte conſtet, c. *in præſentia.* & c. *dominus*, *de ſponſal.*

Uxorem propter hæreſim relinquens eam cogitur recipere, ſi reſtitutionem petat, c. *quanto*, *de divort.*

Uxor petens reſtitutionem repellitur, ſi notorie fornicata eſt, & maritus continuit: quod ſi non continuit maritus, ſed cum alia adulterium commiſit, eam, quamvis fornicata ſit, recipere cogitur, c. *ſignificaſti*, *de divort.*

Uxor Eccleſiæ judicio a viro ſeparata religionem ingredi poteſt, c. *mulier*, *de converſ. conjug.*

Uxor vivente viro teſtari poteſt, c. *judicante*, *de teſt.*

Uxor in mortem viri machinata, ei poſtea nubere non poteſt, c. *ſi quæ*, *de divorſ.*

Vir religionem ingreſſus, non eſt uxori adulteræ reſtituendus, c. *veniens*, *de converſ. conjug.*

Uxore habitum religionis aſſumente, poteſt vir in Epiſcopum conſecrari, c. *ſane*, *de converſ. conjug.*

Uxoris votum non tenet, niſi vir ſimiliter voveat, c. *ſane*, *eod. tit.*

Sed vir uxore conſentiente votum religionis vovens ad ejus obſervationem tenetur, c. *ex parte*, & c. *chariſſimus*, *eod. tit.*

Uxoratus privilegiis Clericorum gaudere non debet, nec beneficium Eccleſiaſticum habere, c. *Joannes*, & c. *cum decorem*, *de converſ. conjug.*

Z.

ZELUS indiſcretus reprobatur, *qu.* 2. c. *non in perpetuum.*

ZONAS de auro vel argento non portent Clerici, c. *Cl. de vit. & honeſt. Cler.*

# FINIS LOCORUM COMMUNIUM.



UNED

# LIBER SEPTIMUS
# DECRETALIUM
## CONSTITUTIONUM
# APOSTOLICARUM,

ADJECTUS

*AD*

PLENAM ET PERFECTAM

# JURIS APOSTOLICI

COGNITIONEM.

UNED

## BENEVOLO LECTORI.

AMice Lector, quo magis Reipubl. literariæ & tibi conſultum foret, hunc SEPTIMUM DECRETALIUM CONSTITUTIONUM APOSTOLICARUM, poſt SEXTUM, CLEMENTINAS & EXTRAVAGANTES, hactenus editarum, & a doctiſſimo Viro D. *Petro Matthæi* JC. Lugdunenſi olim ita collectarum, & ſeparatim impreſſarum, ac Illuſtr. D. *Cardinali Cajetano* inſcriptarum, tot libris Canonicis, titulis & canonibus, accurata diſtinctione, reſpondentem, hic in calce Corporis Juris Canonici univerſi adjungere operæ precium eſſe duximus: quo nimirum nihil reſtaret, quod plenam & perfectam cognitionem hujus Apoſtolici juris impedire poſſet. Præſertim cum conſtet, iſtas Conſtitutiones a DD. modernis paſſim, ab Hiſtoricis quoque allegari. Adjunximus etiam quibuſdam in locis (ubi hoc neceſſarium videbatur) notas non inutiles. Tu igitur, Vir optime, noſtro labore, & bona intentione contentus, illo utere, fruere. Vale.

UNED

# INDEX
## TITULORUM
# SEPTIMI DECRETALIUM.

### LIBRI SEPTIMI DECRETALIUM PRIMI.

Tit. I.


DE ſumma Trinitate, & fide Catholica, 1
II. De reſcriptis & Mandatis Apoſtolicis, 5
III. De electione, & electi poteſtate, 10
IV. De Cardinalibus, 14
V. De ætate & qualitate ordinandorum, 20
VI. De filiis Presbyterorum, ibid.
VII. De bonis Eccleſiæ alienandis, vel non, 21
VIII. De officio Legati, 27
IX. De inſulis novi orbis, 28
X. De beneficiorum collatione & impetratione, 30
XI. De reſervationibus, 44
XII. De Penſionibus, 50
XIII. De unionibus beneficiorum, ibid.
XIV. De reſignationibus & permutationibus, 52
XV. De fructuum beneficii reſtitutione, 56


### LIBRI SEPTIMI DECRETALIUM SECUNDI.

Tit. I.


DE foro competente & juriſdictionis ordinariæ poteſtate, 57
II. De invaſoribus & occupatoribus bonorum Eccleſiæ, 61
III. De annatis, 72
IV. De jure patronatus. 80
V. De confeſſis, 82
VI. De dolo & contumacia, 83
VII. De ſequeſtris, 85
VIII. De interdicto, 87
IX. De appellationibus, 89
X. De dilationibus & ceſſionibus bonorum, 93
XI. De cambiis, 97
XII. De forma contrahendi cenſum, 98
XIII. De teſtamentis & ultimis voluntatibus, 99
XIV. De nautis & naufragium patientibus, 104


### LIBRI SEPTIMI DECRETALIUM TERTII.

Tit. I.


DE vita & honeſtate Clericorum, 105
II. De clericis non reſidentibus in Eccleſia vel præbenda, 108
III. De ſpoliis Clericorum, 115
IV. De Comitibus Palatinis, 121
V. De Magiſtris & Doctoribus, 122
VI. De Medicis, 124
VII. De Conciliis, 126
VIII. De celebratione Miſſarum, & ſacramento Euchariſtiæ, & divinis officiis, 135
IX. De reliquiis & veneratione ſanctorum, 135
X. De juramentis & jurisjurandi obligatione, 137

XI. *De treuga & pace*, 138
XII. *De votis & votorum profeſſione*, 141
XIII. *De gratiis & diſpenſationibus*, *ibid.*
XIV. *De indulgentiis*, 143
XV. *De quæſtorum tollendo abuſu*, 144
XVI. *De decimis*, 147
XVII. *De religioſis domibus*, *& montibus pietatis*, *ibid.*
XVIII. *De Regularibus & religioſis extra clauſtra vagantibus*, 152
XIX. *De monialibus*, 157

LIBRI

SEPTIMI DECRETALIUM

QUARTI.

Tit. I.

DE *matrimoniis & ſponſalibus*, 161
II. *De conſanguinitate & affinitate*, 164

LIBRI

SEPTIMI DECRETALIUM

QUINTI.

Tit. I.

DE *Judæis*, 167
II. *De his, qui infidelibus adverſus Chriſtianos auxiliantur*, 175
III. *De hæreticis & ſchiſmaticis*, 176
IV. *De libris prohibitis*, 193
V. *De libellis famoſis*, 199
VI. *De ſacrilegis*, 201
VII. *De blaſphemis & aleatoribus*, 202
VIII. *De homicidis & bannitis*, 204
IX. *De falſis & falſum exponentibus*, 214
X. *De ambitu*, 217
XI. *De ſimoniacis & ne quid detur vel exigatur*, 222
XII. *De maleficis & incantatoribus*, 225
XIII. *De teſtibus*, 230
XIV. *De monetarum tonſoribus*, 231
XV. *De lenonibus*, *ibid.*
XVI. *De concubinariis & fornicatoribus*, 232
XVII. *De duello & duellum permittentibus*, 233
XVIII. *De taurorum & aliorum animalium agitatione & pugna*, 235

SEPTIMI

# SEPTIMI

# DECRETALIUM LIBER PRIMUS.

## *TITULUS I.*

### DE SUMMA TRINITATE, ET FIDE CATHOLICA.

### CAP. I.

*Trinitatem perſonarum in unitate ſubſtantiæ, Chriſti divinitatem, ejuſque de Spiritus Sancto in utero virginis Mariæ conceptionem profitetur fides Catholica.*

Paulus Quartus.

CUm quorundam hominum pravitas atque iniquitas eouſque noſtris temporibus proceſſerit, ut ex illis, qui a Catholica fide aberrant & deſciſcunt, plurimi quidem non ſolum diverſas hæreſes profiteri, ſed etiam ipſius fidei fundamenta negare præſumant, & eorum exemplo multos in interitum animæ deducant: Nos cupientes, pro noſtro paſtorali officio & charitate hujuſmodi homines, quantum cum Deo poſſumus, a tam gravi & peſtilenti errore avocare, ac cæteros ne in talem impietatem labantur, paterna ſeveritate admonere: omnes & ſingulos, qui hactenus aſſeruerunt, dogmatizarunt, vel crediderunt, Deum omnipotentem non eſſe Trinum in perſonis, & incompoſita omnino indiviſaque unitate ſubſtantiæ, in unum unamet ſimplici divinitatis eſſentia *a*. Aut Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum non eſſe verum Deum, ejuſdem ſubſtantiæ per omnia cum Patre. & Spiritu Sancto, aut eundem ſecundum carnem non eſſe conceptum in utero beatiſſimæ ſemperque virginis Mariæ de Spiritu Sancto, ſed ſicut cæteros homines ex ſemine Joſeph. Aut eundem Dominum ac Deum noſtrum Jeſum Chriſtum non ſubiiſſe acerbiſſimam crucis mortem, ut nos a peccatis & æterna morte redimeret, & patri ad vitam æternam reconciliaret *b*. Aut eandem beatiſſimam virginem Mariam non eſſe veram Dei matrem, nec perſtitiſſe ſemper in virginitatis integritate, ante partum ſcilicet, in partu, & perpetuo poſt partum. Ex parte omnipotentis Dei, Patris, & Filii, & Spiritus Sancti, Apoſtolica auctoritate requirimus & monemus, quatenus infra ſpatium trium menſium a publicatione præſentium in Romana Curia, quoad reſidentes in ea, modo infra ſcripto, extra eam vero, quoad alios in illa non reſidentes, modo & forma per diœceſanos ſtatuendis facienda, incipiendorum, quos pro primo, ſecundo & tertio, ac peremptorio termino, ac monitione canonica, eis & eorum cuilibet aſſignamus, ab eorum aſſignatione, dogmatibus, & credulitate hujuſmodi, ac quibuſcunque aliis in fide prædicta erroribus, in quos hactenus lapſi ſunt, reſipuiſſe, & ad unitatem Eccleſiæ redeundo, aſſertionum dogmata, & credulitatem, ac alios errores hujuſmodi, in manibus inquiſitorum hæreticæ pravitatis civitatum, & locorum, quibus ad præſens degunt, realiter & cum effectu abjuraſſe, & infra alios tres menſes, a die abjurationis hujuſmodi inchoandos, de eadem abjuratione venerabilius fratribus noſtris, S. R. E. Cardinalibus, dictæ hæreticæ pravitatis inquiſitoribus generalibus, plenam fidem feciſſe debeant. Et cum hujuſmodi errores tam graves & nefandi ſint, ut illi qui in eos decidunt, excuſationem non habeant, ſed ſubverſi potius atque immanes, quam hæretici merito dici poſſint: hac noſtra perpetuo, valitura conſtitutione ſancimus, quod tam illi, qui hactenus in ipſos errores, vel eorum aliquem lapſi ſunt, & infra ſupradictum terminum non reſipuerint, & ea, quæ ſupra diximus non adimpleverint, quam omnes & ſinguli alii, qui in futurum in illos, vel illorum aliquem quomodolibet prolabentur, cujuſcunque dignitatis, ſtatus, gradus ordinis, vel conditionis exiſtant, pro ſubverſis & elapſis in hæreſim haberi, & ut relapſi Curiæ ſeculari tradi, & per ipſam Curiam debitis pœnis in relapſos ſtatutis puniri poſſint, in omnibus & per omnia perinde ac ſi vere & realiter in hæreſim relapſi eſſent, & eos relapſos eſſe conſtaret. Dat. Rom. ſept. Id. Aug. M. D. LV.

### CAP. II.

*Fidei & religionis Chriſtianæ aſſertio tuetur adverſus Græcorum errores, de proceſſione Spiritus Sancti a Patre & Filio, & de reliquis doctrinæ Catholicæ capitibus.*

Eugenius IV. in Concilio Florentino.

COnvenientes Latini & Græci in hac ſacroſancta Oecumenica Synodo, magno ſtudio invicem uſi ſunt, ut inter alia, etiam articulus ille, de divina Spiritus Sancti proceſſione, ſumma cum diligentia & aſſidua inquiſitione diſcuteretur. Prolatis vero teſtimoniis ex divinis ſcripturis, plurimiſque auctoritatibus ſanctorum Doctorum orientalium & occidentalium: aliquibus quidem ex Patre & Filio, quibuſdam vero ex Patre per Filium procedere dicentibus Spiritum Sanctum, & eandem intelligentiam aſpicientibus omnibus ſub diverſis vocabulis *a*, Græci quidem aſſeruerunt, quod id, quod dicunt, Spiritum Sanctum ex Patre procedere, non hac mente proferunt, ut excludant Filium: ſed quia eis

a *L. 1. l. 2. §. 1. C. eod. Vigil. adverſ. Eutych.* b *Antidicomaritas, intelligit: Epiphan. lib. 3. Chareſ. tom. 2. hæreſ. 78. 2 §. 2. C. eodem.*

a *Græci negantes proceſſionem Spiritus Sancti a Patre & Filio contra Latinos & quatuor Concilia. l. 7. §. 4. C. eod. maximas turbas in Eccleſia excitarunt. Vid. Hug. Eteriarum. Atgan. in ſymbol. & lib. hujus argument.*